VERS. IN LING. ANTICHE
161
A
81.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
161
A
81
NAPOLI

PSALMI

EX

RECENSIONE

TEXTUS HEBRAEI

ET

VERSIONUM ANTIQUARUM

LATINE VERSI

NOTISQUE PHILOLOGICIS

ET CRITICIS

ILLUSTRATI

A

JOANNE AUGUSTO DATHIO

S. THEOL. DOCT. ET PROF. LINGUAE HEBR. ORD

IN ACAD. LIPSIENSI

HALAE

SUMTIBUS ORPHANOTROPHEI

MDCCLXXXVII

PRAEFATIO.

Tantæ ſunt tamque variæ difficultates in vertendis hymnis Davidicis interpreti ſuperandæ, ut ab eo labore certe abſtinuiſſem, ſi eas omnes removere quisquam poſſe exiſtimaretur. Sed commode accidit, quod pro conſilii mei ratione unam eamque pro ingenii mei tenuitate ſummam negligere atque intactam relinquere aliis majore ingenii facultate præditis potuerim. Illam intelligo, quæ eſt in verſione poetica, eademque numeris adſtricta. Cujus generis verſionem, ſi poeſeos orientalis genium interpres prorſus negligere nolit, (quod neceſſarium videtur,) difficillimam eſſe, norunt omnes periti harum rerum judices. Sed ab hac parte nullam verſioni meæ laudem, ſive commendationem conciliare, ne ſi poſſem quidem, volui. Idem enim conſilium

ſequendum fuit, quod in cæteris univerſæ Veteris Teſtamenti verſionis meæ partibus mihi propoſueram, ſcilicet ut verba hebraica clare et perſpicue redderem, quo hujus linguæ ſtudioſi quaſi manu ducerentur ad textum originalem recte intelligendum et explicandum. In quo tamen perſpicuitatis ſtudio minime hoc mihi ſumſi, ut omni ornatu poetico, tanquam veſte, detracto, ſenſum modo verborum darem. Tenax fui verborum omnium, atque adeo ordinis eorum plerumque quo leguntur, ut lectores tropos, imagines poeticas et genium orientalis poeſeos ipſi intelligere poſſent et dijudicare. Tantum in iis locis ſenſum verborum ſtatim in verſione indicavi, in quibus forma loquendi magis ad linguæ idiomata pertinere videbatur, quam ad poeticam dictionem; additis tamen in nota ſubjecta, unde, quid proprie dictum eſſet, intelligeretur.

In textu recepto tractando, in hoc quoque volumine, uti in cæteris, uſus ſum libertate, quam concedunt hodie optimi quique interpretes, ſalva religione ſcripturæ ſacræ debita, quippe quæ non adſtringitur uni illi recenſioni a Maſorethis traditæ. Ea licet minime tanquam parum accurate facta contemnenda

temnenda ſit *, tamen, ut omnes libri antiqui, ſubinde emendationem ex aliis codicibus admittit atque adeo requirit. Sed me illa libertate minime eſſe abuſum, ut criſi temeraria et intempeſtiva lectionem vulgarem repudiarem, apparebit ex locis bene multis, in quibus eam contra conjecturas recentiores, ut ut ſpecioſas, defendi; cui perſuaſum eſſet, non minori verecundia tractandos eſſe libros divinos quam profanos, in quibus critici minime concedendam eſſe judicant, immo vehementer improbant illam licentiam, qua lectionibus duriuſculis, quæ videntur, ſine auctoritate aut teſtimoniis antiquorum codicum, faciliores ex ingenio tantum critici ortis ſubſtituuntur.

Notas philologicas paullo plures addidi, quam in cæteris verſionis meæ voluminibus, partim ut voluntati eorum ſatisfacerem, qui uſum ejus hac ratione ſibi faciliorem reddi ſperabant; partim ut indicarem, quæ Viris Doctiſſimis, qui noſtra ætate his

* Vid. præfatio Illuſtris EICHHORNII præmiſſa Parti II. Kœcheri novæ Biblioth. hebr. ſecundum ordinem Biblioth. hebr. B. Jo. Chriſtoph. Wolfii, in qua de hoc argumento more ſuo, hoc eſt, eleganter et veriſſime ſcripſit.

carminibus ſacris illuſtrandis operam dederunt, deberem. E quibus honoris cauſa mihi nominandi ſunt Illuſtris MICHAELIS et Viri Summe Reverendi KNAPPIUS, SEILERUS, DOEDERLEINIUS, illi quidem in verſionibus integris Pſalmorum, hic vero in Scholiis ad libros poeticos Veteris Teſtamenti. Utiles mihi quoque fuerunt, maxime in verſionibus antiquorum interpretum examinandis et dijudicandis, KOEHLERI, Viri Celeberrimi, obſervationes criticæ in Pſalmos, quæ inſertæ ſunt *Repertorio Literaturæ biblicæ et orientalis*. Dolendum eſt Virum Celeb. laborem illum non abſolviſſe; deſinit enim in Pſalmo LXXII. Partis XIII. Repertorii, quibus in ultima parte libri laudati XVIII. addidit nonnullas obſervationes ad Pſalmos LXXXIX. XC. et CXXXIV. — Neque minus me profeciſſe gratus profiteor ex Celeberrimi SCHNURRERI Diſputationibus academicis, quibus loca quædam Pſalmorum difficilia, nec non integros Pſalmos, decimum nempe et duodeſeptuageſimum illuſtravit.

Verum enim vero his laboribus Virorum Doctiſſimorum aliisque pluribus antiquorum et recentiorum temporum ita uſus ſum, ut nullius partibus aut auctoritati aliquid darem, ſed ex meo tantum

ſenſu

ſenſu de eo, quod probandum videretur, vel minus, ſententiam dicerem. Quem veritatis amorem, ab omni partium ſtudio alienum, intelligent quoque lectores in judicio meo de pſalmis *propheticis*, ſive ſic dictis *meſſianis*. Quemadmodum olim, majorum maxime noſtrorum ætate, in eo peccatum fuit, ut qualemcunque ſimilitudinem vaticinio de Meſſia ſufficere judicaretur: ita noſtris temporibus in contrarium peccari exiſtimo, dum nulla omnino dari vaticinia proprie ſic dicta a quibusdam ſtatuitur, atque adeo Davidem in numero prophetarum habendum eſſe negatur. — Equidem illis aſſentior, qui media via incedunt atque numerum ejusmodi pſalmorum non ita magnum eſſe putant; bonamque cauſam melius defendi exiſtimant paucis iisque invictis argumentis, quam multis iisque dubiis.

De compluribus Pſalmis argumento indicando conjecturam dixi, quo tempore aut qua occaſione ſint compoſiti. Multum ſane ad clariorem et certiorem interpretationem faceret, ſi utrumque certo definiri poſſet atque lectores quaſi in rem præſentem perduci viderentur, qua David vel auxilium divinum anxie imploraverit, vel grati animi ſenſus ob preces exauditas effuderit. — Incertas quidem eſſe hac

de

de re conjecturas, fassi sunt optimi quique interpretes, qui in eam inquisiverunt, idque dissensus eorum satis probat *. Nec tamen propterea negligenda videbatur quæstio, neque inutilis illa, neque injucunda.

Hæc habui quæ huic volumini præfaturus lectores meos latere nollem. Reliquos Veteris Testamenti libros, Jobi nempe et Salomonis, ultimum volumen comprehendet, quod, Deo volente, mora non ita longa interposita prodibit. Scripsi in Acad. Lipsica Mens. April. A. R. S. MDCCLXXXVII.

* Fecit hoc inductione multarum opinionum s. conjecturarum de singulis Psalmis ESROMUS RUDINGERUS in Paraphrasi Psalmorum, libro minus quidem noto, immo rariore, sed qui continet multa lectu digna. In disquisitione de tempore et occasione, qua carmina singula scripta sint, auctor perquam copiosus est, videturque aliis, qui has quæstiones quoque moverunt e. g. VENEMAE facem prætulisse. Prodiit Goerlizii 1581. tribus tomis, quaternis.

LIBER

LIBER PRIMUS
PSALMORUM ספר

PSALMUS I

Quantum interſit inter hominem pium et impium.

1. Beatus ille, qui non ſequitur impiorum conſilia,
Qui in via peccatorum non incedit,
Nec cum profanis hominibus ſocietatem init:
2. Sed lege Jovæ delectatur,
Eamque diu noctuque meditatur.
3. Is vero eſt ſicuti arbor a) ad aquarum ductus plantata,
Quæ fructus fert tempeſtivos, cujus folia non decidunt,
Et

a) Quoniam pius non cum quacunque arbore poteſt comparari, non inepte viri quidam docti quaeſiverunt, quam arborem David in animo habuerit? Alii palmam intelligi putarunt, cujus Palæſtina feraciſſima eſt, quæ et loca irrigua amat — Alii malogranatam, quae cum vite ſolebat ad aquarum ductus plantari. cf. Ezech. 19, 10. et *Faber* ad Harmarum P. II. p. 332.

Et quidquid ſuſcipit feliciter ſuccedit *b*).

4. Non ita ſe res habet cum impiis,
Sed paleæ ſimiles ſunt, quam ventus diſſipat.

5. Propterea cauſa cadent impii in judicio *c*)
Et peccatores in coetu piorum.

6. Approbat enim Deus piorum vivendi rationem,
Impiorum vero vita eſt infelix *d*).

PSAL-

b) *Faber* l. c. et *Knappius* ad h. l. hoc membrum etiam de arbore, non de homine pio explicant, ne David nimis ſubito allegoriam cum verbis propriis mutaſſe videatur. Putant verba textus hanc admittere explicationem, quoniam עשה פרי ſit *fructus ferre* Geneſ. 1, 12. ut ποιεῖν καρπὸν Matth. 7, 17. 18. 19. At enim vero ſi quoque ellipſin τοῦ עין admitti poſſe concederem, tamen צלח in Hiphil de arbore non dicitur. Semel in Kal Ezech. 17, 8. 10. Propterea malim hoc membrum referre ad pium. Nec deſunt exempla, in quibus poetæ hebræi propria cum translatis permutant. vid. *Lowthus* de ſacra Poeſi Hebr. Prælect. X. p. 216.

c) Sub *judicio* ego non extremum judicium, cum fine mundi conjunctum, intelligo, quod multis interpretibus placet; ſed omne tempus, aut quamvis occaſionem, qua divina providentia demonſtrat, ſibi non probari impios.

d) Jam a *Glaſſio* pag. 640. obſervatum eſt, in utroque membro deeſſe, quod ex altero ſit ſupplendum. In *priori* ponitur cauſa et reticetur effectus. In *poſteriori* ponitur eventus et reticetur cauſa. Qua ellipſi, cujus plura exempla a *Glaſſio* allata ſunt, admiſſa, non opus eſt, ut vel lectio-

PSALMUS II

Regnum Meſſiæ contra hoſtium aggreſſiones ſtat immotum, a Deo ipſo fundatum a).

1. Quare gentes tumultuantur?
Et nationes æſtuant inania *b*)?
2. Conſpirant reges terræ et principes conveniunt

 Adver-

lectionem textus ſollicitemus, vel verbis ſæpiſſime obviis aliam ex lingua Arabica petitam ſignificationem tribuamus, quod nonnullis interpretibus placuit.

a) Pſalmum hunc propheticum eſſe, atque regnum Meſſiæ canere, mihi quidem perſuadent, cum ea, quæ David auctor Pſalmi Act. 4, 25. de ſe ipſe non niſi per ſummam arrogantiam dicere potuiſſet in verſſ. 8. et 12. tum allegationes ejus in Nov. Teſt. et explicationes de rege Meſſia adeo manifeſtæ, ut ex judaica accommodatione allatæ nullo modo videri poſſent Act. 4, 25. 13, 33. Ebr. 1, 5. 5, 5.

b) יֶהְגּוּ רִיק Retinui verbum *æſtuare*, quæ propria eſt *voci* הגה ſignificatio, quoniam latini quoque hanc metaphoram ad animum transferunt, cum ille inſtar ferventis humoris aut maris concitati vehementiori affectu movetur. Etiam רִיק in ſignificatione ſua uſitatiori *inanis* et *vani* verti, non per *ſputum*, quæ eſt *Venemæ* aliorumque nonnullorum interpretum ex lingua Arabica allata explicatio. Etenim illa eſt aptiſſima totius carminis argumento, docetque quem eventum habeant iſta gentium et nationum molimina, eleganter admodum judice *Herdero* de Genio poeſeos hebr. P. II. p. 395.

Adverſus Jovam et unctum ejus.
3. Rumpamus, *inquiunt*, eorum vincula,
Abjiciamus eorum funes —
4. Ridet qui cælum habitat,
Subſannat eos dominus.
5. Mox *c*) eos iratus alloquetur
Atque indignabundus perturbabit. —
6. Ego *d*) unxi regem meum

Super

c) hebr. אָז *tunc*. Tempus indigitat, quo Deus hoſtes ſuos ſit puniturus. Quod cum verſ. 12. brevi eventurum eſſe dicatur, poſui in verſione *mox*.

d) Verba ſunt ipſius Dei, qui regem, cui ſe nationes quædam ſubmittere recuſabant, a ſe conſtitutum declarat. Verſiones quidem, græca, latina et arabica videntur legiſſe וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי עַל־צִיּוֹן הַר־קָדְשִׁי Illa enim habet: *ἐγὼ τὸ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ ἐπὶ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιον αὐτοῦ*: hæc: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus*. Sed Chaldæus, Symmachus, Aquila, Hieronymus, Maſora et allegatio horum verborum Act. 4, 27. exhibent lectionem receptam textus hebræi, quam præterea contextus confirmat. Nam in ſequenti verſu Meſſias dicit, ſe velle illud decretum Dei accuratius explicare. Quæ parum accommodate dicta eſſent, ſi in præcedenti verſu jam ipſe eſſet locutus. Subita autem perſonarum mutatio neminem offendet, qui complurium aliorum exemplorum in Pſalmis et alibi obviis meminerit. Miror igitur *Koehlero* (in Repertorio litera-

Super Sione monte mihi ſacro —

7. Dicam quod res eſt *e*):

Jova mihi dixit: Tu es filius meus: Ego hodie te genui *f*).

literaturæ Orient. P. III. p. 5.) probari lectionem τῶν ὁ et Vulg. cui quoque per regulam criticam, pluribus nempe teſtibus, iisque prorſus diverſis, conſentientibus, recepta eſt præferenda.

e) Neque in hoc loco verba textus recepti אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק propter lectionis diverſitatem, quam veteres interpretes prodere videntur, ſollicitanda putem. Duplicem admittunt explicationem. Vel: *enarrabo decretum* ſc. Dei, quod in verſu præcedenti legitur. סָפַר enim non ſolum conſtruitur ſequenti accuſativo ſimpliciter poſito, ſed etiam intercedente præpoſitione אֵת ut Geneſ. 40, 8. 2 Reg. 8, 4. רפ״ אֶל in noſtro plane reſpondente. Vel: *enarrabo veritatem.* Nam חֹק apud Arabes *verum* ſignificat. cf. *Golius* p. 634. Sic reſpondet hæc formula alii: אֶל נָכוֹן 1 Sam. 23, 23. 26, 4. et oppoſitæ אֶל חִנָּם Ezech. 6, 10. Poſteriorem explicationem præferendam putavi, quoniam ad priorem ſupplendum eſt אֶל ſ. אֱלֹהִים quod num legerint Aquila, Theodotio, Sexta, Hieronymus, prorſus incertum eſt. cf. *Michaelis* in Biblioth. Orient. P. X. p. 225. et *Koehlerus* in Repertorio l. c.

f) Senſum horum verborum apoſtolus Paulus oſtendit, dum ea de exhibitione ſ. legatione divina Meſſiæ in mundum

8. Roga a me. Dabo tibi gentes in hæreditatem

Et

dum explicat Act. 13, 32. 33. *Promiſſionem*, inquit, *majoribus veſtris datam Deus jam quidem implevit*, (ἀναστήσας) *ſiſtens ſ. exhibens Jeſum, ſecundum id, quod in Pſalmo ſecundo ſcriptum extat: tu es filius meus, hodie te genui.* Etenim verbum ἀναστῆσαι ut hebr. הקים ſæpe ſignificare *exhibere, præſentem ſiſtere*, ex multis locis conſtat. Sic haud dubie dicitur: Act. 2, 22. 26. 7, 37. Ebr. 7, 11. 15. Paulum vero in h. l. ſic accepiſſe, neque de reſurrectione Chriſti ex mortuis explicaſſe, ex verſ. 34 ſqq. apparet, in quibus eam ex aliis locis probat. Hac ratione non eſt quod laboremus in explicando h. l. de æterna filii Dei generatione, de qua hæc verba directe non poſſunt intelligi. Nam יום nunquam *æternitatem* indicat, neque de ea dici poteſt, quoniam tempus præſens includit, quo præteritum et futurum excluditur. Sed poſſunt hæc verba cum ſequenti verſu necti, ut fundamentum illius promiſſionis contineant, quæ huic regi de poſſeſſione hæreditaria gentium datur, ſi verbum activum ילד *declarative* explicatur, ex regula *Glaſſii* Lib. I. Tract. 3. Can. 15. p. 216. edit. noſtr. Tu es filius meus teque a me genitum eſſe hodie declarabo, dum ex petitione tua tibi gentes in poſſeſſionem tuam aſſignabo. Sic fere *Venema* in Comment. ad h. l. et *Doederlein* in Scholiis ad libros poet. V. T. qui vero Paulum haec verba de reſurrectione Chriſti explicaſſe exiſtimant, quod non ita videtur. Attamen nolui hunc ſenſum in verſione ponere, liberum cuique judicium relinquens, num ma-

lit

Et terræ fines in poſſeſſionem.

9. Conteres eos ſceptro ferreo,
Ut vas fictile eos confringes —

10. Jam igitur, reges, ſapite,
Admittite diſciplinam, terræ judices,

11. Colite Jovam reverenter
Et cum tremore dolete *g*).

12. Submittite vos filio, ne, ſi iraſcatur, vos illico *h*) pereatis.

 Etenim

lit in explicatione Pauli Act. 13, 32. 33. acquieſcere, an præterea hæc verba ad dogma illud probandum transferre.

g) hebr. וְגִילוּ בִרְעָדָה Uſitatior ſignificatio verbi גול *lætari, exſultare*, contextui non ſatis apta videtur. Admonentur reges iſti rebelles, ut ſeſe huic regi ſubmittant atque ob temeritatem ſuam doleant, culpam a ſe admiſſam agnoſcentes. Verbum autem גול in utramque partem de lætitia et dolore dici, ex ſignificatione ejus primaria *in orbem verti*, dubio caret. cf. *Schultenſius* ad Jobum p. 79. et verſio noſtra prophetarum minorum Hoſ. 10, 5. — Non poſſum ſilentio præterire, in Codice *Kennicotti* 309. (Sæculi XIV.) exſtare lectionem a prima manu וגילו לו quam οἱ ἑ et Vulgatus exhibent: ἀγαλλιᾶσθε αὐτῷ ἐν τρόμῳ, *exultate ei cum timore.* Syrus quoque: *prehendite eum.*

h) hebr. דֶּרֶךְ pro בְּדֶרֶךְ Antiquiores ad Meſſiam referunt. Syrus: *de via ejus.* Chaldæus: *et amittatis viam.*

οἱ ὁ,

Etenim ira ejus brevi exardeſcet.
Felices ſunt omnes qui ad eum confugiunt *i*).

PSALMUS III

Inſcriptio docet, qua occaſione David hanc elegiam ſcripſerit, ſpei et fiduciæ ſuæ in Deum egregium monumentum.

1. Pſalmus Davidis, cum propter Abſolomum filium ſuum fugeret *a*).
2. Jova, quam multi ſunt meorum hoſtium!
Quam multi adverſus me inſurgunt!
3. Quam multi, qui de me dicunt:
Nulla ei a Deo ſalus eſt expectanda. — *b*)
4. Tu

οἱ ὁ, ἐξ ὁδῶν δικαίων. Alii ex recentioribus: *in his ipſis conatibus veſtris.*

i) Recte obſervat *Doederlein* l. l. minime probabile videri, Davidem hæc de ſe dixiſſe, qui cum ipſe noverit, quam parum tuta ſit regis tutela, tum alias ſæpe docuerit, in Deo, non in hominibus, ſpem et fiduciam ponendam eſſe. Nam hoc ſignificat verbum חסה non *fidem* quam ſubditi regi ſuo debent, de qua recentiores nonnulli interpretes tantum explicant. Unus rex Meſſias præſtat ſalutem certam et felicitatem conſtantem.

a) 2 Sam. 15, 13 ſqq.

b) In textu h. l. primum legitur vocabulum סֶלָה ſæpius deinceps repetitum. Equidem illis aſſentior, qui notam muſicam eſſe ſtatuunt, cujus ſignificationem vix certo aliquis

4. Tu vero, o Jova! clipeus meus es,
Mea gloria, efficies ut lætari iterum possim *c*).

5. Voce

aliquis definire audeat. *Simonis* in Lexico Hebr. sub h. v. complures auctores citavit, qui de hac voce egerunt. Addo his *Suicerum* in Thes. eccles. sub v. διάψαλμα, si quis patrum ecclesiasticorum de ea legere velit sententias, satis pias ex parte, sed parum accuratas. Ex recentissimis vero interpretibus *Michaelem*, qui per compendium scriptionis ex more Judæorum singulis literis singulas voces indicari existimat, quas tamen definire non audet, in notis ad vers. germ. Memini vero me in alio loco (quem jam quidem reperire non potui) legere, eum putare, repetitionis signa s. literas esse, quæ D. C. nostrorum musicorum responderent. Quam ipsam sententiam jam dudum a *Meibomio* allatam esse didici ex *Simonii* Lexico l. c. — *Herderus* de genio Poes. Hebr. P. II. p. 376. arbitratur סֶלָה *mutationem toni* indicare, quæ in carminibus affectuosis crebra fuerit, in quibus etiam hæc nota tantum occurrat, in Psalmis vero dogmaticis non reperiatur. Quæ explicatio non differt a versionis græcæ interpretatione per διάψαλμα, quod secundum Suidam aliosque μελωδίας ἐναλλαγήν significat. — Equidem in versione omisi vocabulum, quod sensum verborum nullibi afficit, uti *Michaelis*, *Knappius*, *Seilerus* aliique recentissimi Psalmorum interpretes.

c) hebr. וּמֵרִים רֹאשִׁי *et erigens caput meum.* Hujus formulae in lingua latina obscuræ sensum in versione expressi. Tropus sumtus est ab homine tristi, qui solet capite

5. Voce mea ad Jovam clamo,
Reſpondet mihi ex ſacro ſuo monte.
6. *Igitur* cubo, dormio, evigilo,
Nam Jova me ſuſtentat.
7. Neque metuam vel hominum myriades,
Qui me impugnent.
8. Agedum, Jova, ſerva me, mi Deus,
Qui hoſtium meorum maxillam contundere potes
atque impiorum dentes frangere *d*).
9. A Deo ſalus venit, favor tuus tuo populo.

PSALMUS IV

Plerique interpretes hunc Pſalmum eadem qua præcedentem occaſione, nempe ſeditionis abſolomicæ, Davidem compoſuiſſe ſtatuunt. Hortatur potiſſimum adverſarios ſuos, ut a ſcelere abſtineant, ſuam in Deo poſitam fiduciam oſtendit, ſimul docet, vitam beatam non in opibus atque omnium rerum ſucceſſu felici conſiſtere, ſed in certa favoris divini perſuaſione.

1. Præfecto chori muſici, fidibus adhibitis canendus. Pſalmus Davidis.
2. Quando

capite demiſſo incedere, exhilaratus autem caput rurſus attollere.

d) Uterque hujus verſus tropus non difficilis eſt intellectu; ſumtus a feris animalibus, quæ confractis maxillis aut excuſſis dentibus non amplius nocere poſſunt.

2. Quando clamo exaudi me, Deus, qui juſtæ meæ cauſæ faves *a*).

Qui *ſæpe* me ex anguſtiis liberaſti, miſerere mei, audi preces meas.

3. Quousque, o homines *b*), dignitatem meam deſpicietis?

Quousque res vanas amabitis, mendacia ſectantes?

4. Immo vero agnoſcite Jovam ſibi elegiſſe *c*) cui faveat.

Jova audit, dum eum invoco.

5. Nolite

a) hebr. *Deus juſtitiæ meæ.*

b) hebr. בְּנֵי אִישׁ Non videntur magnates aut principes populi intelligendi, qui ſic dicuntur in oppoſitione ad בְּנֵי אָדָם Pſ. 49, 3. 62, 10. ſed ſimpliciter *homines.* Sic interpretes antiqui omnes intellexere.

c) Sic ex lectione recepta הִפְלָה Nam verbum פלה ſignificare *ſeparare* partem eximiam præ aliis caram, ſatis conſtat. Sed *ei* o legerunt הִפְלָא vertunt enim ἐθαυμάσωσε κύριος, et Vulgatus: *mirificavit dominus.* Syrus et Arabs utramque lectionem jungunt: *Segregavit ſibi dominus cum admiratione.* Chaldæus tantum habet *ſeparavit* פְּרִישׁ *Kennicottus* 34 Codd. citavit in quibus legatur הִפְלָא Quæ lectio, ſi probetur, ſenſum habet non minus aptum. Monet enim ſic David hoſtes ſuos, ut in memoriam revocent varios vitæ ſuæ eventus, in quibus a Deo mire ſit ſervatus atque ex ſummis periculis liberatus.

5. Nolite iraſcendo peccare *d*),
Conſiderate attente *e*) in conventibus veſtris *f*)
et ſilete —
6. Offerte ſacrificia vera *g*) et confidite Jovæ.
7. Multi quidem dicunt: quis nos felices præſtabit? *h*)
Oſtende *i*) nobis, Jova, tuum favorem.

8. Me

d) Sic verto verba רִגְזוּ וְאַל־תֶּחֱטָאוּ tanquam ἐν δυοῖν δυοῖν in verbis, cujus formulæ non minus exempla exſtant, quam in ſubſtantivis, e. c. 1 Theſſ. 3, 4. atque Epheſ. 4, 20. ubi hæc ipſa verba citantur.

e) ſc. quid agatis, et deſiſtite a rebellione veſtra.

f) hebr. מִשְׁכָּב eſt lectus ille oblongus, in quo Orientales deſident, conventus habent et cum amicis ſuis familiariter colloquuntur, quibus etiam noctu pro lectis utuntur — Supellex quæ arabico nomine *Sopha* apud nos quoque nota eſt. Nam صُفَّة ſcamnum eſt diſcubitorium, ubi homines conſident. vid. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. bibl. et *Faber* in Archæol. Hebr. p. 430.

g) זִבְחֵי צֶדֶק *vera* h. e. quæ Deo placent, ut Pſ. 51, 19. זִבְחֵי אֱלֹהִים cum fiducia in Deum oblata, ad quam ſequens membrum hortatur.

h) hebr. *quis oſtendet nobis bonum?* Cui voto David reſpondet in altero membro, precibus ad Deum converſis, qui ſolus hoc præſtare poteſt.

i) Pro נְסֵה utique legendum videtur נְשָׂא Quam lectionem

8. Me quidem majori afficis lætitia,
Quam illi fruuntur, qui frumento et muſto *k*) abundant.
9. Quiete ſimul cubo et dormio,
Tu enim, Jova, ſolus es, qui me in tuto collocas.

PSALMUS V

Fortaſſe hic quoque Pſalmus ad tempora Abſolomica eſt referendus, quod ex verſu octavo, in quo ſpem Dei in ejus æde adorandi oſtendit, atque ex verſu undecimo, qui dictis Davidis in Abitophelem 2 Sam. 15, 31. valde ſimilia habet, probabiliter colligitur. — Continet preces ardentes ad Deum, quibus ejus auxilium adverſus hoſtes, homines peſſimos, implorat.

1. Præfecto chori muſici. Tibiis canendus Pſalmus Davidis.

2. Attende

ctionem etiam exhibent ex antiquis interpretibus Chaldæus, Aquila ἐπαφον, fortaſſe quoque Syrus: ܐܘܕܝ *expandet ſuper nos*, et Cod. 245 *Kennicotti*. Phraſis haud dubie ſumta eſt ex Num. 6, 23. Habet tamen etiam lectio recepta ſuos teſtes inter interpretes antiquos. Nimirum τοὺς ὁ, ἐσημειώθη ἐφ' ἡμᾶς τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου, Vulgatum: *Signatum eſt ſuper nos* etc. Symmachum: ἐπίσημον ποίησον, et Arabem: *illuxit nobis* etc.

k) οἱ ὁ addunt καὶ ἐλαίου, quod etiam Syrus et Arabs habent. Quanquam vero *oleum* in aliis locis *frumento et muſto*

2. Attende ad ſermones meos, Jova!
Cognoſce meum gemitum *a*).
3. Aures præbe voci meæ querenti,
Mi rex atque Deus, ad te enim precor.
4. Jova! mane vocem meam audis,
Mane ad te precor, et expecto.
5. Neque enim tu Deus es, cui placeat improbitas.
Tibi non familiares ſunt mali.
6. Tuum aſpectum ferre non poſſunt profani,
Odiſti omnes maleficos.
7. Perdis mendaces, abominaris ſanguinarios et fraudulentos.
8. Ego

muſto addi ſolet, tamen nondum liquet, an in hoc quoque loco ſit addendum. Videtur potius gloſſa eſſe, ab eo qui in aliis locis hæc tria jungi ſolere ſciebat adſcripta. Origenes quidem obelo notavit illa verba in verſione græca, neque *Kennicottus* hanc lectionem in ſuis Codd. invenit.

a) Vocabulum הֲגִיגִי quod præter h. l. tantum Pſ. 39, 4. occurrit, a lexicographis parum accurate referri ad הגה cum forma nominis requirat radicem הגג, recte obſervatum eſt a *Michaele* in Supplementis ad Lexica Hebr. ſub h. v. Confert arabicum هَجَّ *depreſſus fuit*. Hinc putat ſubſtantivum *depreſſiorem ſonum* ſignificare, h. e. triſtem. Quam explicationem a vulgari *gemitus* non diverſam eſſe concedit, ſed certiorem eſſe et grammaticæ convenientiorem aſſerit.

8. Ego vero pro ſingulari tua benevolentia ædem tuam ingrediar,
Teque religioſe in templo tuo ſancto venerabor.
9. Jova, duc me in juſtitia tua *b*),
Propter hoſtes meos complana ante me viam tuam.
10. In iſtorum *c*) ore nihil veri eſt, pectus eis dirum eſt,
Guttur ſepulcrum apertum, lingua blandiuntur.
11. Animadverte in eos, Deus; decidant de ſuis conſiliis,
Ob tot eorum ſcelera profliga eos; nam in te rebelles ſunt.
12. Lætentur autem perpetuo, qui tibi confidunt;
Laudent te, quod tu eos protegis.
Exultent de te omnes *d*) qui te amant,
13. Nam

b) Ego quidem intelligo juſtitiam, quæ ſe oſtendit obedientia erga leges divinas. Nam ſequens membrum prioris rationem reddit: *propter hoſtes meos*, ne nempe unquam occaſionem habeant me reprehendendi, remove omnia impedimenta, quæ me in curſu pietatis meæ morari poſſent — Sed quoniam vocabula tropica *ducere* et *viam complanare* etiam aliam explicationem admittunt, nolui eam quæ mihi probabilis videtur, in verſione ponere, ſed verba textus preſſe ſecutus ſum.

c) Pro בְּפִיהוּ legendum eſſe בְּפִיהֶם probat cum numerus pluralis, qui in ſequentibus adhibetur, tum auctoritas interpretum antiquiorum omnium.

d) Addunt כָּל *oi ó*, Syrus, Vulgatus, Arabs et Codd. *Kennicotti* 102 et 125 ſuper raſura.

13. Nam tu, Jova, juſtos fortunas;
Benevolentia eos tanquam clipeo amplecteris.

PSALMUS VI

Conqueritur de gravibus cum corporis tum animi afflictionibus, propter hoſtium ſuorum perſecutiones, in quibus ſe ſpe auxilii divini mox impetrandi erigit. — Convenit hic quoque Pſalmus temporibus Abſolomicæ ſeditionis.

1. Præfecto chori muſici, fidibus canendus in octachordo. Pſalmus Davidis.
2. Jova, noli in me iracunde animadvertere,
Noli me tam graviter punire.
3. Miſerere mei, nam æger ſum,
Sana me, nam tremunt oſſa mea.
4. Atque adeo anima mea graviſſime angitur,
Tu o Deus, quousque *auxilium differs?*
5. Age, Jova, eripe me,
Serva me pro inſigni tua benevolentia.
6. Mortui te non celebrant *a*),
Apud inferos quis te laudet *b*)?

7. Feſſus

a) In textu quidem eſt אֵין בַּמָּוֶת זִכְרֶךָ *non eſt in morte tui memoria.* Sed quoniam זכר reſpondet יְהוָה in altero membro, haud dubie h. l. ſignificat *laudare, celebrare,* uti alias, e. c. Pſ. 20, 8. Hoſ. 14, 8.

b) Eſt deſcriptio poetica ſtatus animorum poſt mortem. Quem quippe poetæ hebræi ſibi fingunt a ſocietate homi-

7. Feſſus ſum gemendo, tota nocte lectum meum madefacio,
Lacrimis ſtratum meum humecto.
8. Oculi mihi præ moerore contabeſcunt,
Propter tot hoſtes meos conſenui. — c)
9. Recedite a me omnes impii!
Exaudit Jova vocem meam flebilem.
10. Exaudit Jova meam ſupplicationem,
Jova meas preces admittit.
11. Pudore afficientur, immo conturbabuntur graviter omnes inimici mei,
Rejecti ſubito pudefient.

PSAL-

hominum in hoc mundo viventium prorſus ſeparatum, eundemque triſtem, tenebricoſum, in quo perpetuum ſit ſilentium etc. Nec tamen propterea hominibus Vet. Teſt. ex hoc ſimilibusque locis obſcuriorem et incertam animi poſt mortem ſuperſtitis cognitionem tribuendam putem. cf. Pſ. 30, 10. 88, 11. 12. 115, 17. Eſ. 38, 18. 19.

c) In textu legitur עתקה *conſenuit.* Sed interpretes antiqui omnes, præter Chaldæum et Syrum, exprimunt primam perſonam עתקתי quæ ſane aptior videtur. LXX vertunt ἐπαλαιώθην, Aquila: μετήρθην, Symmachus: ἐτριβανώθην, Vulgatus: *inveteravi*, et Hieronymus: *conſumtus ſum.* — Verbum עתק ex Arab. عتق *durare, inveteraſcere* illuſtravit *Schultenſius* in Comment. ad Prov. 8, 18.

PSALMUS VII

Defendit ſe David a calumniis Cuſchi cujusdam Benjaminitæ. Igitur ad tempora Sauli Pſalmus videtur referendus.

1. Carmen *a*) Davidis, quod Jovæ cecinit propter Cuſchum Benjaminitam.
2. Jova, mi Deus, ad te confugio,
   Serva me a tot meis perſecutoribus, et defende me
3. Ne *ille b*) quaſi leo me abripiat,
   Nec ſit qui me liberet aut ſervet *c*).
4. Jova, mi Deus, ſi id feci,
   Si mali quid perpetravi,
5. Si retribui malum mihi rependenti,

Aut

a) In textu legitur שִׁגָיוֹן vocabulum ex arte poetica veterum Hebræorum repetendum, propterea incertum, ut pleraque alia. Præter h. l. tantum Habac. 3, 1. in numero plurali שגיונות legitur, ad quem locum vide ſis Verſionis noſtræ prophetarum minorum edit. 2dam. Verſio græca τῶν ὁ h. l. habet ψαλμὸς, in altero loco ᾠδὴ. Aquilæ et Symmachi verſiones ex Etymologia petitæ ὑπὲρ ἀγνοίας τῷ Δαυὶδ et ἀγνόημα τῷ Δ. obſcuræ ſunt.

b) ſcilicet hoſtis meus.

c) In textu eſt פֶּרֶק ואין מציל ubi ante פרק videtur excidiſſe אין. Supplent hoc οἱ ὁ, μὴ ὄντος λυτρουμένου μηδὲ σώζοντος. Syrus, Arabs, Vulgatus, *dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.*

Aut mihi immerito adverſantem oppreſſi *d*):
6. Hoſtis me perſequatur, meque aſſecutus
Ad terram proculcet et humi proſternat. — *e*)
7. Surge, Jova, in ira tua, oſtende te contra hoſtium meorum furores,
Adſis in auxilium meum, æquitatem præcepiſti *f*).

d) Lectio recepta וְאַחֲלִיצָה non commodam admittit explicationem. Vulgaris illa, ex Judæis interpretibus petita, *quin potius eripui*, neque uſui biblico hujus verbi, neque apodoſi in ſequenti verſu ſatis convenit. Præferendam igitur puto lectionem a Syro et Chaldæo ſervatam, qui literis transpoſitis legerunt: וְאֶחָלְצָה. Ille enim vertit ܘܐܬܚܠܨ *et ſi oppreſſi*. Hic: וְדַחֲקִית cf. *Michaelis* in Supplementis ad Lex. Hebr. p. 794.

e) hebr. וְכָבוֹדִי mihi videtur h. l. eſſe ſynonymum *τοῦ* נַפְשִׁי et *τοῦ* חַיַּי præcedentium membrorum, pro quibus et alias ponitur e. c. Pſ. 16, 9. 30, 13. 57, 9. quam variationem latine exprimere non poſſumus. — Alii de dignitate regia explicant, cujus obtinendæ Deus Davidi ſpem fecerat.

f) Verto verba textus paullo obſcuriora ſine mutatione ab *Hubigantio* et aliis tentata. עוּרָה אֵלַי *expergiſcere ad me*, eſt in ſignificatione prægnante dictum: *expergiſcere et propera ad auxilium meum.* מִשְׁפָּט צִוִּיתָ *jus* ſ. *æquitatem præcepiſti* ſc. in verbo tuo. Aequum eſt, ut jus mihi reddas, cum ipſe hoc ab omnibus fieri præcipias.

8. Gentium coetus te circumſiſtit,
Summum locum jam occupa *g*).
9. Jova, omnium gentium judex,
Me pro innocentia et integritate mea judica.
10. Ceſſet tandem impiorum malitia, et bonos confirma.
Tu qui probas *h*) corda et renes, Deus juſte!
11. Deus me protegit, ſolet enim pios defendere.
12. Deus eſt juſtus judex, ſemper *impio* iraſcitur.
13. Niſi reſipiſcat, gladium ſuum acuit,
Arcum tendit et aptat.
14. Contra eum parat arma lethifera,
Sagittas aptat ardentes. —
15. En! concepit iniquitatem,
Facinore eſt gravidus, ſed abortum faciet. —
16. Foveam

g) Recte interpretes obſervant, Davidem alludere ad morem regum orientalium habendi judicia, qui magno hominum comitatu ſtipati ſolent apparere, thronum eminentem occupare et tunc ſententiam dicere. Quod ut Deus quoque in ſua cauſſa faciat, David in ſequenti verſu rogat. Cæterum pro שׁוּבָה *revertere*, fortaſſe legendum eſſe שִׁבָה a ישב *ſedere*, ut Pſ. 9, 5., probabilis eſt conjectura *Doederleinii*, quanquam hujus lectionis nullum eſt apud antiquiores interpretes indicium.

h) Literam ו ante בְּחַן omittunt *oi ɔ*, Syrus, Arabs, Vulg. — Vocabula tropica de cognitione Dei intimarum cogitationum et cupiditatum hominis, in verſione retinui, utpote ſatis nota neque intellectu difficilia.

16. Foveam effodit et excavavit,
Sed ipſe cadet in foveam, quam ſtruxit.
17. Retorquebitur ejus conatus in caput ipſius,
Ejusque violentia in ipſius verticem deferetur.
18. Ego vero Jovam, uti ejus juſtitia dignum eſt, celebrabo,
Canam nomen Jovæ altiſſimi.

PSALMUS VIII

Celebratur majeſtas Dei in creatione totius univerſi conſpicua, inprimis ejus benignitas in genus humanum.

1. Præfecto chori muſici, ſuper Gittith *a*) Pſalmus Davidis.
2. Jova Domine noſter, quam excellens eſt nomen tuum per totum terrarum orbem!

a) Plerisque videtur eſſe nomen inſtrumenti muſici. Quod num a forma ſua, an a loco, quo inventum ſit, acceperit, incertum eſt. Aquila, Symmachus, *οἱ ὁ* vertunt: *ὑπὲρ τῶν ληνῶν.* Similiter Vulg. et Hieron. *ſuper torcularibus.* Legerunt עַל הַגִּתִּית atque fortaſſe exiſtimarunt carmen eſſe euchariſticum vindemiæ lætitiis deſtinatum. Quæ ſententia non improbabilis videtur *Pfeiffero* in libro de Muſica veterum Hebr. germ. ſcripto, p. 32. — Theodotion vocabulum hebraicum retinuit: *ὑπὲρ τῆς γεθθίτιδος.*

Quam celebratur *b*) gloria tua per totum cælum!
3. Ex ore infantum et lactantium paraſti munimentum *c*)

Contra

b) Quanquam lectio et explicatio vulgaris verbi תְּנָה defendi poteſt, ut ſit infinitivus verbi נתן cum ה paragogico, ad quem verbum finitum ſupplendum ſit, ex idiotiſmo linguæ, de quo cf. *Glaſſius* p. 290.; tamen *Schultenſii* (in Animadverſſ. philol. ad h. l.) ſententia, *Michaeli* aliisque probata, videtur præferenda, quoniam ſic poſterius membrum priori melius reſpondet, nempe verbum אדיר תנה Illud autem cum arabico تَنِي et ſyriaco ܬܢ *laudare, celebrare* idem eſt, atque in ipſo codice hebræo obvium, Jud. 5, 11. 11, 40. Antiquiores interpretes non hoc rarius, ſed illud ſæpius uſurpatum vocabulum expreſſiſſe nemo mirabitur, qui ingenium horum interpretum noverit. Si quis tamen malit ſequi lectionem et explicationem vulgarem, ſubſtituat in verſione: *qui oſtendiſti ſ. manifeſtaſti gloriam tuam.*

c) In textu eſt עֹז quod ex antiquioribus interpretibus οἱ ὁ et Syrus vertunt *laudem.* Sic quoque nonnulli rerentiorum. Sed *roboris* ſive *munitionis* notio præferenda videtur, quoniam in ſequentibus de hoſtibus ſermo eſt, contra quos illud עֹז directum eſſe debet — Hos numinis hoſtes et providentis curæ adverſarios ſatis refelli monet divinus vates, primo ipſa natura humana tot divinæ originis indiciis conſpicua, a qua merito ad immen-

Contra inimicos tuos, ad compeſcendum hoſtem
et ſui ipſius ultorem.

4. Equidem quum cælum, opus digitorum tuorum,
Quum lumen et ſtellas a te conditas video — —
5. Quid eſt homo, ut ejus memineris?
Quid homine natus, ut eum cures?
6. Paullo quidem inferiorem angelis eum feciſti,
Sed gloria et decore eum coronaſti.
7. Operum tuorum dominum eum feciſti,
Omnia ejus poteſtati ſubjeciſti.
8. Oves et boves, etiam feras agreſtes,
9. Aves et piſces, et quæ in mari moventur. —
10. O Jova, Domine noſter! quam excellens eſt nomen tuum per totum terrarum orbem.

immenſam ipſius auctoris naturam concluditur. Deinde infantes h. e. omnes non obtuſi et ſtupidi ingenii facile in admirationem rapiuntur aſtrorum cæleſtium fulgore et pulchritudine, atque attendendo ad hominis ortum et miram ejus inter tam varios caſus tantaque pericula conſervationem. Hi poſſunt argumentis evidentiſſimis ſatis repellere impetus eorum, qui Deum ejusque curam providam pro genere humano negare audent. vid. *Doederlein* in Scholiis ad h. l.

PSALMUS IX

Carmen triumphale propter victoriam ab hostibus reportatam additis precibus pro futuro auxilio obtinendo. — Incertum est, quo tempore aut qua occasione scriptum sit.

1. Præfecto chori musici. Adhibito *instrumento musico* Almuth labben *a*) Psalmus Davidis.
2. Celebrabo Jovam tota mente,
   Enarrabo tot tua miracula,
3. Lætus exsultabo de te,

Canam

a) Vocum hebraicarum עלמות לבן scriptio æque incerta est ac interpretatio. Etenim dissentiunt Codd. dum alii על מות divisim, alii עלמות conjunctim scriptum exhibent. Illud faciunt Chaldæus, Symmachus, Hieronymus et textus hebræus receptus. Hoc οἱ ά, Aquila, Theodotio, quinta, sexta, et 27 Codd. *Kennicotti.* Conjecturæ virorum doctorum super significatione vocis עלמות quæ per regulas criticas utique melius *conjunctim* quam *divisim* legitur, et sequentis לבן variæ sunt, ex quibus eam in versione posui, quæ multis probabilis videtur, nempe nomen esse instrumenti musici. Placuit ea quoque *Koehlero* (in Repertorio Literat. Orient. P. III. p. 41.) quoad prius vocabulum עלמות, posterius vero לבן nomen proprium esse putat magistri symphoniæ, cujus mentio fit 1 Chron. 15, 18. Sed hoc vocabulum בן l. c. ex regulis criticis jure meritoque suspectum est: cf. Versionem nostram Librorum hist.

Canam nomen tuum altiſſimum.

4. Cum retro acti hoſtes mei
Ab ira tua proſtrati perierunt.

5. Nam tu in cauſa mea judicaſti,
Sedes in throno tuo judex juſtus.

6. Gentes profligaſti, perdidiſti impios,
Nomen eorum in æternum deleviſti.

7. Hoſtes conſumti ſunt vaſtitatibus æternis,
Oppida *eorum* deſtruxiſti, periit eorum memoria *b*).

8. Jova manebit in perpetuum,
Stabiliyit thronum ſuum ad judicium habendum.

9. Is vero mundum juſte judicabit,
Jus populis ex æquo dicet.

10. Jova defendet tenues,

b) In textu legitur אֹיֵב זְרָם הֻמָּה ubi variant interpretes in vertenda voce הֻמָּה. *oi ó* habent: *μετ' ἤχου*, derivantes ab הָמָה *ſtrepuit, tumultuatus eſt.* Alius interpres græcus: *σὺν ἀυτοῖς.* Sic quoque Hieronymus: *cum ipſis*, legerunt וְהֻמָּה. *Michaelis* Arab. هُمِيَ *diſperſit* in ſubſidium vocat. vid. Ejus Supplementa ad Lexica hebr. p. 551. — Equidem non arbitror tam longe petendam eſſe explicationem hujus vocis. Eſt idiotiſmus linguæ, cujus multa exempla extant, quo pronominibus affixis pronomen ſeparatum ejusdem perſonæ, generis et numeri in ſtilo affectuoſo addi ſolet. Vide ſis *Glaſſium* p. 148.

Tuebitur eos temporibus adverſis —
11. Propterea tibi confident tui amantes,
Nam non deſeris tuos cultores.
12. Canite Jovam Sione habitantem,
Inter gentes prædicate ejus opera;
13. Quia perſequitur cædes, earumque recordatur,
Non immemor eſt querelarum miſerorum.
14. Miſerere mei, Jova, aſpice meam propter inimicos meos miſeriam.
Tu enim is es, qui me ex præſentiſſimo mortis periculo liberare potes *c*).
15. Ut tot tuas laudes celebrare poſſim,
Atque Sione de tuo auxilio exſultare.
16. Demerſæ ſunt gentes in factam a ſe foveam,
In reti ab eis occultato capti ſunt earum pedes.
17. Deus ſe manifeſtavit, judicium exercuit,
Impii ipſis ſuis facinoribus ſunt irretiti *d*).
18. Abeant

c) Ad literam eſt: *qui me exaltas ex portis mortis.*

d) Omiſi vocabulum הִגָּיוֹן ſimile haud dubie ſequenti סֶלָה de quo ad Pſ. 3, 3. dictum eſt. οἱ ὁ et Aquila verterunt ᾠδή, Symmachus μέλος, Theodotio ψάλτης, et alius græcus interpres μελῴδημα, tandem Hieronymus: *meditatio.* Sed obſtare videtur, quod Pſ. 92, 4. hoc ipſum vocabulum inter alia inſtrumenta muſica occurrit. *Schultenſius* ad Proverbia p. 322. obſervat, apud Arabes הגיון de carmine ſatyrico, quo hoſti inſultatur, uſur-

18. Abeant ad inferos omnes impii,
Omnes gentes Dei immemores.
19. Etenim non perpetuæ oblivioni datur egenus,
Non ſemper irrita eſſe ſolet ſpes miſeri.
20. Surge, Jova, ne homines prævaleant,
Judicentur a te gentes!
21. Injice eis timorem *e*),
Ut ſe homines eſſe intelligant.

PSALMUS X *a*)

Placet conjectura Michaelis, hunc Pſalmum eadem qua præcedens occaſione a Davide ſcriptum eſſe. Nempe cum Iſraelitæ bellum

uſurpari. cf. Thren. 3, 62. ubi eadem ſignificatio locum habet. Hinc *Michaelis* vertit: *o Gelæchter!* Egit de hac voce in Supplementis ad Lexica hebr. p. 496.

e) Sic verto ex lectione marginali, quæ ה loco א poſitum eſſe obſervat. Exhibent quoque eam tres Codd. Kennicotti, Chaldæus, Aquila, Theodotio, Hieronymus. Sed *οἱ ὁ* habent: *κατάστησον νομοθέτην ἐπ' αὐτούς*. Sic quoque Vulgatus, Syrus et Arabs: *conſtitue domine legislatorem ſuper eos*, legerunt מוֹרֶה a יָרָה. Unus Symmachus habet: *τάξον κύριε νόμον αὐτοῖς*, quaſi legiſſet תּוֹרָה Non placet *Schultenſii*, quam *Michaelis* in verſione poſuit, explicatio: lege ihnen das Schærmeſſer an; neque mutatio hujus *novaculæ* in *capiſtrum* a *Venema* tentata.

a) In verſione græca, latina et arabica jungitur hic Pſalmus præcedenti; hinc alius ordo in his verſionibus venit

bellum gererent cum gentibus finitimis foedifragis, idque ab initio parum feliciter. Atque has quas ab hoſtibus ſuis perpeſſi ſunt vexationes, deſcribit hic Pſalmus inprimis, additis precibus pro liberatione mox impetranda. — Ad hoſtes ipſius Davidis, vel Saulum et aulicos ejus, vel Abſolomum et ſocios, non videtur referri poſſe, propter verſum ſextum decimum, in quo illi impii גוים *gentes vocantur, ex terra Jovæ ejiciendæ.*

1. Quid ſtas e longinquo, Jova!
Quid occultas te tempore adverſo?
2. Propter ſuperbiam impii anguntur *b*) tenues,
Capiun-

venit usque ad Pſalmum 147, qui rurſus in duo eſt diviſus. *Kennicottus* obſervat, Codd. 142 et 122 hunc Pſalmum tanquam partem præcedentis ſcriptum exhibere. Præſtat haud dubie ordo Codicum hebræorum receptus. cf. *Montefalconius* in Hexaplis ad h. l.

b) Recte, uti arbitror, *Koehlerus* in Repertorio P. III. p. 48 obſervat דלק ſignificare quidem *perſequi*, ſed non paſſive dici, *perſecutionem pati* ſ. *agitari*. Hinc non probari poſſe *Jo. Guil. Schroederi* explicationem in Commentario in hunc Pſalmum, a *Michaele* aliisque receptam, *impetuoſe huc illuc agitatur humilis*. Sed דלק apud Arabes in prima ſignificatione eſt *urere*, hinc transfertur ad *animi angorem* atque ad *perſecutionem incitatiorem*. Illa eſt huic loco aptiſſima, quam et antiquiores interpretes expreſſerunt, nempe οἱ ὀ, ἐμπυρίζεται, Aquila: καίεται l. ἐκκαίεται. Symmachus: φλέγεται. Vulg. *incenditur*. Syrus ܡܬܠܗܛ

Capiuntur eorum conſiliis, quæ machinantur.

3. Immo gloriantur impii, quod omnia ſibi e voto ſuccedunt,

Et rapaces *c*) ſe beatos exiſtimant.

4. Spernit Jovam *d*) impius pro faſtu ſuo,

Nihil cognoſcere, nihil valere Deum arbitratur *e*).

5. Proſpere ſuccedunt omnia. *f*) Remota ab eo ſunt tua judicia.

Omnes

c) Sic verto בּוֹצֵעַ ex ſententia *Schnurreri* (cujus extat in hunc Pſalmum eruditiſſima diſſertatio 1779 Tubingæ habita) qui obſervat, hoc verbum univerſe quidem denotare iniqui lucri ſtudioſum, ſed h. l. cum ſermo ſit de hoſtibus, terram Iſraeliticam infeſtantibus, intelligendas eorum prædationes et latrocinia. Sic dicitur quoque de rege Chaldæorum Habac. 2, 9.

d) Duo vocabula extrema verſ. 3. melius incipere verſ. 4. jam plures interpretes obſervarunt, *Hubigantius*, *Venema*, *Zachariæ*, *Schnurrerus* l. c. Sic enim verba facilius fluunt et melius reſpondent verſ. 13. in quo ad hunc manifeſte reſpicitur.

e) Verborum אֵין אֱלֹהִים non poteſt eſſe is ſenſus, quaſi iſti impii negarent eſſe Deum, quod parum conſentiret cum aliis eorum dictis verſ. 11. ſed dicuntur negare divini numinis rationem habendam eſſe, quoniam ab hoc nihil vel metuendum ſit vel ſperandum. cf. 2 Sam. 19, 7.

f) Diſſentiunt interpretes in vertendo verbo יְחִילוּ. Alii

ex

Omnes adverſarios ſuos diffiat *g*).

6. Nunquam, inquit, calamitati ſuccumbam,
Per multas ætates beatus *h*) mali expers ero.

7. Per-

ex ſignificatione *torquendi* vertunt *diſtortæ ſunt viæ ejus*, h. e. vita et mores eorum ſunt perverſæ. Alii ex altera ejusdem verbi ſignificatione *viribus valere* explicant de felici ſucceſſu conatuum impii. Hos ego in verſione ſecutus ſum, quoniam totus verſus hanc fortunam felicem horum hominum deſcribit. Emendationem maſorethicam דרכיו pro דרכו exhibent verſiones antiquæ et 50 Codices *Kennicotti*.

g) hebr. יָפִיחַ בָּהֶם Etiam latine ſic dici poſſe jam a *Geiero* aliisque obſervatum eſt ex *Plauti* loco in Milite glorioſo Act. I. Sc. I, 17. *cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu, quaſi ventus folia.* Sine tropo: *repellis, proſternis.*

h) אֲשֶׁר varie explicatur. Mihi quidem præ aliis placet ſententia *Venemæ*, qui (in Comment. ad h. l.) putat nomen eſſe אֶשֶׁר cujus pluralis אַשְׁרִים in forma ſtatus conſtructi אַשְׁרֵי frequenter occurrit. *Schnurrerus* quidem in laudata diſputatione ſine mutatione punctorum illud אשר explicat conferendo locum Exod. 32, 22. *tu noſti populum* כִּי בְרָע הוּא *quod pravus ſit;* ex quo etiam noſtrum locum אֲשֶׁר לֹא בְרָע non de calamitate, ſed de pravitate morum et vitæ intelligi poſſe exiſtimat: *cogitat ſecum, nunquam ego vacillabo, utpote qui non ſum pravus.* Atque hunc ſenſum magnam vim habere

7. Perjurio plenum os habet, fraudibusque et perfidia,
Linguæ ejus facinus et ſcelus ſubeſt.
8. Sedet in inſidiis pagorum *i*),
In latebris interficit innocentem,
Oculis ſuis obſervat miſerum *k*).

9. Inſidi-

bere dicit ad augendam horum hominum, de quibus ſermo eſt, turpitudinem, quæ tanta ſit, ut ſibi ipſi boni et honeſti videantur. At enim vero quanquam ingenioſa et docta eſt hæc interpretatio, magnamque veri ſpeciem habeat, tamen dubium mihi circa eam remanet hoc, quod non ſatis apti videantur hujusmodi ſermones iſtis hominibus, qui providentiam divinam negabant omnemque illius reverentiam depoſuerant. Quid illi virtutis honeſtatisque laudem obtinere curarent?

i) De חֲצֵרִים *pagis* (Hüttendörfer der Araber) cf. *Faber* in Archæol. Hebr. p. 136. et *Michaelis* in Supplementis ad Lexica Hebr. ſub h. v.

k) Vocabulum חֶלְכָּה quod in hoc Pſalmo tantum hoc verſu et 10. 14. occurrit, mihi quidem rectiſſime a *Schultenſio*, *Schroedero* aliisque videtur derivari a חָלַךְ arab. حلك *nigrum eſſe*, quod deinde ad *ſtatum miſerum et afflictum* transfertur. Conſentiunt interpretes antiquiores fere omnes, οἱ ὁ, Aq. Sym. Syrus, Chald. Vulgatus. At dubium movet contra hanc originationem et ſignificationem *Michaelis* in Supplementis ad Lexica hebr. p. 771. nempe literam ה quæ in numero plurali verſ. 10 extat, non poſſe cum ה numeri

ſingu-

9. Insidiatur in occulto, ut leo in lustro suo.
Insidiatur ad abripiendum pauperem.
10. Abripuit pauperem *l*) eumque reti suo trahit.
Incurvat sese et procumbit *m*),
Incidunt miseri in ejus laqueos *n*).
11. Deus, inquit, ejus immemor est, eum non curat,
Nec unquam in hæc animadvertit. —
12. Surge, Jova Deus, effer manum tuam,

singularis esse permutatam. Hinc magis inclinat ad eorum sententiam, qui חלכה in vers. 8 et 14 dicunt esse substantivum חַיִל *exercitus* cum affixo secundæ personæ כָּה. Pluralem vero vers. 10 duas esse voces חיל באים ubi Masorethæ quoque legi præcipiunt: *exercitus fessorum* a חיל et באה Tandem tamen fatetur quæstionem nondum satis expeditam esse.

l) Recte observat *Schnurrerus* l. l. cum his verbis novum versum inchoandum esse, quoniam comparatio cum leone non amplius continuatur, quod sequentia verba בְּמָשְׁכוֹ בְרִשְׁתּוֹ manifeste docent. Nova utitur poeta similitudine a venatore sumta, qui solet feris avibusque reti aut laqueo posito insidiari.

m) Verbum ודכה sive ידכה ex sequenti יִשַּׁח explicandum est, et fortasse in Hithpael יִדָּכֶה legendum. Solent venatores et aucupes tendiculis positis sese occultare, ut animalia eo securius in laqueos incidant.

n) hebr. בַּעֲצוּמָיו in lingua Arab. عصام *vinculum.*

Noli miſerorum oblivíſci.

13. Cur te contemnat impius?
Cur dicat, te non eſſe animadverſurum?

14. Vides enim atque ita vides, ut graviſſimæ ejus miſeriæ certo memineris *o*),
Tibi cauſam ſuam commendant miſeri, tu [illegible] es pupillorum.

15. Frange vires impiorum,
Atque in mali *p*) ſcelera ita animadverte, ut non amplius extent.

16. Jova rex eſt in perpetuum,

Auferen-

o) hebr. לָתֵת בְּיָדֶךָ Optime explicatur phraſis ex Eſ. 49, 16. Qui manui certa ſigna imprimit, facere hoc ſolet in memoriam ejus rei, vel perſonæ, cujus recordari cupit.

p) Eleganter conjectat *Schnurrerus* וְרַע fortaſſe legendum eſſe וְרֹעַ ut ſit imperativus verbi רעע *contudit, comminuit*, quoniam impius, contra quem preces hæ directæ ſunt, ſemper רשע ſolet vocari. Neque diſplicet conjectura *Harii* ab eodem laudata, qui poſtrema verba hujus verſus legere vult תדרוש רשעו בל תמצא quod ſic, judice *Schnurrero*, plus ponderis habeat ſententia atque dignitatis, ſi improbus ipſe, quam ſi vis illis et libido nocendi tolli a Deo penitusque deleri dicatur — Nolui tamen has conjecturas verſioni inſerere, cum lectio recepta interpretationem admittat non incommodam.

Auferentur gentes e terra ejus.

17. Vota miſerorum audis, Jova,
Animos eorum certos reddes, aurem eis præbebis.
18. Cauſam ages pupilli et tenuis,
Ne amplius homines e patria ſua ejiciantur *q*).

PSALMUS XI

Videtur a Davide compoſitus, cum a Siphitis, quorum in montibus latitabat, Saulo eſſet proditus, 1 Sam. 26. — Poſſet tamen etiam ad tempora Abſolomica referri. — Teſtatur fiduciam ſuam et ſpem, futurum eſſe ut res ſuæ in melius mutentur cum hoſtium ſuorum pernicie.

1. Præfecto chori muſici. *Pſalmus* Davidis.

Jovæ

q) Hanc quoque explicationem poſterioris hemiſtichii debeo *Schnurrero* ex laudata diſputatione. Omnes quidem interpretes verba textus אנוש מן הארץ explicant de his ipſis hominibus impiis in Pſalmo notatis, qui jam *terreni* dicantur ad fragilitatem eorum et impotentiam indicandam, ſi cum Deo comparentur. At enim vero ſi iſta hominis fragilitas per ortum ejus ex pulvere terræ innuitur, conſtanter ſolet adhiberi עָפָר et אֲדָמָה v. c. Geneſ. 2, 7. 3, 19. Pſ. 104, 29. 146, 4. etc. nunquam vero הארץ hoc ſenſu. Sed quid impedit quo minus הארץ eo ſenſu accipiatur quo adfuit verſ. 16.? Verbum autem ערץ interdum quoque tranſitive dicitur, ut Job. 13, 25. Non obſtat, quod nomen, unde pendet יוסיף, expreſſum non ſit. Poteſt enim vel רשע ex antecedentibus repeti, vel totum membrum ſubintellecto איש imperſonaliter accipi.

Jovæ confido, quid igitur mihi dicitis:
Fuge ad montes inſtar avis *a*)?
2. Etenim arcum intendunt impii
Aptantque ad nervum ſagittas ſuas,
Ut clam in homines pios jaculentur.
3. Omnibus fundamentis everſis, pius quid faciet? *b*) —
4. Jova in ſancto ſuo templo, Jova in cælo habens ſolium ſuum
Videt et explorat homines.

 5. Jova

a) Lectionem textus hebræi receptam נודו הַרְכֶם צִפּוֹר haud dubie corruptam, ex *Kennicotti* collatione quidem emendare non poſſumus, ex qua hoc tantum diſcimus, quinquaginta Codices exhibere lectionem marginalem נודי ſed ex verſionibus antiquis. Nimirum οἱ ὁ, Syrus, Arabs legerunt נודי הָרִים כְּמוֹ צִפּוֹר *μετανάστευσον ἐπὶ τὰ ὄρη ὡς στρουθίον*, Aquila: *ἀναστατοῦ*, et Quinta: *μετακινοῦ*. Ex quibus verſionibus apparet primo, hos interpretes habuiſſe lectionem marginalem, non textualem; deinde eos legiſſe pluralem *montes*, non ſingularem הרכם *montem veſtrum*. Chaldæus quidem Vulgatus et Hieronymus ſingularem exprimunt: *transmigra in montem ſicuti paſſer*, ſed ſine affixo illo perquam incommodo, quod ortum eſſe puſem ex errore ſcribæ, qui ſequentes literas in voce כמו *ſicuti* bis ſcripſerat.

b) Juſtitiæ nempe et æquitatis. Hæc ſunt verba amicorum Davidis fugam ſuadentium. Ad quæ David in ſequentibus reſpondet.

5. Jova pium explorat *c*),
Impium vero et qui malo delectatur odit.
6. Depluet in impios fulmina, ignem, sulphur.
Ventum adurentem haurient *d*).
7. Justus enim Jova amat justitiam,
Et piorum habet rationem.

PSALMUS XII

Orat David Deum, ut defendere eum et servare velit ab hominibus impiis, insolentibus et perfidis. — Hinc alii, assentatores in aula Sauli innui, alii Ahitophelem describi putant.

1. Præfecto chori musici. Fidibus canendus in octachordo. Psalmus Davidis.
2. Succurre Jova, consumti sunt pii,
Fideles inter homines sublati.
3. Simulate alter cum altero loquitur,
Labiis blandis, mente duplici.
4. Perdet Jova istos mendaces et magniloquos,
5. Qui dicunt: nos linguis nostris pollebimus,
Labia

c) Supplendum est ex sequenti membro: amat eum et defendit. cf. observat. ad Ps. 1, 6.

d) hebr. *portio calicis eorum.* De vento hoc orientis, qui alias רוח קדים dicitur, vid. *Michaelis* in quæstionibus arab. quæst. 24. *Niebuhr* in descriptione Arab. p. 7. seqq. et *Faber* ad Harmarum P. I. p. 65 seqq.

Labia noſtra penes nos ſunt. Quis dominus noſter? —

6. Propter inopum calamitatem, propter egenorum gemitum
Ego jam ſurgam, inquit Jova,
Salutem ei præſtabo in quem ille invehitur *a*). —

7. Promiſſa Jovæ promiſſa pura ſunt,
Argentum probatum, ſponte e terra natum *b*), perfectiſſime purgatum.

a) Non putem neceſſarium eſſe, quod *Michaeli* et *Koehlero* in Repertorio P. III. p. 72. videtur, ut propter interpretes antiquos lectionem receptam יָפִיחַ לוֹ mutemus in אוֹפִיעַ לוֹ Mihi quidem facillima videtur explicatio, ſi פּוּחַ eodem ſenſu ſumatur, quo Pſ. 10, 5. adfuit.

b) Verba textus ſunt בַּעֲלִיל לָאָרֶץ quæ auctore Chaldæo interprete vulgo vertuntur *in catino argillaceo*. Sed hanc explicationem *Koehlerus* l. c. aliique nonnulli in dubium vocarunt, cum עליל ſit ἅπαξ λεγ. atque Hebræi in tali conſtructione ſubſtantivum ſimpliciter ſoleant addere, ut כְּלִי בֶסֶף, et quid aſtinebat hoc loco materiam catini indicare? *Schultenſius* in Origg. T. I. p. 164. et qui eum ſequuntur *Venema* in Comment. et *Doederlein* in Scholiis עליל deducunt ab Arab. עלל *haurire*, idque explicant ex antiqua ratione purgandi metalla, qua in partes minutiſſimas diſſecta a partibus terreſtribus purgabantur, hinc בעליל בארץ ad literam ſonaret: *cum exhauſtione terræ*, h. e. argentum, ex quo

8. Servabis nos *c*) Jova, ſemper nos defendes ab iſta generatione.

9. Ubi-

quo omnes terræ particulæ ſublatæ ſunt. — *Scheidius* in Diſſertat. ad Canticum Hiskiæ p. 104. edit. recent. laudat ſententiam Batavi cujusdam docti, qui conjecta-vit בעליל eſſe participium in Pihlel a בעל *turſit*, (quam τοῦ בעל primariam ſignificationem eſſe proba-vit *Schultenſius* ad Prov. 30, 23.) hinc indicari nobilius illud argentum, quod ſponte ſua e terra promicet et extrudatur, ἄπυρον. — *Kochlerus* l. c. exiſtimat anti-quos interpretes non legiſſe בעליל ſubſtantivum cum præpoſitione, ſed adjectivum, fortaſſe בחור vel נבחר בארץ quod ipſum Syrus interpres adhibuit et *Hieronymus: argentum — ſeparatum a terra.* Sed nimis recedit hoc נבחר a lectione recepta בעליל, et quid impedit quo minus eam hi interpretes hoc eodem modo intellexe-rint, quo *Schultenſius* explicavit, cum cujus ſententia quoad ſenſum conveniunt, aut, quod ſæpiſſime in le-ctionibus difficilioribus fecerunt, ſenſum divinarint? Cum *Scheidii* explicatione memorata convenit in ſenſu *Michaelis*, ſed non in interpretatione verborum. Vertit: argentum in officina terræ perpurgatum (ein von der Erde in ihrer Werkſtatt gereinigtes Silber), quo ar-gentum illud ἄπυρον a Davide putat indicari. — Poſui in verſione hunc ſenſum et lectoribus optionem re-linquo, qua ratione eum e verbis textus probare velint.

c) Pro תִּשְׁמְרֵם תִּצְּרֶנּוּ *cuſtodies eos, ſervabis eum*, οἱ ὁ

et

9. Ubique obverſantur homines impii,
Dum exaltantur viliſſimi hominum.

PSALMUS XIII

Referri poteſt ad perſecutiones Sauli, de quibus utpote diu jam perpeſſis queritur, nec tamen de auxilio divino impetrando deſperat.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Quousque, Jova, mei immemor eris?
Quousque faciem tuam a me abſcondes?
3. Quousque animo anxius, mente ſollicitus ero?
Quousque ſe hoſtis adverſus me inſolenter geret?
4. Reſpice me, exaudi me, Jova, exhilara oculos meos,
Ne tandem iſtis periculis ſuccumbam *a*),
5. Ne hoſtis me a ſe victum et ſuperatum glorietur,
Ne exſultent adverſarii mei, cum me loco motum videant.
6. Etenim ego tuæ benignitati confido, exſultabo de ſalute tua.
Jovam canam, quod mihi benefacit.

et Vulg. legerunt תְּשַׁמְּרֵנִי et תְּצָרֵנִי. Sic etiam habet Codex 82 *Kennicotti.* Lectio haud dubie receptæ præferenda.

a) hebr. *ne dormiam mortem*, Ellipſis eſt ſubſtantivi שֵׁנָה *ſomnus.* Phraſis plene legitur Jer. 51, 39. *dormient ſomnum æternum.*

PSALMUS XIV

Contra homines profanos, qui, divinam providentiam negantes, moribus erant corruptiſſimis aliosque opprimebant. Cum hæ Davidis querelæ ſatis probent, eum ipſum non valuiſſe horum hominum potentiam reprimere, non improbabile videtur, Joabum aut alios potentes aulicos Davidis innui. coll. 2 Sam. 3, 28 ſeqq. 20, 8 ſeqq. 1 Reg. 2, 5. 6.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
Impii cogitant non eſſe Deum,
Perditis et deteſtandis moribus ſunt. Nullus recte agit.
2. Jova de cælo hominum genus proſpicit,
Ut videat, num quis ſapiat? num quis Deum curet?
3. Sed omnes deflexerunt, omnes intime ſunt corrupti,
Non eſt qui recte faciat, ne unus quidem.
4. Annon poenas dabunt *a*) iſti impii omnes,
Qui populum meum opprimunt *b*), Jovam non invocant?
5. Immo

a) Verbum יָדַע ſignificare quoque *poenas luere*, ſatis probarunt *Schultenſius* ad Job. 21, 19. Jud. 8, 16. et *Venema* ad h. l. et ad Jer. 31, 19. Contextui videtur hæc ſignificatio aptior, quoniam ſententias facit graviores. Lego vero non יְדָעוּ ſed יֵדְעוּ uti οἱ ὁ, οὐχὶ γνώσονται et Vulg. *nonne cognoſcent?*

b) hebr. *qui comedunt populum meum tanquam ſi panem comederent.* Quoniam hæc tropice dicta, duriora videbantur in lingua latina, verbis propriis ſenſum in verſione indicavi.

5. Immo tandem aliquando *c*) contremiſcent, nam
Deus adeſt piis.
6. Afflicti fiduciam derident *d*),
Quod in Deo ſpes ejus ſita eſt.
7. Utinam e Sione ſalus Iſraeli veniret,
Sublatis a Jova tot populi ſui malis *e*).
Quam exultabit Jacobus! quam lætabitur Iſrael!

PSALMUS XV.

Docetur qui ſint veri Dei cultores ejusque favore et tutela digni. Probabile eſt Davidem hunc Pſalmum compoſuiſſe cum arcæ legis tabernaculum in Sione paraſſet; atque hac occaſione homines, inprimis principes et magiſtratus ad veræ pietatis et juſtitiæ ſtudium excitaſſe.

C 5 1. Pſal-

c) שָׁם non tantum eſt adverbium *loci*, ſed etiam *temporis*, v. c. Pſ. 36, 13. 132, 17. Prov. 8, 27. Sic græce quoque ἐκεῖ et latine *ibi*.

d) In textu eſt: עֲצַת־עָנִי תָּבִישׁוּ *conſilium afflicti*, quodnam? haud dubie id quo Dei auxilium expectant, uti ſequens membrum dicit. Ergo fiduciam in Deo poſitam indicat. Sed pro ſecunda perſona תָּבִישׁוּ *pudore afficitis*, malim legere tertiam יָבִישׁוּ quam Syrus et Arabs exprimunt; vel הבישו quod habet Cod. 142. *Kennicotti*.

e) hebr. בְּשׁוּב יְהוָה שְׁבוּת עַמּוֹ. Non de captivitate, neque de reditu ex exſilio ſermo eſt. Ex Job. 42, 10. plane apparet Hebræos *captivitatem* pro quavis calamitate gravi, aut miſera et afflicta conditione dixiſſe.

1. Pſalmus Davidis.
Quis, Jova, in tuo tabernaculo morari,
Aut *a*) quis in ſancto tuo monte habitare audeat?
2. Qui vitæ integræ et veræ pietatis ſtudioſus eſt,
Qui verum ex animo loquitur.
3. Qui ſermonibus ſuis alteri non obtrectat,
Damnum aliis non infert, nec quemquam calumniatur.
4. Cui impii deſpiciendi, Jovæ reverentes honorandi videntur,
Qui jurat alteri *b*) nec mutat.
5. Qui

a) In textu recepto eſt מִי ſed 27 Codd. *Kennicotti* habent וּמִי. Sic quoque legerunt interpretes antiqui omnes præter Chaldæum. Senſum non mutat; nec tamen negligendum videbatur.

b) Verba textus נִשְׁבַּע לְהָרַע a nonnullis interpretibus antiquioribus et recentioribus vertuntur: *qui jurat in damnum ſuum*, quaſi לְהָרַע eſſet infinitivus conjugationis Hiphil verbi רוּע *malum eſſe*. At enimvero ſic ſcriptum eſſe deberet לְהָרַע לוֹ ſive לְנַפְשׁוֹ. Veram haud dubie lectionem exhibent οἱ ὁ, ὀμνύων τῷ πλησίον αὐτοῦ καὶ οὐκ ἀθετῶν. Vulgatus et Syrus: *qui jurat proximo ſuo.* legerunt לְהָרֵעַ. Neque aliter Symmachus: ὀμόσας ἑταίρος εἶναι καὶ μὴ ἀλλαγείς. Alteram lectionem exhibent Chaldæus, Aquila, Theodotion: τοῦ κακῶσαι καὶ οὐ σφάλῃ, et Hieronymus: *jurat ut ſe affligat et non mutat.*

5. Qui pecuniam ſuam non dat ad uſuram,
Nec munere ſe corrumpi ſinit, ut innocenti noceat.
Hæc qui facit, a nullo malo opprimitur.

PSALMUS XVI

Ex Act. 2, 27. 31. plane apparet, perſonam quæ in verſu decimo hujus Pſalmi loquens introducitur, non eſſe Davidem, ſed Jeſum Meſſiam. Quæ verba ſi non ſunt Davidis, reliqua quoque ejusdem perſonæ ſint neceſſe eſt, quoniam una tantum, quod totus contextus docet, loquitur. — Meſſias igitur, qui ut ſacerdos ſiſtitur verſ. 4. et 5. fiduciam ſuam teſtatur in Deo poſitam, a quo non ſolum conſervationem in mediis afflictionibus ſperat, ſed etiam reſuſcitationem ex mortuis ad lætitiam apud Deum æternam perfruendam.

1. Epitaphium *a*). Pſalmus Davidis.
Serva me, o Deus, ad te enim confugio.

2. Dixi

a) Verti vocabulum hebraicum מִכְתָּם *epitaphium*, quoniam argumentum Pſalmi hanc ſignificationem requirere videtur, quanquam non ignoro etiam in genere de quacunque inſcriptione aut monumento publice erecto illud dici, atque hinc bene a LXX interpretibus verſum eſſe per *ἐπιγραφίαν*. Sed perſona quæ in hoc Pſalmo loquitur, ſiſtitur tanquam in ſepulcro depoſita, mox vero in vitam revocanda, verſ. 10.

2. Dixi *b*) Jovæ: Tu es dominus *c*),
Nulla mihi felicitas præter te contingere poteſt *d*).
3. Sanctis

b) Aſſentior viris doctis, qui pro אמרת *dicis*, legendum eſſe cenſent אמרתי *dixi*. Sic quoque omnes interpretes antiqui præter Chaldæum, et 20 Codd. a *Kennicotto* citati. Durior mihi videtur Ellipſis τοῦ נַפְשִׁי neque loca, quæ pro ea citantur, aliquid probant, e. c. Pſ. 42, 6. 43, 5. Jer. 4, 19. Thren. 3, 24. nam in his נפש aut לב non deeſt, ſed legitur. *Schnurrerus* quidem (in Animadverſſ. ad loca quædam Pſalmorum Faſc. I.) ex lege critica, quæ lectionem difficiliorem faciliori præferre præcipit, defendit lectionem receptam. At enim vero dubito, an hæc lex, in criſi ſcriptorum græcorum et latinorum recte lata, ad criſin Hebræorum ſemper ſatis tuto transferri poſſit, quoniam ex literarum ſimilium confuſione, aut etiam minoris Jod omiſſione facile ortæ eſſe poſſunt lectiones duriores, quibus faciliores, geminas literas reſtituentes, præferendæ ſunt.

c) Pro אֲדֹנָי quinque Codd. *Kennicotti* habent יהוה qui ſic confirmant lectionem receptam *dominus*, pro qua *Michaelis* et nonnulli alii legere malunt אדני *dominus meus*, provocantes ad τοὺς ὁ, Vulgatum, Syrum et Chaldæum eandem lectionem exhibentes. Sed nec rerepta lectio ſenſum durum, aut multum diverſum ab illo habet: *Tu es dominus*, i. e. tu es dominus Jova, quem veneror.

d) Equidem non arbitrer lectionem receptam טוֹבָתִי בל־עליך

3. Sanctis qui in terra ſunt, mira præſtabo *e*).

His

בַל־עָלֶיךָ eſſe ſollicitandam, quod *Hubigantio, Michaeli, Koehlero* aliisque videtur. Bene obſervat *Schnurrerus* l. l. עַל ſæpe indicare *occaſionem* ſ. adjunctionem, et tunc latine vertendum eſſe *præter*, e. c. Geneſ. 32, 12. Exod. 35, 22. Amos 3, 15. etc. Neque verſiones antiquorum interpretum probant diſſenſum a lectione recepta, quippe quæ עַל eodem ſenſu explicant, quo ſumendum eſſe diximus.

e) Lectionem receptam h. l. non admittere probabilem explicationem, apparet ex diſſenſu antiquiorum interpretum et recentiorum, quem pluribus expoſuerunt *Michaelis* in Collegio Critico et *Schnurrerus* in Diſput. laud. Nolo ego augere numerum conjecturarum ſuper his verbis, quæ ſane emendatione egere videntur. Perplacet propter facilitatem ſuam ea quam *Schnurrerus* l. c. attulit. Nimirum pro וְאַדִּירֵי legendum cenſet אָדִיר quod ſit prima perſona futuri Conjugationis Hiphil pro אַאדִּיר ex אַאֲדִיר plane ut Job. 32, 11. אָזִין pro אַאֲזִין (cf. ſimilem conjecturam ad Pſ. 144, 12. not. g). Ex qua forma vocis obſcura et inſolita recte infert Vir Celeberrimus, mirum non eſſe hæſiſſe ac fluctuaſſe veteres interpretes, quippe qui a ſubtili legum grammaticarum ſcientia minime erant inſtructi. Litera Vau vero ante אַדִּירֵי quam neque οἱ ὁ, Aquila, Symmachus et Vulgatus legerunt, voci כָּל præponenda eſt. Quibus admiſſis omnia limpide fluunt, atque cum ſequentibus aptiſſime cohærent.

His enim inprimis delector.

4. Mala ſibi accumulabunt, qui retrorſum feſtinant *f*),
Non libabo libamina eorum ſanguinaria, nec pro eis deprecabor *g*).

5. Jova

f) Verba textus אַחֵר מָהֲרוּ plerique interpretes vertunt: *qui alium Deum feſtinanter ſequuntur.* Sed recte jam ab aliis obſervatum eſt, אחר abſolute poſitum, nunquam ſignificare *Deum alium,* niſi Jova ipſe verba faciens illum alium a ſe diſtinguat, veluti Eſ. 42, 8. 48, 11. deinde מהר ſi ſit *feſtinare*, non eſſe verbum tranſitivum, quod cum accuſativo nominis jungi poſſit, dicendumque fuiſſe מהרו אחרי אלהים אחרים ut Deut. 6, 14. At Symmachus veram haud dubie lectionem ſervavit, dum vertit: *εἰς τὰ ὀπίσω ἐτάχυναν.* Legit ergo אָחֹר coll. Eſ. 1, 4. 42, 17. *Retrorſum feſtinare* nihil aliud eſt, quam nolle ſequi Meſſiam, omnemque cum eo conjunctionem reſpuere ac repudiare, uti recte explicat *Schnurrerus* l. c. De his protervis Meſſiæ contemtoribus, qui *τοῖς* קְרוֹשִׁים ei deditis et addictis opponuntur, dicitur: יִרְבּוּ עַצְּבוֹתָם *augent ſibi dolores*, non *idola*, quæ עצבות nunquam ſignificant; illud vero quam ſevere in Judæis Meſſiam rejicientibus ſit impletum, ex hiſtoria ſatis conſtat.

g) Siſtitur Meſſias ut ſacerdos. Hujus enim erat libamina libare, Num. 6, 17. et pro ſacrificante apud Deum deprecari. *Cruenta* dicuntur libamina iſtorum Meſſiæ contemtorum, h. e. deteſtabilia, Deo æque ingrata, ac

ſi

5. Jova eſt mea pars, portio et calix meus *h*).
Tu amplam latamque, mihi dediſti hæreditatem *i*).
6. Tributa mihi eſt amoena regio,
Immo hæreditas mea mihi quam maxime placet *k*).
7. Gra-

ſi vini loco, quod erat lege ſancitum, ſanguis eſſet adhibitus. Libamina h. l. ſynecdochice dicuntur, pro univerſo genere ſacrificiorum, atque ſenſus verborum eſt: miſeros iſtos, qui Meſſiam averſentur, ſibimet ipſis graviſſimam miſeriam inferre, quoniam divina, quæ ex ipſius ſacerdotali munere conſequi potuiſſent beneficia, proterve neglexiſſent et repudiaſſent. Sic veriſſime explicat h. l. *Schnurrerus* l. c.

h) Phraſis ſumta eſt a ſacerdotibus et Levitis, qui quod nullos in terræ diſtributione fundos acceperant, de ſacrificiis aliisque Jovæ conſecratis vivebant, hinc Jova pars et hæreditas eorum eſſe dicitur. Num. 18, 20. Deut. 10, 9. 18, 2. etc.

i) Sic explico תּוֹמִיךְ auctore *Schultenſio*, qui in Inſtitt. L. Hebr. p. 298. illud derivavit ab Arab. ומך ימך ſive *amplum, latum eſſe*. In conjugatione Hiphil igitur eſt: *amplam et latam ſortem mihi tribuis*. Quanquam a plerisque interpretibus habetur pro participio conjugationis Kal a תמך *fulcire, ſuſtinere*, tamen aptior videtur illa ſignificatio, quoniam ſic regni Meſſiani per totum terrarum orbem dilatandi amplitudo prædicitur.

k) יָשְׁפַּר ἅπαξ λεγ. in Chald. et Syr. lingua eſt *pulchrum eſſe*, et cum עַל conſtructum *placere*, Dan. 4, 24.

7. Gratias ago Jovæ, qui ſuas mihi dedit promiſſiones *l*),
Noctu adeo intimo ejus afficior deſiderio *m*).
8. Semper Jovam ob oculos habeo, me defendit,
Non ſuccumbam his afflictionibus *n*).
9. Propterea lætatur cor meum, animus meus exſultat,
Etiam corpus meum tuto quieſcet.
10. Etenim animam meam non apud inferos relinques *o*),
Nec permittes, ut tibi deditus *p*) experiatur corruptionem.

11. Me

l) יִעַץ non ſolum eſt *conſulere*, ſed etiam *prædicere res futuras*, Num. 24, 14. ut Arab. بحو *monere*, in primis prædictione rerum futurarum.

m) hebr. *etiam noctu pungunt me renes mei.*

n) hebr. *a dextra mihi eſt, non dimovebor.*

o) Jam a multis probatum eſt שְׁאוֹל Hebræis dici locum, in quo manes congregentur, ſine reſpectu ad ſtatum eorum vel felicem vel infelicem, corpus autem ſepulcro tradi. Utrumque negat divinus vates ſibi eventurum eſſe, neque animæ in שְׁאוֹל apud inferos, neque corpori in ſepulcro diuturnum futurum eſſe domicilium.

p) Quanquam viri quidam docti lectionem vulgarem textus חסידיך in numero plurali defendi poſſe ſtatuunt ſalva argumentatione, quæ ex hac voce inprimis pro Meſſia unico hujus Pſalmi ſubjecto ducitur, auctore Petro Act. 2, 25. et Paulo Act. 13, 35; tamen fateor, mihi lectionem marginalem numeri ſingularis alteri præferendam videri. Nam primo *pluralis* ille *eminentiæ*,

qui

11. Me in vitam reducis.
Magna est apud te lætitia,
Et perpetuam mihi ostendis felicitatem.

PSAL-

qui dici solet, ex quo Viri illi Doctissimi חסידיך singularis numeri tribuunt, vereor ut satis recte huc transferatur. Hebraismus ille locum tantum habet in nominibus *abstractis*, non in *concretis*, exceptis nominibus בעל et ארון quæ dominium notant et קדושים pro nomine Dei in duobus locis Hos. 12, 1. Prov. 9, 10. In reliquis omnibus sunt *abstracta* v. c. cæcitates, lætitiæ, salutes, sapientiæ. (videsis *Glassii* Philol. S. p. 58. edit. nostræ.) Deinde omnibus sine præconcepta opinione perpensis, quæ recentissimus vulgaris lectionis defensor Celeb. *Brunsius* (in nota ad *Kennicotti* Dissert. prælim. p. 23 seqq.) scripsit, tamen me adduci non posse fateor, ut auctoritatem tot Codicum hebr. in quibus Singularis legitur, propter *paucos* quosdam Codd. hispanicos (nam in nonnullis hispanicis tamen quoque Singularis extat) quos Vir Celeberr. præstantissimos judicat, negligendam esse statuam. Tandem ad versionum antiquarum consensum in lectione numeri singularis et ad Petri et Pauli testimonium ll. cc. non temere provocatur, inprimis si ille hebraismus, de quo supra dictum, non satis accurate ad defensionem numeri pluralis est advocatus. vid. *Michaelis* in Collegio critico. *Lilienthal* in Comment. crit. et *Brunsius* l. l. qui recentissimos lectionis vulgaris defensores nominavit.

PSALMUS XVII

Preces pro defenſione adverſus hoſtes impios et potentes, fortaſſe Saulum ejusque aulicos.

1. Preces Davidis.
Audi, Jova, innocentiam. Attende ad clamorem meum,
Admitte preces meas, quæ labiis non fraudulentis *proferuntur.*

2. Te cauſæ meæ judicem poſtulo,
Tu vides quid æquum ſit.

3. Probas me, noctu in me inquiris, exploras me.
Non invenis in me ſcelus *a*). Non approbo aliorum facinora.

4. Secun-

a) In vertendis verſibus 3. et 4, circa quos mirus eſt diſſenſus interpretum antiquiorum et recentiorum, quem accurate recenſuit *Koehlerus* in Repertorio Literat. Orient. P. IV. p. 98. preſſe ſecutus ſum verba textus recepti, neglecta modo diſtinctione accentuum et verſuum. Jam Maſorethæ obſervarunt זמתי non eſſe verbum, ſed nomen, adjecta nota: vocem eſſe מלרע h. e. acutam. At זְמָה in utramque partem dicitur. Igitur cum בַּל תְּמְצָא conſtructum, aptiſſimum ſenſum dat ſine ellipſi, quam ſtatuunt qui זמתי ut verbum vertunt, vel *cogitavi*, vel *capiſtravi*. Priori modo verterunt etiam *ol ó*, Syrus, Vulgatus, Arabs. Sequentia verba: בַּל יַעֲבֹר פִּי jungo cum initio ſequentis verſus לִפְעֻלוֹת אָדָם quod iidem

4. Secundum voluntatem tuam, mihi caveo a viis trunculenti.
5. Suſtenta greſſus meos in viis tuis, ne pes meus labatur.
6. Ego te invoco, nam me exaudis, o Deus!
Præbe mihi aurem tuam, audi meam orationem.
7. Oſtende miram tuam benignitatem,
Tutor eorum qui refugium quærunt a tuæ potentiæ adverſariis.
8. Cuſtodi me tanquam pupillam *b*) oculi,
Sub umbra alarum tuarum me abſconde.
9. Ab impiis qui me incurſant,

iidem illi antiqui interpretes fecerunt; nec ulla mutatione opus eſſe videtur, ſi obſervetur ſignificatio verbi עבר ſequenti ל *connivere, condonare*, Amos 7, 8. 8, 2.

b) In textu ſunt duæ voces ſynonymicæ אִישׁוֹן et בַּת עַיִן Illud eſt diminutivum τοῦ אִישׁ *homuncionem* ſ. *imagunculam* notans, quæ in oculo cernitur. Idem ſignificat alterum בת עין *filia oculi*, eodem tropo, quo Græci quoque utuntur in voce κορη et Latini in *pupilla*, quod et ipſum diminutivum eſt a *pupa*, puella parva et tenera. Conjunctio duarum vocum ſynonymicarum ſuſpicionem movit jam *Vogelio*, ad notas Vatabli in Pſalmos, priorem eſſe gloſſema poſterioris. Antiqui interpretes unam tantum verterunt. Quæ conjectura uti *Koehlero* l. c. ita mihi quoque valde probabilis videtur.

Ab hoſtibus qui ſuperbe *c*) me cingunt,
10. Qui animo ſunt obſtinato *d*),
Atque inſolenter ſe jactant.
11. Greſſus noſtros obſervant,
Oculis intentis interitum noſtrum machinantur.
12. Similis eſt leoni *e*), qui prædæ inhiat,
Aut leunculo inſidianti ex latibulis. —
13. Age, Jova, præverte ejus impetus,
Proſterne eum, defende me tuo gladio ab impio.
14. Ab hominibus *defende me* pro tua potentia.

Ab

c) Sic verto בְּנַפְשׁ ex obſervatione *Schultenſii* (in Origg. Lib. I. p. m. 335.) qui illud a radice נפשׁ *ſpiravit* de ſpiritu ſuperbo et cupiditate nocendi explicavit.

d) Laborant interpretes in verbis חֶלְבָּמוֹ סָגָרוּ *adipem ſuum clauſerunt.* Placet præ aliis ſententia *Schnurreri* (in Faſcic. II. Animadverſſ. in Pſalmos p. 5.) חלב h. l. idem eſſe quod arab. خلب *pericardium*, (*Golius* p. 739.) *pericardium* vero *claudere*, reſpondere phraſi hebrææ *cor indurare* Prov. 28, 14. Pſ. 95, 8. Ezech. 3, 7. Sic חזק לב *firmus corde* Ezech. 2, 4. dicitur de homine contumaci et intractabili. Quem ſenſum contextui aptiſſimum eſſe nemo neget.

e) Mutatione numeri pluralis in ſingularem haud dubie Saulus innuitur.

Ab hominibus *inquam* fortunatis *f*), qui tantum
huic vitæ dediti ſunt;
Quos tuis bonis reples, qui numeroſam prolem
habent,
Poſterisque ſuis ſuas copias reponunt.
15. Ego vero virtutis ſtudioſus te videbo,
Summa fruar felicitate expergefactus tuo con-
ſpectu *g*).

PSALMUS XVIII *a*)

Quanquam tempus et occaſio carminis in primo verſu indicantur, tamen illius accuratiorem determinationem haud immerito deſide-

ramus.

f) חֵלֶד ex origine ſua, *permanere, æternum eſſe*, ſignificat ſtatum hominis felicem et fortunatum ſine miſeriis. cf. *Schultenſius* ad Jobum p. 298.

g) Fateor me diu hæſitaſſe in hujus verſus explicatione propter multiplicem virorum doctorum circa eam diſſenſionem. Alii verba de ſpe explicant, quam David de beata Dei viſione in futura vita præ ſe ferat. Alii ea de favore divino aut liberatione obtinenda intelligunt. Alii promiſſum ſancte Deum colendi ſummamque felicitatem ex cultu religioſo percipiendi eis ineſſe ſtatuunt. — Equidem in prima, quæ et plurimorum interpretum ſententia eſt, acquieſco. Sed non contradicam, ſi quis alterutram duarum poſteriorum malit defendere.

a) Duplex extat hujus carminis editio. Altera inſerta eſt hiſtoriæ Davidis 2 Sam. 22. altera collectioni Pſalmorum.

ramus. Scilicet num David carmen hoc compoſuerit, poſtquam familia Sauli jam deleta et gentes vicinæ omnes ſubactæ erant, antequam peccatum iſtud cum Bathſeba commiſiſſet atque illud ſubſecutam domus ſuæ calamitatem expertus eſſet? an poſtquam hæc quoque omnia ſuperaverat et a Nathane promiſſionem de regni ſui perpetuitate accepiſſet? Etſi ultimus verſus huic ſententiæ favere videtur, tamen priorem præferendam putem; tum, quod parum probabile ſit, animum Davidis gratum erga divina beneficia laudes Dei tam diu ſecum continuiſſe, neque palam ea, uti dignum erat, prædicaſſe; tum quod de innocentia ſua morumque puritate multa loquitur, a quibus haud dubie abſtinuiſſet, ſi priorem illam vitæ ſuæ integritatem peccato illo cum Bathſeba commiſſo jam contaminaſſet.

1. Præfecto chori muſici. Carmen Davidis, cultoris Jovæ, quod cecinit cum Jova eum liberaſſet, tum

morum. In hac poſteriore, quæ uſui publico deſtinabatur, David ſubinde quædam perpolivit, aut emendavit, ita ut non paucæ reperiantur variationes ab illa priore carminis recenſione. Sunt qui illam diverſitatem ſcribarum negligentiæ tribuant, atque propterea unum locum ex altero ſtatuant corrigendum. At enim vero cum pleræque harum variationum ita ſint comparatæ, ut utraque lectio explicationem admittat ſatis probabilem: ego quidem iis aſſentior, qui illius diverſitatis ipſum Davidem auctorem cenſent, atque propterea ab omni textus recepti mutatione me abſtineo. cf. *Doederlein* in Scholiis ad h. l. et quæ a me dicta ſunt ad 2 Sam. 22.

tum a cæteris ejus hoſtibus omnibus, tum imprimis a Saulo, in hunc modum:

2. Te diligo, Jova, meum robur.
3. Jova, mea rupes, munitio mea, meus ſervator,
Deus meus, petra mea, ad quam fugio,
Clipeus meus, cornu ſalutiferum *b*), locus excelſus.
4. Terrore ſummo perculſus Deum invocavi,
Atque ab hoſtibus meis ſum ſervatus.
5. Mortis funibus jam eram conſtrictus,

b) Cumulat David vocabula tropica, quibus præſentiſſimum et potentiſſimum auxilium exprimit, quod Deus ei in omnibus periculis præſtiterat. Non ſunt intellectu difficilia, neque a genio linguarum occidentalium prorſus aliena, inprimis apud poetas, niſi fortaſſe aliquis offendat in קרן ישעי *cornu ſalutis meæ.* Quem tropum ab animalibus cornupetis deſumtum, nemo mirabitur placuiſſe populo rei pecuariæ quam maxime dedito. Hinc paſſim utuntur ſcriptores hebræi hoc tropo ad robur et potentiam regnorum et populorum indicandam, Jer. 48, 25. *cornu Moabitarum frangetur;* Pſ. 148, 13. *exaltat cornu populi ſui:* et cui non in mentem veniat locus ex precibus Zachariæ Luc. 1, 69. in quo Jeſus Meſſias κέρας σωτηρίας vocatur? — Nemo igitur, ut ſpero, reprehendet ſervatos eſſe hos tropos in verſione latina, quos video etiam ſervatos eſſe a recentiſſimis Pſalmorum interpretibus germanicis.

Flumina Belialis *c*) me obruerant,

6. Inferni vinculis jam eram vinctus,
Laqueis mortis implicatus. —

7. His in anguſtiis Jovam invocavi, ad Deum meum clamavi.
Audivit in palatio ſuo meam vocem,
Et clamor meus ad eum ad aures ejus pervenit.

8. Terra commota eſt et contremuit,
Montium fundamenta titubarunt et disruperunt,
Nam ira ejus exarſit.

9. Nares ejus fumabant, os ejus ignem abſumentem *exhalabat*,
Carbones ardebant ab ipſo.

10. Inclinavit cælum et deſcendit,
Caligo erat ſub pedibus ejus.

11. Vectus eſt Cherubo et volabat,
Volabat ſuper alis venti.

12. Fecit tenebras ſuum latibulum,
Tugurium, quo erat cinctus,
Aquæ nigræ, nubes condenſatæ.

13. Præ ſplendore, qui circa ipſum erat, nubes diſſipatæ ſunt,

Grando

c) Aſſentior eis, quibus *Belial* videtur eſſe nomen poeticum regis illius apud inferos, cujus regnum poetæ hebræi variis coloribus depingunt. vid. *Herder* de genio poeſ. hebr. P. I. p. 222.

Grando et carbones igniti *decidunt.*
14. Intonuit in cælo Jova, ſummus edidit vocem ſuam,
Grando et carbones igniti *decidunt.*
15. Projecit ſagittas ſuas, easque diſſipavit,
Fulgura jaculatus eſt, eaque diſſudit.
16. Aquarum gurgites aperti ſunt, fundamenta montium retecta
Ad has tuas, Jova, increpationes, ad ſpirantem ventum naſi tui. *d*) —
17. Ex alto manum mihi porrexit,
Meque prehenſum traxit ex aquis multis.
18. Liberavit me ab hoſte meo valido,
Ab adverſariis me potentioribus.
19. Illi quidem tempore calamitoſo impetum in me fecerunt,
Sed Deus me ſuſtentavit.
20. Eduxit me in locum apertum,
Meque pro ſuo in me amore liberavit. —
21. Retribuit mihi Jova pro innocentia mea,
Pro vitæ meæ integritate *e*) mihi rependit.
22. Nam Jovæ legem obſervo,

d) De artificioſa ſententiarum diſtributione, qua in poeſi hebræa in tetracolis poſteriora membra ad priora alternatim ſunt referenda, vid. *Lowth* de Poeſi S. Hebr. Prælect. XIX. p. 369. edit. Gœtting. pr.

e) hebr. *pro puritate manuum mearum.*

Neque impie me erga Deum meum gero.
23. Quin ejus præcepta mihi ob oculos verſantur,
Neque leges ejus contemno,
24. Sed erga eum integer, cavebam mihi a peccatis.
25. Propterea quoque Deus meam probitatem remuneratur,
Pro innocentia mea ſibi perſpecta.
26. Tu te benignis benignum, integris integrum,
27. Sanctis ſanctum, et perverſis intractabilem præbes.
28. Homines miſeros defendis,
Et ſuperborum ſupercilia deprimis.
29. Igitur tu mihi lucem accendis,
Jova Deus meus meas tenebras illuminat.
30. Te enim duce hoſtes meos aggredior,
Et cum Deo meo murum tranſilio.
31. Deus cum homine ſincere agit, ſervat ſuas promiſſiones.
Clipeus eſt omnibus qui ad eum confugiunt.
32. Nam quis eſt Deus præter Jovam?
Quis eſt petra præter Deum noſtrum?
33. Deus eſt qui me viribus inſtruit,
Qui expeditam reddit viam meam.
34. Pedes meos ſimiles facit pedibus cervorum,
Et loca edita *f*) me occupare juvat.
35. Do-

f) Omiſi in verſione pronomen affixum *mea*, quod, ſi recte legitur, in lingua latina aut redundat, aut duriorem

35. Docet manus meas bellum,
Ut brachio meo arcum æneum tendere poſſim.
36. Præbes mihi defenſionis tuæ clipeum,
Dextra tua me ſuſtentas et divitiis tuis auges *g*).
37. Am-

rem habet explicationem, ſi loca indicare debet a Davide occupata, niſi יעמידני vertere malis: *facit ut teneam* ſ. *defendam* (behaupten) *loca excelſa a me occupata.* Sed vereor ut Hebræi ſic העמיד dixerint. Id me movebat, ut olim ad Pſalterium Syriacum conjicerem במות h. l. eſſe ſynonymum רַגְלַי in priori hujus verſus membro, atque Davidem ſeſe in utroque membro cum cervis quoad celeritatem comparare. Quam conjecturam tamen nolui neque in libro Samuelis, neque h. l. repetere. Non quidem propter loca a *Koehlero* (in Repertorio P. IV. p. 126.) citata Deut. 32, 13. 33, 29. Jeſ. 58, 14. in quibus non legitur בָּמֳתֵי ſed במות aut בָּמֹתַי et contextus manifeſte docet de regione montana Palæſtinæ ſermonem eſſe. Igitur illa loca non excludunt uſum tropicum ſ. poeticum hujus vocis. Sed nihil impedit, quo minus affixum pronomen pleonaſtice poſitum ſtatuamus, ut in locis aliis innumeris; aut, qui minus religioſus eſt in mutanda lectione, ſtatuat literam Jod ſcribarum errore propter ſequens Jod bis eſſe exaratam. Nec deeſt auctoritas antiquorum interpretum, τῶν ὁ, Vulgati, Syri, Arabis.

g) Neque in hac voce lectio textus recepta ſollicitanda videtur, quippe quæ aptiſſimum ſenſum offert. Nam

ענה

37. Amplos reddidisti gressus meos,
Ut tali mei non vacillent.
38. Ego persecutus meos hostes eos assequar,
Nec nisi confectis illis revertar.
39. Eos ita trucidabo, ut surgere nequeant,
Succumbent pedibus meis.
40. Tu me virtute ad bella gerenda instruis,
Meosque mihi adversarios subjicis.
41. Hostes meos mihi necandos tradis *h*),
Inimicos

עשר significat quoque *dives fuit, nullius rei indigus*, (*Golius* p. 1737.) hinc substantivum עשר *opulentiam, divitias*. cf. *Schultensius* ad Job. 3, 2. et ad Confessum Harir. I, p. 17. et III, p. 154. David igitur divitias suas tot bellis congestas liberalitati Dei acceptas refert. — In loco parallelo 2 Sam. 22, 36. legitur quidem עֲנָוָתְךָ *afflictionibus tuis me auges*, quam lectionem etiam interpretes antiqui in h. l. exhibent, nempe οἱ ὁ, Theodotion, Syrus, Vulgatus; ἡ παιδεία σου αὐτή με ἐδίδαξε, *disciplina tua ipsa me docebit*, et nonnulli recentiorum interpretum probant. Sed mihi, si vel alterutra lectio vera esset, quod tamen per ea quæ not. a) dicta sunt, minime necessarium est, optio inter utramque lectionem perquam difficilis videtur.

b) Verba textus: *hostium meorum cervicem mihi das*, non de fuga intelligo, in quam hostes conversi dicantur, sed de cervice proprie dicta, quam, pro crudelitate illorum temporum et regionum in victos, victores pedibus calcabant

Inimicos meos penitus exſcindam.
42. Clamant, ſed non eſt qui eos ſervet;
Ad Jovam, ſed non reſpondet illis.
43. Diſpello eos ut ventus pulverem,
Quaſi lutum platearum eos comminuo.
44. Tu me a populo ſeditioſo liberaſti,
Principem gentium me conſtituiſti,
Populi ignoti mihi ſerviunt.
45. Ad nutum mihi obtemperant,
Peregrini homines mihi blandiuntur inviti.
46. Alienæ gentes animum deſpondent,
Et pavidæ fugiunt e clauſtris ſuis. —
47. Jova vivit, laus ei meæ rupi!
Extollatur Deus ſalutis meæ auctor!
48. Hic eſt ille Deus, qui de hoſtibus meis ſupplicia ſumere mihi concedit,
Gentesque mihi ſubigit.
49. Qui me hoſtibus meis eripit,
Ab adverſariis vindicat, a crudeli homine me liberat.
50. Propterea te celebrabo inter gentes,
Tibi, Jova, carmina canam,

51. Qui

cabant et deinde miſeros homines conficiebant. Joſ. 10, 24. Eadem phraſis legitur quoque Exod. 23, 27. De perſecutione hoſtium jam in verſu 38. dixerat. Jam de eorum trucidatione loquitur.

51. Qui tantam regi tuo felicitatem concedis;
In unctum tuum, in Davidem ejusque posteros
æterna beneficia confers.

PSALMUS XIX

De duplici ratione Deum cognoscendi. Primo ex natura 1—7. Deinde ex revelatione 8 — 12. additis precibus pro impetrando auxilio divino ad vitam legi divinæ convenienter instituendam 13 — 15.

1. Præfecto chori musici. Psalmus Davidis.
2. Coelum enarrat Dei gloriam,
Annunciat æther ejus opus.
3. Quælibet dies commemorat *hanc Dei gloriam*,
Quælibet nox *hanc Dei notitiam* loquitur *a*).
4. Nulla est lingua, nulla est dialectus,
In qua non audiantur illa elogia.
5. Per totum terrarum orbem diffundit sese eorum
sonus *b*),

Ad

a) Diei et noctis vicissitudines atque interdiu solis fulgor, noctu autem cæli tot sideribus distincti admirabilis pulchritudo, palam testantur et prophetarum instar disertissimorum docent numinis majestatem. *Doederlein.*

b) Conjecturas virorum doctorum super vocabulo h. l. difficili קַוָּם more suo accurate recensuit *Koehlerus* in Repertorio P. V. p. 8. Mutationi lectionis receptæ in קוֹלָם quam post *Cappellum Hubigantius* et alii defenderunt,

Ad extremos fines universi eorum sermo.
Soli quidem fixit tabernaculum in cælo *c*).
6. Is tanquam sponsus e thalamo nuptiali prodit,
Alacriter prosequitur, ut heros, viam suam.
7. Ab uno cæli extremo egreditur et ad alterum devolvitur,
Nec quidquam est, quod ejus calorem lateat. —
8. Lex Jovæ integra est, recreat animum,

Doctri-

derunt, non favent versiones antiquæ, quæ omnes videntur קָוָּם non קוֹלָם exprimere. Nam οἱ ὁ atque ex eis Paulus Rom. 10, 18. habent ὁ φθόγγος αὐτῶν. Aquila: ὁ κανὼν αὐτῶν, Symmachus: ὁ ἦχος αὐ. Vulgatus et Hieronymus: *sonus eorum.* Syrus: ܩܠܗܘܢ *annunciatio eorum.* Equidem olim (in Psalterio Syriaco ad h. l.) *Pocockium* (in notis ad portam Mosis p. 47.) secutus sum, qui ex Arab. قوي *clamare*, *exclamare*, substantivum h. l. קָו derivavit, atque sic interpretes illos antiquos cum lectione recepta conciliavit. Ne nunc quidem me poenitet hujus assensus, quanquam *Golius* in Lexico suo Arabico hoc substantivum non habet. Attamen non displicet alia conciliatio, quam *Knappius* (in versione Psalmorum) tentavit. Nempe קָו proprie *funis* etiam *chordam* musici instrumenti significasse existimat, ut מְנִים Ps. 150, 4. utrumque notat. Optionem relinquo lectoribus meis; mutatione lectionis receptæ non opus videtur.

c) In textu est בָּהֶם quod refero ad שָׁמַיִם.

Doctrina Jovæ vera est, instruit imperitum.

9. Præcepta Jovæ recta sunt, exhilarant mentem.
Jussa Jovæ clara sunt, illuminant oculos.

10. Religio Jovæ pura est *d*), in æternum duratura.
Edicta Jovæ tam vera sunt, quam justa.

11. Magis sunt expetenda quam aurum et obryzum,
Multum dulciora sunt melle et favo destillante.—

12. Atque etiam cultor tuus iis admonetur,
Eorumque observatione magnum præmium consequitur.

13. Errores quis intelligat?
Remitte mihi culpam occultorum.

14. Serva modo me ab omni facinore, ne mihi dominetur;
Tunc integer ero *e*) et gravi culpa vacabo.

15. Pla-

d) h. e. erroris omnis expers.

e) Textus receptus habet אֵיתָם in qua vocis forma explicanda hærent nonnulli interpretes. *Clericus* quidem deducit a יתם *ero infans, pupillus*, sc. quoad innocentiam, quod placuit *Schultensio* in Institt. linguæ Hebr. p. 448. mihi vero nimis quæsitum videtur. *Hubigantius* censuit scribendum esse sine Jod, quam scriptionem etiam confirmant quinque Codd. *Kennicotti*. Sic est Futurum Conjugationis Niphal a תמם, neque aliter legisse videntur οἱ ὁ, qui vertunt: τότε ἄμωμος ἔσομαι, nec non Chaldæus et Arabs.

15. Placeant tibi mei ſermones, meique animi meditationes ad te pertingant,
O Jova, petra mea et redemtor!

PSALMUS XX

Continet hic Pſalmus pia vota, quibus populus regem ad bellum cum exercitu proficiſcentem proſequitur. Tres ejus partes ſunt: Primo populus loquitur 1 — 6. Deinde reſpondet rex, verſ. 7. Tandem iterum populus 8 — 10. Quodnam bellum fuerit, prorſus incertum eſt.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Exaudiat te Jova, tempore adverſo,
Te tueatur, Deus Jacobitarum.
3. Mittat tibi auxilium e ſanctuario,
Atque e Sione te confirmet.
4. Rationem habeat oblationum tuarum,
Tuaque holocauſta ipſi placeant *a*).
5. Impleat vota tua, tuosque conatus fortunet.
6. Canemus victoriam tuam. Deo noſtro duce militabimus.
Impleat Jova vota tua omnia. —
7. Jam quidem intelligo Jovam unctum ſuum ſervare,
Ejusque

a) hebr. דְּשֵׁנָה *pinguia ſint.* Nam victimæ opimæ Deo erant conſecrandæ, non macilentæ, Levit. 22, 23. coll. Maleachi 1, 8. hinc ei quoque inprimis gratæ cenſebantur.

Ejusque preces e ſancto ſuo cælo audire
Per potentem dextræ ſuæ virtutem. —
8. Alii curribus, alii equis,
Nos Jova Deo noſtro gloriamur.
9. Iſti victi cadent, nos immoti conſiſtimus.
10. Jova ſerva regem. Audi nos quando precamur *b*).

PSALMUS XXI

Plerique interpretes hunc Pſalmum a Davide compoſitum arbitrantur, poſt bellum illud, ad quod auxilium Dei in præcedenti Pſalmo imploraverat. Euchariſticum igitur eum eſſe volunt pro victoriâ conceſſa, ſed nondum abſoluta, cum reſtarent adhuc hoſtes, quos vincere et domare oportet. — Sed nihil impedit, quo minus ad aliud tempus referatur. Quod quanquam accuratius determinare nolim,

b) Ex lectione textus recepta vertendum eſſet: *Jova ſerva. Rex audiat nos quando precamur.* Sed durum videtur, in hoc Pſalmo, in quo ſub *rege* ſemper David intelligitur, hoc loco מֶלֶךְ de Deo explicare. Propterea præferendam exiſtimavi lectionem τῶν ὁ, qui המלך cum verbo jungunt et pro יעננו legerunt וענגו. Num אֵלֶיךָ in fine legerint, an ex ſuo addiderint, incertum: Κύριε σῶσον τὸν βασιλέα, καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐπικαλεσώμεθά σε. Sic quoque Vulgatus et Arabs: *Domine ſalvum fac regem et exaudi nos in die, qua te invocaverimus.* Chaldæus vero habet: *Jova redime nos, rex fortis, accipe orationem noſtram die quo precamur*, et Syrus: *Dominus liberabit nos et rex noſter exaudiet nos, die quo eum invocabimus.*

nolim, tamen illud Davidi optatiſſimum et feliciſſimum fuiſſe videtur, poſtquam promiſſionem a Deo acceperat de regni ſui perpetuitate, 2 Sam. 7. ad quam haud dubie reſpicit verſſ. 5. 6. 7. Igitur primo David ipſe loquitur et gratias agit pro tot tantisque in ſe collatis beneficiis 1 — 8. Deinde Deus reſpondet, qui promittit in poſterum quoque victoriam in omnes hoſtes ſubigendos 9 — 13. Tandem populus ſive etiam David verſ. 14.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Jova tua potentia lætatur rex,
Et de auxilio tuo quam exſultat vehementer!
3. Quod optavit, dediſti ei;
Quod precatus eſt, non denegaſti.
4. Atque adeo plura in eum beneficia contuliſti,
quam ipſe petiit.
Impoſuiſti capiti ejus coronam auream *a*).
5. Vitam a te petiit, precibus ejus conceſſiſti,
Aetatis longiſſimæ in æternum duraturæ *ſpem feciſti b*).
6. Magnam eſt gloriam conſecutus tuo beneficio,
Inſigne decus et majeſtatem ei tribuiſti.
7. Facis eum felicem in perpetuum:
Exhilaras eum lætitia benignitate tua *c*).

a) h. e. regem eum conſtituiſti ex vitæ conditione humillima, quod non auſus erat expectare.

b) 2 Sam. 7, 16.

c) Prius membrum hujus verſus etiam reſpicit promiſſionem

8. Rex Jovæ confidit: per gratiam omnipotentis
non dejicietur ſtatu ſuo. —
9. In manus tuas venient hoſtes tui:
Aſſequeris omnes tuos adverſarios.
10. Similes eos facies fornaci ardenti, quando ira tua
in eos convertetur:
Jovæ ira eos conficiet, ignis eos abſumet.
11. Poſteros eorum perdes: liberos eorum e medio
tolles.
12. Quando tibi malum intendunt,
Et contra te ſcelus machinantur, nihil poterunt
perficere.
13. Erunt tibi pro ſcopo, in quem ſagittas tuas
emittas. *d*) —
14. Oſtende Jova potentiam tuam:
Canemus et celebrabimus tuam virtutem.

PSAL-

nem illam de regno Davidis in perpetuum duraturo. In poſteriori membro *faciem Dei* intelligo de favore Dei, de quo centies dicitur, hinc אֵת־פָּנֶיךָ eſt genitivi loco: *lætitia favoris tui.* Sic אֵת ſæpe uſurpatur, v. c. Eſ. 11, 9. Habac. 3, 13. 1 Sam. 18, 29.

d) Etiamnum perſiſto in ſententia de ſenſu horum verborum, quam in Pſalterio Syriaco faſſus ſum mihi maxime probabilem videri. Ex interpretibus Chriſtianis antiquis eam jam attulerunt *Vatablus* et *Sixt. Amama.* Inter recentiores quoque nacta eſt defenſores, *Schulzium,*

PSALMUS XXII

Quanquam ego ſine hæſitatione aſſentior illis interpretibus, qui hunc Pſalmum de Chriſto in agone mortis conſtituto explicant, tamen hæc quoque quæſtio non prorſus negligenda videtur: num omnis ad Davidem reſpectus excludendus ſit? num perſona loquens tantum ſit Meſſias, uti in Pſalmo ſexto decimo, an quoque David? Video interpretes circa hanc quæſtionem in diverſas partes diſcedere, aliis illam, aliis hanc ſententiam defendentibus. Equidem harum partibus accedo, argumentis permotus non contemnendis. Nimirum 1. perſona loquens deſcribit ſtatum ſuum afflictiſſimum ſic, ut Chriſto patienti et ex cruce pendenti non in omnibus conveniat, ſed Davidi quoque in præſentiſſimo mortis periculo conſtituto. Nam dicit ſe cinctam eſſe ab hoſtibus, ſed nondum prehenſam et ligatam aut ſupplicio affectam, verſſ. 12. 13. 21. 22. — 2. Perſona loquens rogat, ne morti tradatur, ſed in vita conſervetur, verſ. 21. quod non convenit Meſſiæ e cruce pendenti, morti proximo. 3. Item verſ. 22. orat, ne in manus hoſtium veniat et eorum

zium, *Knappium* et alios. Altera ſententia, quæ verba de fuga hoſtium explicat, parum apta eſt poſteriori membro hujus verſus, in quo ſagittæ in faciem horum hoſtium dicuntur emittendæ. Vidit quoque *Michaelis* nexum hunc perquam eſſe incommodum. Fingit igitur duos exercitus, alterum a quo hoſtes fugerent, alterum a quo ſagittis exciperentur. Quæ ſane longe petita videntur. Locus Pſalmi 18, 41. quem *Koeblerus* citat, huic noſtro valde diſſimilis eſt, atque tam parum quam hic noſter de fuga hoſtium videtur explicandus.

rum violentiæ et crudelitati succumbat. Sed Messias omnis generis crudelitates ab hostibus suis est perpessus. 4. Porro dicit se dies noctesque frustra clamasse, vers. 3. Quæ verba longiorem moram indicant precum a Deo neglectarum, neque conveniunt Christo ad paucas tantum horas in cruce pendenti. 5. Neque ejus personam decet desperatio summa, quam subjectum in Psalmo loquens vers. 15. et 16. præ se fert, penitusque secum actum dicit. Quanquam enim Christus non omnis timoris aut anxietatis expers fuit, tamen in extrema sua passione magnam animi tranquillitatem ostendit, certus resurrectionis suæ, et futuræ gloriæ. Tandem 6. persona loquens vers. 5. et 6. provocat ad majores suos Deo fisos et liberatos. Quod Davidi melius convenit quam Christo, qui longe aliam liberationem sperabat, quam illi majores ejus erant consecuti. — Nec tamen propterea unicum Psalmi subjectum David potest haberi. Nam hostes vestibus ejus potitos esse, easque inter se divisisse, vers. 19. non tam propterea parum probabile videtur, quoniam in historia Davidis hoc non narratur, sumi enim posset, hoc ut multa alia omissum esse; quam potius quoniam nemo facile verisimile dixerit, Davidem exulem et profugum, præter vestes quibus indutus erat, alias adhuc secum habuisse, quæ in manus hostium venerint. Deinde nimis magna sunt et eximia commoda illa, quæ persona in hoc Psalmo loquens in ultimis versibus ex suo exemplo in alios redundatura esse dicit. Propagatio religionis veræ inter omnes gentes semper est character temporum Messiæ, neque Davidem ex suæ vitæ eventis, aut eorum prædicatione hunc effectum sperasse probabile videtur. Tandem allegationes Nov. Test. ex hoc Psalmo Joh. 19, 24. Hebr. 2, 11. 12. ita sunt comparatæ, ut per accommodationem eas factas esse dici non possit, nisi quis valde velit hypothesi suæ indulgere. Quæ cum ita sint, utrumque subjectum, Davidem et Messiam in hoc Psalmo jungendum esse arbitror, ita ut dum David de se rebus-

rebusque ſuis loqueretur, ſpiritu prophetico ſimul Meſſiam moribundum deſcriberet. Hæc hypotheſis, quæ ad complura alia vaticinia transferri poteſt, (cf. Pſ. 69. et 72.) nova non eſt, ſed cum patribus antiquæ eccleſiæ, tum primis religionis purgatæ inſtauratoribus probata. vid. Erneſti narratio critica de interpretatione prophetiarum meſſianarum in eccleſ. Chriſt. p. 518. Opuſc. Theol. Sic quoque ſentiunt de hoc Pſalmo Venema in Comment. et Seiler in verſ. germ. Pſalmorum. — Deſcriptioni autem rerum ſuarum, quam David h. l. dedit, tempus vix aliud magis aptum videtur, quam illud quo a Saulo in deſerto Mahon erat circumventus atque ita jam undique cinctus, ut elabendi rimam non haberet, niſi tempore opportuniſſimo Saulus eſſet revocatus. Hiſtoria legitur 1 Sam. 23.

1. Præfecto chori muſici. Sub primum auroræ ortum *a*). Pſalmus Davidis.

a) Ex innumeris fere hujus inſcriptionis explicationibus placuit hanc in verſione ponere, quæ ſaltem uſu loquendi Judæorum defendi poteſt. Dedit eam *Lightfootus* ad Marci 16, 2. ubi ex loco quodam Talmudis Hieroſolymitani probat, Judæos tempus matutinum in quatuor partes diviſiſſe, quarum primam אילת השחר *cervam auroræ* vocarint. Verum abſit, ut quæſtionem inexplicabilem explicandam mihi ſumam. Quod tamen fecit *Faber* ad Harmarum P. II. p. 171. qui more ſuo primo ridet eos qui אילת de inſtrumento muſico explicant; deinde excitato Talmudis Hieroſolymitani loco, ſuppreſſo tamen *Lightfooti* nomine, cui eam debebat, inſcriptionem illuſtrat atque tanquam unice veram commendat.

2. Mi Deus! mi Deus! cur me deſeruiſti?
Remotus es ab auxilio meo, *remotus a* clamore meo *b*).
3. Mi Deus, clamo interdiu, neque reſpondes;
Clamo noctu, nec venit animo meo quies.
4. Tu vero, ſanctiſſime, habitas inter hymnos Iſraelitarum *c*).
5. Tibi confiſi ſunt majores noſtri,
Tibi confiſi ſunt, eosque ſervaſti.
6. Ad te clamarunt atque erepti ſunt:
In te ſperarunt, nec ſpes eorum eos fefellit. —
7. Ego vero vermis ſum, non homo:
Opprobrium hominum ot contemtus populi.
8. Quicunque me vident, me deludunt:
Labia diſtorquent, capitibus nutant.
9. Jovæ, *inquiunt*, eſt confiſus, hic liberet,
Hic eripiat eum, ſi tam placet ei. —
10. Tu vero me ex matris meæ utero eduxiſti:
Tibi fidebam, cum ab ejus uberibus adhuc pendebam.
11. Tibi

b) Sine mutatione lectionis, quam recentiores nonnulli critici tentarunt, repeto מ ante דִּבְרֵי ex præcedenti מִישַׁוְּעָתִי. cf. *Geierus* in Comment. ad h. l.

c) h. e. tu quem Iſraelitæ adorant, ſemper largam eis laudandi et celebrandi materiam præbes. Hunc ſenſum ſuadent ſequentia.

11. Tibi jam ab utero commiſſus ſum:
Quam primum natus ſum, tu Deus meus fuiſti. —
12. Ne me deſeras! inſtant pericula,
Neque eſt qui adjuvet.
13. Circumdederunt me juvenci multi:
Feroces Baſanis tauri me cinxerunt.
14. Aperuerunt contra me os ſuum:
Tanquam leo rapiens et rugiens.
15. Effuſus ſum ut aqua, ſoluta ſunt omnia oſſa mea,
Cor meum ut cera inter viſcera mea liqueſcit.
16. Robur meum quaſi teſta exaruit,
Lingua faucibus adhæret, in mortis cinere me deponis.
17. Canes *d*) me circumdederunt,

d) Quanquam *Michaelis* conjectura pro כְּלָבִים *canes*, aliis punctis ſubjectis כַּלָּבִים *venatores* legendum eſſe auctoritate quorundam interpretum antiquorum defendi poteſt, (Aquila enim et Symmachus habent θηρατὰι, alius græcus κυνηγέται et Hieronymus *venatores*) tamen receptæ lectioni mihi quidem minime videtur præferenda. Non decreſcit oratio, quod Vir Celeb. dicit (in Biblioth. Or. P. XI. p. 208.) dum hoſtes Meſſiæ verſ. 13. cum leonibus comparati erant, ſi jam canibus ſimiles dicerentur. Etenim canes non ſunt intelligendi fuſtibus aut lapidibus facile arcendi, ſed canes feri, leonibus ferocitate et ſævitia non inferiores, tales quales Arabes

Coetus impiorum me cinxit,
Foedarunt *e)* manus pedesque meos.

18. Nu-

Arabes etiamnum alere ſolent ad caſtra ſua tempore nocturno cuſtodienda et defendenda. (vid. *Arvioſius* in Relatt. P. III. p. 219. verſ. germ.) Igitur etiam verſ. 21. receptam lectionem defendo מִיַּד כֶּלֶב quam *Michaelis* ex eo quoque rejicit, quod abſonum ſit vertere: *a manu canis*. At, vide quam non dubitet Vir Celeb. idem peccatum committere, cujus *Bochartum* (in eodem loco libri cit.) accuſat, partium nempe ſtudium in defendenda ſententia ſua. Num verba illa non aliter verti poſſunt quam *a manu canis?* Quis linguæ hebrææ tam parum eſt peritus, ut neſciat יד *manum* Hebræos ſæpiſſime metonymice pro vi, violentia etc. dicere? Piget exempla adſcribere cuivis tironi nota.

e) Non prolixus ero in commemoranda lectionis diverſitate, quæ eſt in Codd. MSS. et impreſſis circa כארי et כארו. Copioſe de ea expoſuerunt *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. VI. p. m. 779. *Michaelis* in Biblioth. Or. P. XI. p. 209 ſeqq. et *Lilienthal* in Comment. crit. p. 377. Addo tantum Codices a *Kennicotto* citatos, de quorum pretio, qui ipſum opus Kennicottianum inſpicere non poſſunt, ex *Brunſii* editione Diſſert. generalis Kennicotti judicent. Nempe pro כארי unicus 245. habet כאריה. Sed כארו habent: 39. 267. 270. 277 in fine, 288. 660. (4. 96.) forte 207. nunc 242. — Aſt כרו habent 283 A. 291 marg. 539 marg. 542 marg. 649. Equidem aſſentior illis qui lectionem כארו *foeda-*

18. Numerare poſſem omnia oſſa mea,

Iſti

foedarunt ſ. *cruentarunt* defendunt. Ex antiquis interpretibus Aquila ſic vertit, cujus verſio ὄρυσσαν plane docet, eum literam א putaſſe eſſe radicalem. Verbum autem כאר in lingua hebraica quidem non obvium ex lingua chaldaica, ſyriaca et arabica pluribus illuſtravit *Bochartus* l. c. (cui addi poteſt *Michaelis* l. c.) atque probavit כאר recte verſum eſſe ab Aquila per διορύσσειν *foedare*, idque a ſcriptoribus græcis et latinis dici pro *torquere*, *cruciare*, *indignis modis tractare*. Hanc igitur lectionem ut difficiliorem præferendam puto, ex lege criticorum quæ faciliori lectioni minorem quam difficiliori probabilitatem tribuit. Nam verbum rarum כאר occaſionem dare potuit, partim lectioni כארי litera Vau in כארו paullulum deleta aut non ſatis producta; partim alteri lectioni כרו in qua ſcriba ex pronunciatione ſignificationem divinans literam א omittebat. Minus autem facile ratio reddi poterit, quæ ſcribam moveret ut א inſereret. Epentheſis hujus literæ, quam *Bochartus* aliique ſtatuunt, ut כארו idem ſit quod כרו, recte, uti arbitror, rejicitur a *Michaele* ut figmentum Grammaticorum. Accedit et alia ratio, quam ſaltem ii, qui hæc verba de crucifixione Chriſti explicant, admittent. Manus, non pedes cruci affigebantur, clavisque perforabantur, hi enim funibus cruci adſtringebantur. Locus quidem Joannis, Cap. 20, 27. valde favet huic ſententiæ, neque huic contrarius eſt alius Luc. 24, 39. cum neque in hoc pedes dicantur perforati, quanquam ſigna foedationis ſive cruentationis habuerint.

Iſti vero vident meam miſeriam eaque delectantur.
19. Veſtimenta mea inter ſe diviſerunt,
Et ſuper tunica mea ſortem jecerunt. —
20. Tu vero, o Deus, noli mihi deeſſe,
Robur meum ad auxilium meum feſtina.
21. Eripe vitam meam gladio,
Atque fævitiæ canum animam meam.
22. Serva me a faucibus leonis:
A cornibus bovis feri me defende.
23. Commemorabo nomen tuum fratribus meis,
In medio coetu te collaudabo. *f*) —
24. Qui Jovam timetis, laudate eum:
Vos poſteri Jacobi, prædicate eum; veneremini eum, omnes Iſraelitæ.
25. Etenim non ſprevit, neque abominatus eſt afflictiones miſeri,
Neque remotus fuit ab eo, ſed clamantem exaudivit. —
26. Te in frequenti conventu laudibus efferam:
Coram omnibus, qui te colunt, vota mea ſolvam.
27. Comedant inopes et ſatientur:
Laudent Deum ejus reverentes,
Recreentur corda veſtra in perpetuum.
28. Hæc perpendentes convertent ſe ad Jovam
Omnes totius hujus univerſi incolæ:

Te

f) Sequitur verſſ. 24. et 25. formula hujus confeſſionis.

Te adorabunt omnes nationes.
29. Jovæ eſt regnum, dominatur gentibus.
30. Comedent et adorabunt eum omnes divites,
Submittent ſeſe ei omnes miſeri et qui ſe ipſe
ſervare non poteſt *g*).
31. Poſteri eum colent:
Deo erunt ut *nova* generatio adſcripti *h*).
32. Venient et prædicabunt ejus juſtitiam
Populo naſcituro. Nam hæc *omnia* patravit *i*).

PSAL-

g) Equidem non arbitror ſollicitandam eſſe lectionem receptam, quod ſtatuunt interpretes recentiores, antiquarum verſionum diſſenſu, uti videtur, permoti. Admittatur modo ellipſis frequentiſſime obvia τοῦ אשר. Verbum vero חיה in conjugatione Piel eſſe *vivum ſervare* norunt omnes. Neque ſatis apta eſt mutatio, quam viri docti h. l. tentarunt, contextui. Nam perſonæ ipſius Meſſiæ non conveniunt hæc verba, qui non poteſt particeps eſſe eodem modo beneficiorum regni ſui, quo ei, quos ad hoc invitat.

h) In catalogum membrorum novæ eccleſiæ referentur, cf. Pſ. 87, 6.

i) Sic עשה ſæpe de inſigni facinore uſurpatur, e. c. Pſ. 37, 5. 119, 126. Jer. 18, 23. 23, 20.

PSALMUS XXIII.

Teſtatur David ſpem et fiduciam, quam in Dei favore et cura ponat, qua ſe non ſolum tutum ab omni periculo, ſed etiam felicem & fortunatum futurum eſſe ſperabat. Utitur vero imagine ipſi familiari, a vita paſtoritia ſumta 1—4, a qua deinde tranſit ad delicias vitæ regiæ. Videtur Pſalmus ad initia regni Davidis referendus, cum ei a Sauli familia nihil amplius eſſet metuendum.

1. Pſalmus Davidis.
Jova eſt paſtor meus, nil mihi deerit.
2. In paſcuis herboſis me recubare faciet,
Ad aquas leniter fluentes me ducet.
3. Recreabit animum meum,
Recta via me ducet pro ſua benignitate.
4. Igitur ſi quoque in valle tenebricoſa mihi incedendum eſt, malum non timebo,
Nam tu mecum es, pedum tuum tuusque baculus me conſolantur. — *a*)
5. Menſam mihi inſtrues, ſpectantibus adverſariis meis,
Oleo caput meum unges, calicem abunde repletum *b*) *præbebis*.
6. Certe

a) Ut paſtor gregem pedo ſuo defendit ab impetu ferarum, ſic David defenſionem a Deo contra omnes hoſtes ſuos ſperabat.

b) Largior cibi et potus portio apud Orientales ſignum honoris eſt et amoris, quo hoſpes hoſpitem amplecti-

tur

6. Certe ſalus et benignitas me proſequentur per omnem vitam,
Diuque in æde Dei commorabor.

PSALMUS XXIV

Conſentiunt fere interpretes Pſalmum hunc compoſitum eſſe occaſione ſolennis pompæ, qua arca foederis in Sione collocabatur. Sed num hæc prima illa fuerit, cum David hanc arcam ex domo Obededomi in regiam ſuam transferret, 2 Sam. 6. 1 Chron. 15. an alia quædam, cum ex bello redux arcam loco ſuo reponeret, incertum eſt. Cæterum carmen alternis choris in ipſa ſolenni pompa cantatum fuiſſe, dubio caret ex verſſ. 3. 4. 8 ſeqq.

1. Pſalmus Davidis.
Terra Jovæ eſt et quæ eam implent,
Terrarum orbis et ejus incolæ.
2. Fundavit eum juxta maria *a*),
Juxta flumina eum ſtabilivit.
3. „Quis montem Jovæ aſcendere,
„Quis in ſacris ejus locis ſtare recte poterit?
4. Qui eſt inſontibus manibus et pura mente præditus.
Qui

tur, luculentiſſimum. Geneſ. 43, 34. 1 Sam. 2, 5. *Doederlein.*

a) Mare et flumina undique ambiunt terram et quaſi includunt. עַל vero non ſemper *ſuper* ſed *juxta* quoque ſignificare, vel tironibus notum, Pſ. 1, 3.

Qui nullo ad res leves desiderio fertur *b*), nec fraudulenter jurat.

5. Is certe Dei benevolentiam obtinebit,
Et beneficia a Deo ejus servatore.

6. „Hic est ille coetus digne eum colentium.
„Qui te religiose venerantur, *sunt* posteri Jacobi *c*).

7. At-

b) Quod verba לֹא נָשָׂא נַפְשִׁי לַשָּׁוְא non de perjurio cavendo explicem (quem sensum verba admittere concedo) movet me posterius membrum, quod nimis esset tautologicum, si idem diceret. De idolis, quod sciam, שוא non dicitur, sed הבל, תהו. Phrasis autem שָׂאת נָפֶשׁ *ferri appetitu s. desiderio*, alias quoque obvia est, e. c. Deut. 24, 15. Jer. 22, 27. — Lectionem marginalem נַפְשִׁי textuali h. l. minime præferendam esse, præter contextum consensus antiquorum interpretum satis probat. *Kennicottum* autem pro illa complures Codices s. editiones citasse, mirum non est, cum constet Judæos lectionem marginalem semper probare.

c) In textu est: מְבַקְשֵׁי פָנֶיךָ יַעֲקֹב. Post פָּנֶיךָ *oi ó*, Vulgatus, Syrus et Arabs videntur legisse אֱלֹהֵי ζητούντων τὸ πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Ιακώβ, *quærentium faciem Dei Jacob.* Probant hanc lectionem plerique recentiorum interpretum. At enim vero mihi non videtur lectio recepta sollicitanda, quæ bonum sensum offert. Sic enim inest his verbis commendatio populi, qui majorum suorum virtutes imitaretur.

7. Attollite portæ capita veſtra *d*),
Exaltemini portæ antiquæ!
Venit enim rex glorioſus.
8. „Quis eſt *e*) ille rex glorioſus?„
Eſt Deus fortis, prævalidus, Deus potens bellator.
9. Attollite portæ capita veſtra,
Exaltemini *f*) portæ antiquæ,
Venit enim rex glorioſus.
10. „Quis eſt ille rex glorioſus?„
Eſt Deus omnipotens. Hic eſt rex ille glorioſus.

PSALMUS XXV

Preces in periculis graviſſimis fuſæ, verſ. 2. 19. pro impetrando auxilio divino ad vitam ex Dei voluntate transigendam et illa pericula feliciter ſuperanda; vel ad Sauli perſecutiones, vel ad bellum Abſolomicum referendæ.

1. Davidis — Te, Jova, expeto, mi Deus *g*)!
2. Tibi

d) Retinui in verſione tropum intellectu proptet proſopopoeiam non difficilem. Alloquitur poeta portas Sionis arcis antiquiſſimæ.

e) Fortaſſe poſt מִי legendum eſt יְהוָה uti in verſ. 10. In utroque loco interpretes antiqui eadem verba retinent.

f) Pro וְיִשָּׂאוּ legendum videtur uti in verſu ſeptimo: וְהִנָּשְׂאוּ. Eadem enim verba in hoc verſu repetuntur, eademque verſiones antiquæ omnes repetunt.

g) Vocem אֱלֹהַי quæ ex vulgari verſuum diſtinctione ſe-

2. Tibi confido, ne ſinas me ſpem meam fruſtrari,
Ne hoſtes mei de me glorientur.
3. Nemo enim qui in te ſperat, ſpe ſua excidit,
Sed perfidorum ſpes fallit.
4. Tuam mihi voluntatem indica,
Quæ tibi probantur doce me.
5. Fac ut ſecundum præcepta tua, quæ veriſſima ſunt, vivam *b*), atque inſtrue me.
Tu enim Deus es cui ſalutem meam debeo, omni tempore in te ſperavi.

6. Me-

cundum verſum incipit, jungo priori, quoniam hic Pſalmus alphabeticus eſt. Equidem non ignoro alios hanc anomaliam trajectione vocum בְּךָ אֱלֹהֵי emendare, ſed facilior videtur emendatio ordine verſuum ſervato. Sic quoque *Venema* et *Knappius*.

b) Videtur hoc loco integrum membrum excidiſſe. Nam ſequens verſus, qui cum litera Vau debebat incipere, huic eſt inſertus ad illum defectum ſupplendum; ſed ſic tria membra habet, cum reliqui omnes duobus tantum conſtant. *Cappellus* et *Venema* trajectione membrorum mendum corrigere tentarunt, ita ut primum et ultimum, quartum verſum conſtituerent; et ולמדני e quæ ſequuntur, ſextum. At ſic contra analogiam reliquorum verſuum, prius membrum unam tantum vocem haberet. Cum defectus ille antiquiſſimus ſit, nam verſiones antiquæ omiſſa non ſupplent, temerarium eſt addere, quæ forte David dixerit. Propterea ego verſione textum, qui extat, poſui.

6. Memento tuæ miſericordiæ, Jova, tuæque benignitatis,
Qua uteris ab æterno.
7. Peccatorum juventutis meæ et meorum delictorum ne recorderis.
Memento mei ſecundum gratiam tuam, pro tua, o Jova, benignitate.
8. Bonus et juſtus eſt Jova,
Propterea monſtrat peccatoribus viam ſuam.
9. Dirigit humiles ad inſtituta ſua,
Docet eos ſuam voluntatem.
10. Quidquid Deus præcipit, ſumme gratioſum videtur iis qui ad ejus promiſſiones et voluntatem attendunt.
11. Pro tua miſericordia, o Jova,
Peccata mihi mea condona, quamvis multa ſint.
12. Quis eſt, qui Jovam revereatur?
Monſtrabit ei viam, quam eligat.
13. Ipſe conſtanti fruetur felicitate *c*),
Poſteri vero ejus terram *patriam* poſſidebunt.

c) hebr. *anima ejus in bono pernoctabit.* Quæ verba nonnulli Judæorum et Chriſtianorum interpretum de futuræ vitæ felicitate explicant. Noſtram interpretationem confirmat uſus hujus verbi in aliis locis e. c. Pſ. 91, 1. Prov. 19, 23. — Poſterius membrum haud dubie reſpicit promiſſionem Iſraelitis datam de ſecura et perpetua terræ poſſeſſione majoribus ſuis datæ.

14. Jova familiariter utitur *d*) ſuis cultoribus,
Promiſit eos inſtruere.
15. Oculi mei ad Jovam ſunt directi,
Nam ille pedes meos e reti extrahit.
16. Reſpice ad me et miſerere mei,
Quia ab auxilio deſtitutus et miſer ſum.
17. Angores animi mei augeſcunt *e*),

Eripe

d) סוֹד ſignificat proprie congreſſum cum amicis, in quo familiariter cum eis colloquimur. Cum hujusmodi colloquiis familiaribus comparantur præcepta divina, quæ quaſi bona conſilia ſunt, per quæ Deus nos admonet de rebus nobis aut noxiis aut ſalutaribus. vid. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. et *Koeblerus* in Repert. P. V. p. 32. qui ex linguis cognatis et uſu loquendi Hebræorum bene vocem illuſtravit. Nempe arab. سِوٌّ eſt, *in aurem dicere*, et Syr. ܣܘܳܕ *colloqui cum aliquo*. In hoc ſenſu dicitur סוֹד haud dubie Geneſ. 49, 6. Hiob. 15, 8. Pſ. 111, 1. Prov. 3, 32. et 15, 22. Ex omnibus interpretibus antiquis unus Symmachus hanc ſignificationem non ignoravit, vertit enim ὁμιλία κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτόν.

e) Fateor me dubium hærere inter hanc et aliam hujus phraſeos explicationem, quam olim in notis ad Pſalterium Syriacum dedi, ex *Schultenſii* Animadverſſ. philol. ad h. l. Nempe quoniam הִרְחִיב nunquam intranſitive dicitur, *cor dilatare* poſſet quoque ſignificare *prudentem et ſapientem reddere*. Qui ſenſus bene illuſtratur

ex

Eripe me ex meis anguſtiis.

18. Aſpice *f*) meam miſeriam et afflictionem,

ex 1 Reg. 4, 24. ubi רחב לב cum חכמה et תבונה tanquam ſynonymum jungitur. Neque a contextu aliena videtur eſſe hæc explicatio. Sic enim David optaret liberationem ex afflictionibus, quoniam Deus conſilium ſuum, quod eſt emendatio hominis, in eo obtinuiſſet: *calamitates me ſapientem reddiderunt.* Sed quoniam altera explicatio, in qua etiam interpretes antiqui conſentiunt, utique facilior eſt, poſui eam in verſione, atque optionem relinquo lectoribus meis, quam præferre malint.

f) Quoniam hic verſus incipit cum litera ר qui incipere debebat cum ק, non eſt quod dubitemus in hoc quoque uti in verſibus ſecundo et quinto, errorem eſſe a ſcribis admiſſum. Cujus emendandi ex codicibus cum nulla ſpes ſit, quoniam verſiones omnes in lectione vulgari conſentiunt, ad criticam conjecturalem confugiendum eſſe, interpretes omnes concedunt. Sed uti ſemper conjecturæ pro ingeniorum diverſitate aliæ aliis ſunt faciliores et probabiliores, ita etiam in hoc loco variæ admodum et diverſæ ſunt allatæ. *Kennicottus* verſum integrum cum litera ק incipientem excidiſſe putabat (in Diſſert. I. p. 490. verſ. lat.) cui *Koehlerus* (in Repert. P. V. p. 36.) aſſentitur et ſequentem verſum cum hoc jungendum cenſet. *Hubigantius* pro ראה legere vult קצר *brevem fac.* *Knappius* ante ראה excidiſſe conjectat קראתי *clamo: reſpice meam miſeriam. Michaelis*

Meaque mihi peccata condona.

19. Vide quam multi ſunt mihi inimici!
Quam atroci me perſequuntur odio!

20. Serva et eripe me ex omni periculo,
Non ſpes mea me fallet, tibi enim confido.

21. Integritas et æquitas *vitæ meæ* me tueantur,
Te enim expecto.

22. Libera, oDeus, Iſraelem ex omnibus ſuis miſeriis *g*).

PSAL-

chaelis (in Biblioth. Orient. P. XII. p. 133.) dicit literam ק præponendam eſſe et legendum קְרָאֵה *occurre miſeriæ meæ*. Quanquam ſatis fidenter de hac conjectura ipſe pronunciat, tamen *Koeblerus* l. c. recte, uti videtur, objicit, tunc ſequi debere ל. — Neſcio an Vir Illuſtris inſpexerit *Venemæ* Commentarium, qui eodem verbo קרא adhibito locum affectum emendare tentavit, ſed alia ratione. Ille nempe legi vult קְרָאָה חֳלִי *obvenit afflictio*. Sic קרא dici, probant ſequentia loca Geneſ. 42, 4 44, 29. Jer. 32, 23. et alia. Affixum vero in עָנְיִי et עָמְלִי reſolvendum eſt, uti ſæpe, (*Glaſſius* p. 167.) in præpoſitionem ſeparatam קְרָאֵה עָנְיִי לִי. Mihi quidem hanc *Venemæ* conjecturam aliis probabiliorem videri fateor.

g) Abſoluto literarum ordine additur verſus cum litera פ incipiens. Quod fortaſſe factum eſt tunc, cum hic Pſalmus uſui publico deſtinaretur, ut preces eſſent omnium Iſraelitarum, quæ antea Davidis tantum fuiſſent. Quod idem factum eſt in Pſalmo quarto et trigeſimo.

PSALMUS XXVI

Teſtatur innocentiam ſuam et pietatis ſtudium infucatum. Simul implorat juſtitiam Dei, quæ ejus cauſam agat et liberet eum ex periculis, neque poenis impiis tantum timendis afficiat. Tandem promittit impoſterum quoque veræ pietatis ſtudium et celebrationem beneficiorum divinorum.

1. Pſalmus Davidis.
Judica cauſam meam, ego enim vitæ integræ ſtudui.
Jovæ confido — non nutabo.
2. Scrutare me, Jova, et tenta me,
Explora renes et cor meum.
3. Tua enim benignitas mihi ob oculos verſatur,
Ad tuam veritatem *a*) vitam meam inſtituo.
4. Nulla mihi res eſt cum impiis hominibus,
Neque commercium habeo cum hypocritis *b*).
5. Odi impiorum coetum,
Neque amicitiam colo cum facinoroſis.

a) Affixa τοῦ חַסְדְּךָ et אֲמִתֶּךָ objective explico: q. d. ego operam dedi, ut ad exemplum divinæ benignitatis et veritatis h. e. integritatis vitam meam componerem.

b) hebr. עִם נֶעְלָמִים *cum abſconditis* h. e. qui in occulto peccata committere non dubitant, palam vero probitatem affectant. Alii: *cum infamibus* ſ. *nota ignominiæ inuſtis*, ex notione verbi arabica, de qua *Schultenſius* egit in libro de defectibus L. H. §. 167.

6. Ab omni culpa vacuus ſum *c*),
Et frequenter adſum tuo altari, Jova,
7. Ut vox *mea* laudes *tuas* ſonet,
Et celebret res tuas admirabiles.
8. Jova! cupide frequento ædem tuam,
Et locum ubi ſedem habet tua majeſtas.
9. Noli me perdere ut peccatores,
Aut vita privare ut ſanguinolentos,
10. Qui ſcelera patrant,
Et muneribus corrumpuntur.
11. Ego vero vitam agam inculpatam,
Libera me et miſerere mei. —
12. Jam me ſervatum video *d*),
In ſacris coetibus celebrabo Jovam.

PSAL-

c) hebr. *lavo in innocentia manus meas.* Manus lavabant Hebræi ad teſtandam innocentiam ſuam, inprimis a cæde, ex lege Deut. 21, 6. Sed quoniam hic ritus a noſtris moribus alienus eſt, nec ſenſus niſi ex locis, in quibus ad eum alluditur, conſtat, illum ſtatim in verſione ponendum cenſui.

d) hebr. *pes meus ſtat in plano.* Alii hæc verba de vitæ rectitudine explicant, cui firmiter ſe inſiſtere dicat David, ut Pſ. 27, 11. אֹרַח מִישׁוֹר dicitur. Sed quoniam de vitæ ſuæ integritate jam dixerat et in altero membro Deum publice laudare promittit, magis placet hæc ſententia, qua divinus vates, jam certus auxilii divini, ad grates perſolvendas properat.

PSALMUS XXVII

Preces continet plenas ſpe et fiducia, quam in Dei defenſione ab hoſtium ſuorum odio et perſecutionibus ponat. Videtur ad tempora Sauli referendus.

1. Pſalmus Davidis.
Jova lux mea eſt et ſalus; quem timeam?
Jova vitæ meæ defenſor eſt; quem formidem?
2. Quando impii me invadunt ad me perdendum *a*)
Adverſarii mihique inimici; iſti offendunt et cadunt.
3. Si caſtra contra me ponunt, non timeo;
Si bellum contra me movetur, tunc quoque confido.
4. Unum a Jova petii, idque ardenter precabor,
Ut per omnem vitam in æde Dei habitem,
Ut me Jovæ benignitate oblectem et frequentem ejus ſacrarium.
5. Tegit enim me, in ſuo tugurio tempore adverſo,
Abſcondit me in tabernaculo ſuo interiore,

a) hebr. לֶאֱכֹל אֶת־בְּשָׂרִי *ad comedendam carnem meam*, h. e. ex ſententia *Michaelis* et aliorum: *ad calumniandum*. At enim vero neque קָרַב ſequenti עַל conſtructum, eſt *amice ad aliquem accedere*, ſed *hoſtilem aggreſſionem* indicat, Deut. 20, 2. 3. Jud. 20, 24. neque locus ex Jobo citatus Cap. 19, 22. parallelus eſt. Illuſtrandus potius videtur locus noſter ex Pſ. 14, 4. Jer. 30, 16. Mich. 3, 3. etc.

In petra me exaltat *b*).

6. Jam quoque hoſtium meorum me victorem faciet *c*),
Ut euchariſtica ſacrificia in tentorio ſuo offerre,
Laudare et celebrare eum poſſim.

7. Audi, o Jova, vocem meam,
Clamo, miſerere mei, exaudi me.

8. Recordor tui præcepti: precamini ad me.
Ad te igitur preeor.

9. Noli mihi auxilium tuum ſubtrahere,
Neque ignominia obruere cultorem tuum *d*).

Auxi-

b) h. e. me ab omni periculo tutum præſtat.

c) hebr. *extollet caput meum ſuper hoſtes meos circum me.*

d) Non diſplicet explicatio phraſeos rarioris אַל תַּט בְּאַף עַבְדֶּךָ quam dedit *Schultenſius* de Defectibus §. 255. p. m. 240. modo ne nimis ad literam inepte vertatur, ut ille fecit more ſuo: *ne inclinare facias in naſum ſervum tuum;* ſed dictionis proverbialis ſenſus exprimatur in verſione: *ne me ignominia obruas.* — Digna tamen quoque eſt, quæ obſervetur lectio τῶν ὁ, *μὴ ἐκκλίνης ἐν ὀργῇ ἀπὸ τοῦ δούλου σου*, quæ haud dubie fuit מֵעַבְדֶּךָ quam etiam Vulgatus, Arabs et Hieronymus habent. Equidem et ipſe, uti *Koeblerus* in Repertorio P. V. p. 42. eam veram eſſe putarem, ſi lectio recepta admitteret explicationem minus probabilem. Quæ præterea ut difficilior, ex præceptis criticorum faciliori eſt præferenda. Syrus et Chaldæus lectionem vulgarem exhibent.

Auxiliator meus fuisti, noli me deserere, neque relinquere, o Deus salutis meæ!

10. Parentes quidem mei me deserunt *e*),
Sed Jova me excipit.

11. Ostende mihi, Jova, viam tuam,
Duc me in via recta propter adversarios meos.

12. Noli me hostium meorum lubidini tradere,
Nam testes falsi adversus me surrexerunt, qui anhelant violentiam.

13. Ego vero certissime spero *f*), Dei benignitatem me esse experturum

Adhuc

bent. Ille sensum non male expressit: *ne affligas in ira servum tuum*, hic vero habet: אַל תַּצְלִי *ne inclines in ira servum tuum.*

e) *Michaelis*, qui Psalmum ad tempus, cujus historia legitur 1 Sam. 21, refert, existimat parentes Davidis noluisse eum excipere, quod sibi a Sauli crudelitate metuissent.

f) Qui lectionem τοῦ לוּלֵא defendunt, explicant hanc vocem ut formulam jurisjurandi per aposiopesin: *nisi credidissem, actum fuisset mecum.* Sed parum aptum est contextui jusjurandum, neque dubitari potest, quin in hac voce subsit diversa lectio, ab antiquissimis Judæorum criticis jam observata, qui hanc vocem superne punctis notarunt. Omittunt eam Hieronymus, Aquila, Symmachus, Syrus et tres *Kennicotti* Codd. 117. 142. 309.

Adhuc in hac vita.

14. Expecta modo Jovam,
Forti animo sis et firmo *g*), expecta Jovam.

PSALMUS XXVIII

Implorat auxilium divinum adversus hostes, quibus poe imprecatur, sibi vero populoque suo Dei favorem exoptat.

1. Psalmus Davidis.
Ad te, Jova, clamo, meum refugium, noli mihi de
Nam si mihi defueris, actum est mecum *a*).
2. Audi, Jova, preces meas, quas ad te dirigo,
Quando manus meas ad sanctum tuum adj
expando.
3. Ne perdas me sicuti impios et facinorosos,

309. Chaldæus tantum habet: אִלּוּלֵי דִי הֵימְנֵית *credidissem.* Sed LXX, Vulgatus et Arabs primam jus vocis partem לֵ ad præcedentia verba חָמָס traxerunt: *καὶ ἐψεύσατο ἡ ἀδικία αὐτῷ*; alteram vero partem לֹא omiserunt. Illud autem pronomen לִ genio linguæ redundat. Sic recte, uti arbitror, d lectionis diversitate judicat *Koehlerus* l. c.

g) Pro וְיַאֲמֵץ *confortabit* sc. Deus, *cor tuum*, versione tiquæ omnes aliis punctis subjectis habent: וְאֶמַּץ *mum sit.*

n) hebr. *Similis ero eis, qui descendunt in foveam.*

Qui ſimulant amicitiam cum aliis, et malitiam
apud ſe fovent.
4. Da eis prouti meruerunt, pro pravitate conſiliorum ſuorum,
Opera ipſorum eis repende, repende mercedem
debitam eorum ſtudiis.
5. Etenim neque Deum curant, neque ad ejus opera
attendunt, —
Perdet eos, nequaquam ſtabiliet —
6. Laudetur Deus, nam preces meas exaudivit.
7. Jova eſt meum robur et clipeus meus, cui confido; factum mihi eſt auxilium,
Præ gaudio exulto meoque cantico *b*) eum celebrabo.
8. Deus

b) Quanquam lectio textus recepta וּמִשִּׁירִי quam genio linguæ contrariam judicat *Michaelis* (Biblioth. Or. P. XII. p. 137.) cui ſimilis non detur, defendi poteſt loco haud abſimili Pſ. 137, 3. *canite nobis* מִשִּׁיר צִיּוֹן *unum ex canticis Sioniticis:* tamen videtur h. l. legendum וּבְשִׁירִי. Ex diſſenſu verſionis Græcæ, Syriacæ et Vulgatæ (de quo tamen h. l. dicere non attinet) apparet, hos interpretes legiſſe vocem cum ב incipientem. Præterea Symmachus vertit *ἐν ᾠδαῖς* et Hieronymus: *in cantico meo.* Quæ teſtimonia mihi lectionem illam וּבְשִׁירִי probabilem reddunt. Attamen nihil decerno, nam alteram quoque lectionem cum מ iidem illi interpretes exhibent.

8. Deus ſalutem populo ſuo *c*)
Et conſtantem felicitatem regi ſuo præſtabit.
9. Serva tuum populum tuoque peculio te benig
præbe,
Cuſtodi et redde eum ſubinde feliciorem.

PSALMUS XXIX

Celebrat majeſtatem Dei in tempeſtate conſpicuam.

1. Pſalmus Davidis — Agnoſcite, principes *a*)
Agnoſcite majeſtatem et potentiam Jovæ.
2. Agnoſcite gloriam nominis Jovæ,
Adorate eum in ornatu ſancto.
3. Vox Jovæ ſuper aquis auditur,
Deus glorioſus intonat, Jova ſuper aquis multis
4. Vox Jovæ præpotens eſt,
Vox Jovæ glorioſa.
5. Vox Jovæ frangit cedros,

Fra

c) Pro לָמוֹ *eis*, ſ. *ei*, legendum eſſe לְעַמּוֹ *populo eju*
dubitari poteſt; partim propter conſenſum omniu
terpretum antiquorum, excepto Chaldæo, in hac l
ne, partim propter contextum. Nam non adeſt
ſtantivum, ad quod illud לָמוֹ referri poſſit. cf. l
parallelum Pſ. 29, 11. et obſervat. ad Pſalterium
riacum.

a) בְּנֵי אֵלִים varie explicantur: *filii potentum*, *filii de*
Michaelis, *Knappius* et *Doederlein*: *deaſtrorum cultore*

Frangit Jova cedros Libani.
6. Illasque ut vitulum ſubſilire facit:
Libanum et Syrium *b*) ut pullum bovis feri.
7. Vox Jovæ ſpargit flammas igneas.
8. A voce Jovæ tremit deſertum,
Tremit deſertum Kadeſchi *c*).
9. Vox Jovæ facit abortiri cervas, nudat ſilvas,
Et in templo ejus omnia celebrant majeſtatem.
10. Jova imbres demittit — —
Eſt et manet rex æternus.
11. Jova vires largietur ſuo populo,
Eumque omnis generis felicitate cumulabit.

PSALMUS XXX

Continet gratiarum actionem pro liberatione ex præſentiſſimo mortis periculo.

1. Pſalmus Davidis. Canticum in dedicatione templi *a*).
2. Te,

b) Sirion alias Hermon vocatur, Libano contiguus trans Jordanum, atque ultimus terminus eſt Palæſtinæ verſus orientem.

c) Vaſta ſolitudo Arabiæ, alias quoque Sin et Paran dicta, in qua Iſraelitæ tot annos commorati ſunt, metonymice ponitur pro feris in ea obviis.

a) Verborum hujus inſcriptionis primum cum ultimo eſt conſtruendum מִזְמוֹר לְדָוִיד. Nam הַבַּיִת cum ſequenti voce non poteſt conſtrui propter ה articuli præfixum.

2. Te, Jova, extollam, nam me *ex calamitate* extrax
Nec conceſſiſti, ut hoſtes mei de me poſſent læta
3. Te, Jova mi Deus, invocavi,
Meque ſalvum feciſti.
4. Ex inferis me reduxiſti,
Vitam mihi reddidiſti, ex mortuis me revocaſti *b*
5. Canite Jovam vos ejus clientes,
Celebrate facta ejus ſanctiſſima.
6. Ad breve tempus durat ejus ira, vita delectatur,
Veſpertini temporis triſtitia mutatur mane in lætiti
7. I

fixum. Igitur verba שִׁיר־חֲנֻכַּת הַבַּיִת exponunt caſionem, qua Pſalmus eſt compoſitus, quam non pu fuiſſe exſtructionem palatii regii in Sione, cui argum tum Pſalmi non ſatis convenire videtur verſſ. 8. 9. ſed dedicationem loci illius, in quo David Deo æc exſtruere decreverat, 1 Chron. 21, 26. 22, 1. Occ qua David hoc conſilium cepit, argumento Pſalmi b convenit, quod ut pluribus exponam opus non eſt.

b) Secutus ſum lectionem textus מִיָּרְדִי quam exhib *ci ó*, Vulgatus, Syrus, Arabs. Marginalis מִיֵּרְדִי eſt complurium *Kennicotti* Codd. admittit quidem plicationem per ſe bonam, ſi habeatur pro infinit conjugationis Kal: *a deſcendere me in foveam*, h. e. minus ego deſcendam in foveam: (cf. Syllogen Dif Schultenſſ. P. I. p. 139.) attamen ego illam præfer dam judicavi, quoniam alias quoque obvia eſt, e. Pſ. 28, 1. 143, 7.

7. Ego quidem cum fortuna uterer felici,
Existimabam hanc fore mihi perpetuam:
8. Etenim tu, Jova, pro tua benevolentia regnum meum firmaveras c),
Sed cum favorem tuum mihi subtraheres, vehementer sum terrefactus.
9. Ad te, Jova, clamavi, ad te supplices preces misi:
10. Quid lucri ex morte mea? quid commodi ex mea corruptione?
Num cineres te laudabunt? num tuam prædicabunt veracitatem d)?
11. Audi Jova, et miserere mei,
Tuum mihi auxilium præsta. —
12. Mutasti luctum meum in gaudium,
Vestes lugubres mihi detraxisti et induisti me lætitia.

13. Pro-

c) Verba textus sunt: הֶעֱמַדְתָּה לְהַרְרִי־עֹז *confirmaveras montem roboris mei;* in quibus equidem nolim sollicitare lectionem τοῦ הַרְרִי idque mutare in הַדְרִי propter versionem τῶν ὁ, παρέσχου τῷ κάλλει μου δύναμιν, Vulgati: *præstitisti decori meo virtutem*, nec non Syri et Arabis. Hæc enim lectio ex scribarum errore facile originem traxerit. Davidem autem montem Sionem, in quo regiam suam habebat, metonymice pro regno ipso dixisse, nemini durum aut insolens videatur.

d) cf. dicta ad Ps. 6, 6.

13. Propterea anima mea *e*) te laudabit, neque ta
Te, Jova mi Deus, ſemper celebrabo.

PSALMUS XXXI

Teſtatur David fiduciam ſuam, quam in Deo ponat, qu eum poſſit in maximis periculis ſervare. Referendus vid ad perſecutiones Sauli.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Tibi, Jova, confido, ne me ſpem meam fruſtrari
Pro tua benignitate me ſerva.

3. I

e) Abeſt affixum primæ perſonæ in lectione rece כבוד. Sed ſupplent illud οἱ ὁ, ὅπως ἂν ψάλῃ σοι μου, et Vulgatus: *ut cantet tibi gloria mea.* Si e ſenſu plurium teſtium antiquorum quæſtio dec eſt, utique ſine affixo legendum eſſet. Nam S chus, Theodotio, Hieronymus legerunt כבוד, quoque, qui verbum in prima perſona legit: *can gloriam.* Chaldæus abſtractum per concretum ex *ut laudent nobiles mundi.* Mihi quidem olim præ lectio Syri interpretis. (cf. dicta ad Pſalter. Syr. Sed quoniam mutatio tertiæ perſonæ יזמרך in p אזמרך tantum hujus interpretis eſt atque voce כבוד pro *anima* a Davide alias quoque dicitu Pſ. 7, 6. 16, 9. 57, 9. jam quidem præferendan cavi lectionem verſionis græcæ. Fortaſſe negle reliqui interpretes Jod affixum, quoniam imm erant ſignificationis illius; qua ignorata utique rius dicitur et vertitur: *canet tibi gloria mea.*

3. Præbe mihi aurem, ſuccurre mihi celeriter,
Sis mihi petra tuta, arx munita ad me conſervandum.
4. Immo petra mea et munitio tu *tantum* es,
Et propter tuam miſericordiam duces me, meique
curam geres *a*).
5. Eripe me ex reti, quod mihi abdiderunt,
Tu enim es robur meum.
6. Tibi commendo animam meam,
Me *jam ſæpe* liberaſti, o Deus fidelis.
7. Odiſti *b*) qui idola colunt; ego vero tibi confido.
8. Lætabor et exultabo de tua benignitate,
Siquidem meam miſeriam vides, meque in ipſa
mea calamitate amas.
9. Hoſtis manibus me non tradis,

a) hebr. וְתַנְחֵלֵנִי *et duces me.* Senſum, quem in verſione indicavi, bene expreſſit Symmachus per *τημελήσεις με*, quod eſt juxta Scholion: *παντοδαπῆς με προνοίας ἀξιώσεις.* vid. *Biel* in Novo Theſ. philol. ſub h. v. *οἱ ὁ, διαθρέψεις με.* Aquila: *διαβασάξεις με.*

b) In textu eſt prima perſona שָׂנֵאתִי. Sed *οἱ ὁ*, Syrus, Arabs, Vulgatus et Hieronymus legerunt ſecundam perſonam שָׂנֵאתָ. Quæ lectio oppoſitione alterius membri confirmatur. Codex 170. *Kennicotti* habet שנאת יהוה *odiſti Jova.* — הֲבָלִי שָׁוְא *vanitates inanes* ſunt idola, quæ ſæpe ſic dicuntur. cf. Deut. 32, 21. et Jon. 2, 9. qui haud dubie locum noſtrum reſpexit.

Viam mihi oſtendis expeditam *c*).

10. Miſerere mei, Jova, nam tantopere affligor,
Ut mihi præ moerore oculus, animus, et vent
contabeſcat.

11. Conſumta eſt vita mea præ ægritudine, an
mei in gemitu,
Vires meæ conciderunt propter afflictione
meam *d*), oſſa mea contabuerunt.

12. Omnibus hoſtibus meis opprobrio ſum, meis v
cinis oneri *e*), amicis terrori,

Q

c) hebr. *collocas in lato ſpatio pedes meos.* Forma loque
di tropica, qua liberatio ex periculo indicatur, quo al
quis quaſi concluſus tenebatur, ut tuto pedem prom
vere non poſſet. cf. Pſ. 18, 20. Permutavi eam cum al
paullum clariori, nec tamen abſimili.

d) Pro בַּעֲוֹנִי *propter iniquitatem meam* interpretes antiqu
οἱ ὁ, Syrus, Vulgatus, Arabs et Symmachus aliis punct
ſubjectis legerunt בְּעִנְיִי quam lectionem nemo fortaſ
repudiabit.

e) Mihi quoque, ut aliis, placet explicatio *τοῦ* מְאֹד, qua
Michaelis, primus ni fallor, dedit: non adverbium h.
eſſe מְאֹד *valde*, ſed ſubſtantivum *onus*, ex ſignificatior
verbi arab. ﻣﺄﺩ *onere impoſito aliquem gravare.* Sic enir
illud מאד eleganter reſpondet præcedenti חרפה et ſe
quenti פחד. Erat autem utique David in iſtis Sau
pe

Qui me foris vident, refugiunt.
13. Mei obliti ſunt ſicuti mortui,
Habeor pro ſupellectile perdita.
14. Multorum audio contumeliam, ab omnibus partibus mihi metuendum eſt.
Conſilia ineunt contra me, machinantur meum interitum.
15. Ego vero tibi confido, o Jova, te meum Deum appello.
16. In tua manu ſunt mea tempora,
Eripe me ex hoſtium et perſecutorum meorum poteſtate.
17. Fac, ut ego cultor tuus favorem tuum experiar,
Pro tua benignitate me ſerva.
18. O Jova, ſpe mea non excidam, te enim invoco.
Sed impiorum ſpes fallet, conticeſcent in inferno.
19. Obmuteſcent labia falſiloqua,
Quæ loquuntur contra innocentem dure, ſuperbe, et contemtim. —
20. Quam multiplicia ſunt tua beneficia, quæ reſervaſti tui timentibus,
Quæ præparaſti omnibus, qui te palam et in conſpectu omnium colunt.

perſecutionibus oneri amicis ſuis et cognatis, quibus omnis cum eo conſuetudo neceſſario fugienda erat, ne ſuſpicionem Sauli moverent.

21. Occultas eos ſub tegumento tuo interiori *f*), a pravis aliorum conſiliis.
Abſcondis eos in tugurio tuo *g*) ab aliorum contentionibus.
22. Laudetur Deus, nam mirificam ſuam mihi benignitatem exhibuit tanquam *h*) in urbe munita.
23. Equidem verebar, te tua me gratia deſeruiſſe,
Verum preces meas, meosque ad te clamores audiviſti.
24. Amate Jovam omnes ejus cultores.
Fidem ſervat, atque abunde rependet ſuperbis.
25. Animo forti et conſtanti eſtote omnes, qui Deo confiditis.

PSAL-

f) hebr. בְּסֵתֶר פָּנֶיךָ *ſub tegumento faciei tuæ*, idem haud dubie innuit, quod Pſ. 27, 5. dixit: בְּסֵתֶר אָהֳלוֹ.

g) Syrus interpres legit בְּסָכָּה cum affixo ſecundæ perſonæ, quod paralleliſmus membrorum requirere videtur בְּסֻכָּתֶךָ. Sed reliqui interpretes ſine eo.

h) Nolim equidem *urbem munitam* proprie intelligere de Kegila, in qua ad breve modo tempus David videtur commoratus, inde a Saulo mox expulſus 1 Sam 23, 7. Sed comparative explico ſuppleta litera Caph. Sic quoque Symmachus: ὡς ἐν πόλει περιφραγμένῃ.

PSALMUS XXXII

Quanta ſit felicitas remiſſionis peccatorum. — Scriptus fortaſſe poſt veniam impetratam propter adulterium cum Bathſeba, et cædem Uriæ. 2 Sam. 12.

1. Pſalmus didaſcalicus Davidis. Beatus, cujus delicta ablata,
   Cujus peccata condonata ſunt.
2. Beatus ille, cui Deus peccatum non imputat,
   Cujus animus expers eſt omnis fraudis.
3. Cum *peccata mea tibi* reticere vellem, oſſa mea contabuerunt a continuo meo moerore.
4. Diu noctuque manus tua gravis fuit ſupra me.
   Humor meus conſumtus eſt, ut tempore æſtivo.
5. Tibi peccatum meum confitebor, neque iniquitatem meam occultabo.
   Confitebor, inquam, Jovæ peccata mea:
   Tum tu eorum culpam mihi remiſiſti.
6. Propterea te ſuppliciter orabunt omnes pii, dum tempus conceditur impetrandæ gratiæ *a*).

a) Hærent interpretes in explicandis verbis לְעֵת מְצֹא quorum varias ſententias recenſuit *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad quædam loca Pſalmorum, Faſc. I. p. 19. Ipſe probavit et paullo plenius expoſuit explicationem *Schroederi* obiter quaſi indigitatam in Inſtitt. linguæ hebr. p. 402. Nimirum verba illa לעת מצא jungenda

Tunc ingruentes calamitates eos non attingent *b*).

7. Tu meum es refugium, ab hoſte me defendis,
Facis, ut ſervatus una cum aliis carmina canere poſſim. *c*) —

8. Eru-

genda eſſe cum ſequenti רַק quod h. l. non eſt particula, ſed ſubſtantivum ex lingua arabica explicandum, in qua رَقٌّ proprie dicitur de re tenui ac ſubtili; hinc transfertur ad teneritudinem animi, et nomen رَقَّةٌ ſignificat *miſericordiam*. Quæ mihi quoque, ut aliis, veriſimillima videntur.

b) hebr. לִשְׁטֵּף מַיִם *inundationem quod attinet* (Sic Lamed alias quoque uſurpatur Pſ. 16, 3.) *aquæ multæ ad eum non pertingent*. Quæ metaphorice dicta ut Pſ. 18, 17. cum aliis clarioribus h. l. permutanda putavi.

c) Mihi quidem non videtur, ut plerisque interpretibus recentioribus, textus receptus ſollicitandus, neque propter diſſenſum verſionum antiquarum, neque propter ἅπαξ λεγ. רְנִי quod ex analogia facilem admittit explicationem a רנן et ſynonymum eſt τοῦ רְנָנָה Pſ. 100, 2. Neque duri quid ſentio in conſtructione *cantica evaſionis*. Nam infinitivus, uti ſæpe, eſt loco ſubſtantivi, atque objective eſt explicandus, per *cantica quæ debentur pro auxilio præſtito*. — תְּסֹבְבֵנִי *me circumdabis*, h. e. ubique ſonabunt læta carmina populi propter meam liberationem aut conſervationem. Sic Chaldæus et interpretes Judæi.


image
not
available

PSALMUS XXXIII

Carmen eſt euchariſticum, quod Deum ut creatorem et gubernatorem totius hujus univerſi laudat, qui ſuos cultores ſemper benigne conſervet et tueatur.

1. Canite, o boni, Jovam,
   Probos decet laudatio.
2. Celebrate Jovam in cithara,
   In nablio, in decachordo cantate eum.
3. Canite ei canticum novum,
   Scite cum læto clamore cantantes.
4. Verbum Dei bonum eſt,
   Et in omnibus ejus operibus ſumma fides *eſt conſpicua.*
5. Diligit judicium juſtum,
   Plenus eſt Dei benignitate totus terrarum orbis.
6. Verbo Dei coelum factum eſt,
   Atque eo jubente omnes ejus copiæ *a*).
7. Congregat tanquam in utre *b*) aquas marinas,

Repo-

tur mores ne homines peccatorum ſibi conſcii imitentur, monet divinus vates, atque ut diſciplinam eis quam maxime ſalutarem admittant hortatur.

a) דְּבַר יְהוָה et רוּחַ פִּיו unum idemque ſignificant, nempe juſſum aut mandatum Dei, quo vult ut aliquid fiat. Sic Eſ. 11, 4. *ſpiritus labiorum* dicitur, et Cap. 55, 11. *quidquid ex ore Dei egreditur*, coll. Matth 4, 4.

b) Lectio textus recepta eſt כַּנֵּד *ut acervus*, quæ quidem, fateor, defendi poteſt. At enim vero conſenſus omnium

inter-

Reponit tanquam in receptaculo mare.
8. Timeat Deum omnis terra, revereantur eum
omnes ejus incolæ.
9. Ipſe enim jubet et fit, præcipit et adeſt.
10 Jova impedire poteſt gentium conſilia,
Et irritos reddere populorum conatus.
11. Jovæ vero conſilia ſunt immutabilia,
Ejus decreta durant ad omnes ætates.
12. Beatus eſt ille populus, cujus Deus eſt Jova,
Populus, quem tanquam peculium amat.
13. De coelo Deus proſpicit, et videt genus humanum.
14. Ex ſolio ſedis ſuæ intuetur hujus terræ incolas.
15. Fingit eorum corda, intelligit eorum conſilia.
16. Rex non ſervatur multo robore,
Aut heros multis viribus eripitur.
17. Equus ad opem ferendam eſt impotens,
Et ſuo robore neminem ſervabit.
18. Enim-

interpretum antiquorum in mutatione ejus perquam facili movet me, ut hanc veram lectionem eſſe judicem. Legerunt nempe כְּנֹאד *tanquam utrem* ſ. *in utre*. Sic οἱ ὁ, ὡσεὶ ἀσκὸν, Symmachus: ὡς ἐν ἀσκῷ. Vulgatus et Hieronymus: *congregans quaſi in utre aquas marinas:* Syrus: *congregat tanquam in utre*, neque aliter Chaldæus: דְּמַכְנֵס הֵיךְ זִיקָא *congregat ſicut utrem*. Quo magis miror, cum Chaldæus quoque hanc lectionem exhibeat, *Kennicottum* eam in nullo codice reperiſſe.

18. Enimvero Deus intentum habet oculum in eos,
qui ipſum timent,
Qui ejus gratiam expectant,
19. Ut eos e mortis periculo eripiat,
Ut ſervet eos in fame —
20. Deum præſtolamur auxiliatorem et defenſorem
noſtrum.
21. Imo lætamur de eo,
Ejusque nomini ſanctiſſimo confidimus.
22. Tua nos gratia complectere, o Jova,
Quoniam in te ſperamus.

PSALMUS XXXIV

Occaſionem, qua Pſalmus ſcriptus eſt a Davide, primus verſus exponit. Suum exemplum proponit aliis, docetque omnes, qui in Deo ſpem ſuam fiduciamque ponant, de ejus auxilio et defenſione certos eſſe poſſe. Pſalmus eſt alphabeticus.

1. Pſalmus Davidis. Cum coram rege Abimelecho *a*) ſimularet, ſe mente captum eſſe, et propterea ab eo ejectus ſalvus evaderet.
2. Gratias agam Jovæ perpetuo,
Semper in ore meo habebo ejus laudes.

3. De

a) Hiſtoria legitur 1 Sam. 21, 11 ſeqq. Nomen proprium hujus regis erat Achiſch. Illud vero Abimelechi commune erat omnibus Philiſtæorum regibus, ut Aegyptiorum Pharaonis. cf. Geneſ. 20, 3. 21, 22.

3. De Deo gloriabor. Miseri audiant et lætentur.
4. Celebrate mecum Jovam, extollamus nomen ejus una.
5. Deum precibus adii, meque exaudivit,
   Ex omni metu me eripuit.
6. Hunc intuemini et gaudete *b*),

Non

b) Secutus sum interpretes antiquos, qui omnes, excepto Chaldæo, aliis punctis subjectis legerunt imperativos הַבִּיטוּ et נְהָרוּ. οἱ δὲ, προσέλθατε πρὸς αὐτὸν καὶ φωτίσθητε. Vulgatus: *Accedite ad eum et illuminamini.* Aquila: ἀπο-βλέψατε, *respicite.* Syrus: *respicite ad eum et sperate in illo.* Tantum in explicando verbo נהרו dissentiunt propter diversam ejus significationem *confluendi* et *gaudendi.* Mihi quidem posterior præferenda videbatur, quæ non solum ex linguis cognatis, sed etiam ex usu hebraico probari potest, e. c. Jes. 60, 5. cf. *Schultensius* ad Job. 3, 4. Quodsi lectio illa prioris membri vera est, in posteriori quoque cum iisdem illis interpretibus legendum est וּפְנֵיכֶם *facies vestræ.* Vulgares explicationes, quæ tertiam personam aut impersonaliter positam esse volunt, aut ex versu tertio nominativum repetere, aut pronomen relativum אשר supplere, partim nimis quæsitæ videntur, partim contextum minime faventem habent. Præcedit imperativus in versu quarto, et sequitur rursus in nono et decimo. — Literam Vau, quæ sequentem versum debebat incipere (nam Psalmus, uti supra dictum, alphabeticus est), alii huic ipsi versui in posteriori membro junctam volunt, alii integrum versum literæ Vau excidisse statuunt. cf. observatt. ad Ps. 25, lit. b et f, ubi similes anomaliæ adfuerunt.

Non pudore ſuffundemini.

7. Hic miſer clamavit, Jova exaudivit,
Et liberavit eum ex omnibus anguſtiis.
8. Dei angeli *c*) caſtra ponunt circum eos, qui ipſum timent,
Eosque eripiunt *ex omni periculo.*
9. Experientia cognoſcite, quam bonus ſit Jova,
Beatus eſt is, qui ad eum confugit.
10. Timete Jovam ſancti ejus,
Nihil enim unquam iis deerit, qui eum timent.
11. Leones egebunt *d*) et eſurient,

Sed

c) Non de angelis proprie dictis ſermo eſt, ſed omnia media, quibus Deus utitur ad cultores ſuos defendendos, Hebræi angelos, ſive miniſtros Dei vocare ſolent.

d) Diſſentiunt interpretes, quo ſenſu h. l. כְּפִירִים *leones* dicti ſint; num proprie, an improprie de hominibus divitibus ſ. potentibus, ſuis viribus, ut leones, fidentibus? Poſteriori modo acceperunt *ol ó*, Vulgatus, Syrus, πλούσιοι, *divites* עֲתִירֵי niſi forte legerunt כֹּפְרִים. Nonnulli recentiores interpretes ex ſignificatione verbi כפר in linguis cognatis *infidelis fuit* ſ. *abnegavit Deum*, homines improbos ſ. infideles intelligunt, quibus Deo fidentes opponantur in altero membro. Quæ opinio dudum jam aliis in mentem venerat. vid. *Schoettgenii* Diſſertat. VI. de Exergaſia S. adjecta Horis Hebr. et Talmud. p. 1259. — Mihi quidem non diſplicet ſententia

Sed qui Deum colunt, nullo bono carebunt.

12. Agite, filii, audite me, timorem Jovæ vos docebo:
13. Quis eſt, qui vitam agere vult felicem, longævam et fortunatam?
14. Serva linguam tuam a pravitate,
Et labia tua a ſermonibus fraudulentis.
15. Recede a malo et fac bonum,
Et pacis omni modo ſis ſtudioſus.
16. Oculi Jovæ reſpiciunt bonos,
Aures ejus auſcultant eorum preces.
17. Ira vero ejus vertitur in improbos,
Ut vel memoriam eorum e terrarum orbe deleat.
18. Clamant pii *e*), et Jova audit,
Eosque ex omnibus calamitatibus eripit.
19. Propinquus eſt Deus iis, qui animo ſunt afflicto,
Contritos ſpiritu ſervat.
20. Pio cum multis malis eſt conflictandum,
Sed ab omnibus eum Jova liberat.
21. Cu-

tentia *Michaelis*, qui dicta hæc eſſe putat per conditionem ab impoſſibili: Fieri non poſſe ut leones juniores fame perirent. Sed hoc quoque conceſſo, fieri non poſſe, ut, qui Deo confidant, ſint infelices.

e) Omnes interpretes antiqui, οἱ ἑ, Syrus, Arabs, Vulgatus et Chaldæus legerunt צֹרְקִים. Remotius eſt quam ut ex verſu 16. repetatur, interjecta alia ſententia verſus 17. Sed propter ſimilem vocem præcedentem צֹעֵק facile potuit excidere.

21. Custodit omnia ossa, ut nullum ex iis frangatur *f*).
22. Perimet impios ipsa eorum improbitas,
Qui pium oderunt, poenas dabunt.
23. Servat Jova suos, neque punientur, qui ei confidunt.

PSALMUS XXXV

Provocat vindictam divinam contra hostes et calumniatores. Incertum est, num, quod multi volunt, ad tempora Sauli sit referendus. Nam potest quoque Absolomo ejusque sociis, Abitophelo inprimis, accommodari.

1. Psalmus Davidis. Contende Jova cum iis, qui mecum contendunt.
Pugna cum iis, qui me oppugnant.
2. Prehende clipeum et parmam,
Veni in meum auxilium.
3. Stringe hastam, et retine impetum persecutorum meorum,
Dic mihi: ego sum tua salus.
4. Erubescant et ignominia afficiantur, qui vitæ meæ insidiantur,
Avertantur et confundantur, qui malum meum machinantur.
5. Similes sunt paleæ a vento dissipatæ,
Ange-

f) Est dictio proverbialis, quæ singularem Dei curam et providentiam erga suos indicat, uti similis Christi Matth. 10, 30. *capilli capitum vestrorum numerati sunt.*

Angelus Dei eos proſternat *a*).

6. Via eorum ſit caliginoſa et lubrica,
Angelus Dei eos perſequatur.

7. Etenim ſine cauſa rete mihi abdiderunt pernicioſum,
Sine cauſa foveam mihi foderunt *b*).

8. In-

a) Pro דִּחָה legendum eſſe דְּחָם partim ellipſis durior h. l., partim paralleliſmus ſequentis verſus, in quo legitur רִדָּפֵם, partim conſenſus antiquorum interpretum, præter Chaldæum, abunde probant.

b) Equidem lubenter concedo viris doctis, faciliorem eſſe nexum utriusque membri, ſi ex priori שַׁחַת transferatur ad poſterius, quæ trajectio præterea auctoritate interpretis Syri defendi poteſt, qui habet: *propterea quod abſconderunt mihi laqueos et rete extenderunt animæ meæ*, Tamen cum in lectione textus recepti conſentiant οἱ ὁ, ὅτι δωρεὰν ἔκρυψάν μοι διαφθορὰν παγίδος αὐτῶν, Symmachus: ὅτι ἀναιτίως κατέκρυψάν μοι διαφθορὰν δικτύων αὐτῶν, Vulgatus: *quoniam gratis mihi abſconderunt interitum laquei ſui*, Hieronymus: — — *inſidias retis ſui*, et Chaldæus: *foveam retis ſui:* nolui difficiliorem lectionem cum faciliori etiam per legem criticam permutare. Videtur quoque ſequens verſus, qui huic reſpondet, quodammodo confirmare lectionem vulgarem, et explicationem τοῦ שַׁחַת quam οἱ ὁ, Symmachus et Vulgatus dederunt. Nam in hoc pro שַׁחַת dicitur שׁוֹאָה *pernicies*, *interitus*. In poſteriori membro autem ſubſtantivum בּוֹר aut ſimile ex verbo *fodere* facile ſubintelligitur, ut in ſexcentis aliis locis.

8. Inopinata pernicies eum deprehendat,
Reti capiatur, quod occultavit, cum interitu ſuo incidat in illud.
9. Tum meus animus de Jova exultabit,
Lætabitur de ejus ſalute.
10. Singula corporis mei membra dicant: quis tui, Jova, ſimilis?
Qui miſerum a potentiore defendis, pauperem a diripiente.
11. Surgunt contra me teſtes violenti,
Qui me criminum accuſant, quorum conſcius non ſum.
12. Rependunt mihi malum pro bono,
Deſertus ſum atque omni ſpe deſtitutus *c*).
13. Ego vero, cum ægrotabant, veſte lugubri incedebam, jejunando me ipſe afflixi,
Et capite ad ſinum incurvato precabar *d*).
14. Per-

c) Ad שְׁכוֹל לְנַפְשִׁי repetendum eſt יְשַׁלְּמוּנִי ex priori membro: *rependunt orbitatem animæ meæ*, quorum verborum ſenſum in verſione expreſſi.

d) hebr. *et preces meæ in ſinum meum revertebantur*, nonnulli explicant: ardenter et repetitis precibus precabar. Sed aſſentior *Koehlero*, qui (in Repert. P. V. p. 82.) recte obſervat, Hebræos varios geſtus aut ſitus corporis adhibuiſſe inter precandum; quorum hic fortaſſe ſpecies

14. Perinde ac ſi amicus aut frater eſſet, incedebam,
Tanquam qui matrem luget, pullatus, incurvus.
15. At illi in calamitate mea lætantur et conveniunt,
Conveniunt contra me miſeri iſti, quod non exſpectabam,
Convitiis me proſcindunt, neque ceſſant.
16. Inter profanos, qui lucri cauſa me derident,
Frendent ſuper me dentibus *e*).

ſpecies fuerit in magna triſtitia, ut capite in ſinum inclinato precarentur, cf. 1 Reg. 18, 42. — Id ipſum refert quoque de Muhammedanis *Relandus* in libro *de Religione Mohammedica* p. 87. ubi varios eorum geſtus æri inciſos exhibet, inter quos is, qui in tertia figura comparet, huic, de quo in noſtro loco ſermo eſt, ſimilis videtur.

e) Tantus eſt in verſſ. 15. et 16. diſſenſus antiquorum interpretum, ex quo recentiores textum receptum corruptionis arguunt, ut tot fere horum verſuum verſiones legas, quot interpretes. Recenſuit eas *Koeblerus* l. c. p. 83 ſeqq. — Quanquam nolim fidenter affirmare, lectionem vulgarem vitii omnis expertem eſſe, tamen non ſatis tutum videtur, aut ſequi h. l. verſiones antiquas, quarum auctores conſtat in hujusmodi locis ſenſum utcunque dediſſe; aut indulgere conjecturis, cum verba textus admittant explicationem, quanquam in nonnullis paullo duriorem. Igitur acquieſcendum judicavi in lectione textus recepta, quam ex uſu verborum

17. O Domine, quousque aſpicies?
Eripe animam meam ex iſtis eorum vaſtationibus, a leonibus vitam meam.
18. Te celebrabo in magno conventu,
Coram populo numeroſo te laudibus efferam.
19. Ne lætentur de me, qui me ſine cauſa oderunt,
Ne ludibrio me habeant *f*) inimici mei iniqui.
20. Nil minus *g*) quam concordiam ſuadent,
Potius

rum alias obvio tironum gratia paucis explico: verſ. 15. בְּצַלְעִי proprie *in claudicatione mea.* cf. Pſ. 38, 18. Jer. 20, 10. — נְכִים *percuſſi* ſc. pedibus, h. e. claudi. Sic formula plene legitur 2 Sam. 4, 4. נְכֵה רַגְלָיִם de Mephiboſetho. Improprie igitur h. l. et per contemtum David hoſtes ſuos vocat *claudicantes*, ut latine et germanice *miſeros* vocamus, quanquam quoad fortunam externam tales non ſunt. — וְלֹא יָדַעְתִּי verti: *quod non expectabam*, ſic יָדַע dicitur Jer. 11, 19. Job. 9, 5. et ſupra verſ. 8. — In verſu 16. חֲנֵפִים ſunt *profani homines, impii*, qui ſic ſæpe dicuntur, Job. 8, 13. 13, 6. et לַעֲנֵי מַעֻגָ *ſubſannantes ob placentam*, qui lucri cauſa cum Davidis inimicis faciebant, eumque una cum illis infeſtabant.

f) proprie; *ne nictent oculo.* Sic Prov. 6, 13.

g) Non aſſentior *Cappello*, *Hubigantio* et *Koehlero*, qui pro לֹא lege volunt לִי uti οἱ ὁ, Vulgatus et Arabs legerunt. Non video in textu ambiguitatem. Ex multis exem-

Potius contra homines tranquillos *h*) fraudulenta
consilia ineunt.

21. Diducto contra me ore exclamant:
Euge! euge! jam videmus quod cupimus.

22. Verum et tu vides, o Deus, ne sileas;
Domine, ne procul a me absis.

23. Evigila et expergiscere ad judicium meum,
Mi Deus et Domine, ad litem meam.

24. Judica me pro tua justitia, Jova mi Deus,
Ne lætentur de me amplius.

25. Ne apud se cogitent: ita votum nostrum succesſit;
Ne dicant: subegimus eum.

26. Erubescant et pudore afficiantur omnes, qui de
malo meo lætantur,
Pudore et ignominia circumfundantur, qui se
superbe contra me efferunt.

exemplis constat לֹא per litotin eo fortius affirmare, quod negatur. Neque David describit in hoc Psalmo hostes, qui eum tecte infestabant, sed qui aperte interitum ejus intendebant.

h) Miror cum *Koehlero* (l. c. p. 90.) varios conatus interpretum recentiorum explicandæ formulæ רְגִעֵי אֶרֶץ cum רגע haud dubie notionem *quietis* et tranquillitatis habeat, e. c. Jer. 47, 6. atque hæc quoque h. l. adeo apta sit, ut minime necesse videatur aliam longius arcessere. Intelligit David se ipsum et qui a partibus ejus erant.

27. Ovent et gaudeant, qui juſtæ meæ cauſæ favent,
Semper dicant: celebretur Jova, qui cultoris ſui
felicitatem promovet.
28. Lingua mea tuam prædicabit benignitatem,
Omni tempore tuas laudes.

PSALMUS XXXVI

Vindiciæ providentiæ divinæ et ſummæ erga homines benignitatis, adverſus eos, qui eam dictis et factis negant.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis, cultoris
Jovæ,
2. Impietas impio ſua quoque conſilia ſuggerit *a*).
Omni

a) Lectionem textus receptam נְאֻם פֶּשַׁע לָרָשָׁע בְּקֶרֶב לִבִּי ex antiquis interpretibus exhibet Symmachus: *φησὶν περὶ ἀσυνθεσίας τοῦ ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ καρδία μου*, h. e. *de impii profanitate ego ita ſentio.* Sic fere Lutherus et alii. Chaldæus eandem lectionem habet, ſed minus bene eam explicat quam Symmachus: *dicit ſcelus impio* etc. At enim vero illa explicatio ſenſum offert nimis tenuem et carminis gravitate non ſatis dignum. Propterea non dubito quin vera ſit lectio *τῶν ὁ*, Syri, Arabis, Vulgati et Hieronymi: לְבֹו, quam etiam exhibent Codices *Kennicotti* 649, et forte 36. *Oraculum* (quæ propria eſt ſignificatio *τοῦ* נְאֻם) *impietatis impio eſt in corde ſuo.* Quæ bene *Knappius* explicat: Cor impii quaſi templum eſt ſceleris, quod ei non niſi facinora turpiſſima ſuggerit.

Omni Dei reverentia eſt deſtitutus.

3. Tum enim mirifice ſibi placet *b*),
Si ſcelera patrare poteſt deteſtanda *c*).

4. Quidquid dicit, pravum eſt et impium,
Neque recte ſentit, neque recte agit.

5. Etiam in lecto ſuo decumbens meditatur facinora,
Vitæ genus ſequitur impium, nullum ſcelus abhorret. —

6. Tua vero, Jova, benignitas usque ad cælum pertingit,
Tua veritas usque ad nubes.

7. Tua juſtitia ubique eſt conſpicua *d*), tua conſilia imperveſtigabilia.
Homines atque pecudes conſervas.

b) Multi interpretes verba כִּי הֶחֱלִיק אֵלָיו בְּעֵינָיו de hypocriſi explicant, qua impius Deum fallere aut placare ſtudeat. Sed quoniam in ſequentibus non ſermo eſt de hypocrita, verum de homine manifeſte impio, malim, ut Chaldæus aliique interpretes, הֶחֱלִיק intranſitive accipere pro *blandum eſſe. Blandum eſt ipſi in oculis ſuis*, h. e. quod in verſione ſcripſi: placet ſibi ipſe.

c) Hærent interpretes in לִשְׂנֹא. Sed facilis eſt nexus, neque correctione opus eſt, ſi paſſive vertatur et referatur ad עָוֹן *iniquitas odio habenda* ſ. *deteſtanda*, ut Pſ. 32, 9. לְבֶלוֹם.

d) hebr. *montes Dei*, h. e. montes altiſſimi (*Glaſſius* p. 44.)

8. Quam admirabilis eſt tua, o Deus, benignitas!
Sub tuo enim tutamine homines ſecuri eſſe poſſunt.
9. Obruuntur bonis præſtantiſſimis domus tuæ *e*).
Potùm eis præbes e flumine deliciarum tuarum.
10. Nam apud te fons eſt perennis felicitatis,
Per tuum favorem omni fruimur proſperitate.
11. Perge *f*) in hac tua benignitate demonſtranda iis, qui te amant.
Et in juſtitia tua exhibenda, qui animo ſincero pietati ſtudent.
12. Noli permittere, ut ſuperborum audacia me opprimat,
Aut improborum potentia me in exilium propellat. —
13. Jam pereunt impii! ita proſternuntur, ut ſurgere non poſſint.

PSAL-

e) *Domus Dei*, h. l. eſt mundus, in quo divina providentia multis modis proſpexit, non ſolum neceſſariæ vitæ humanæ ſuſtentationi, ſed etiam copiæ et abundantiæ. Eadem ſententia eſt, quæ adfuit ſupra Pſ. 33, 5.

f) מְשֹׁךְ non intelligo de collatione benignitatis divinæ, quam in antecedentibus jam deſcripſerat, ſed de ejus continuatione.

PSALMUS XXXVII

Felicitas impiorum temporaria tantum eſt et incerta, propterea non invidenda. Pſalmus alphabeticus, in quo ſingulis literis bini verſus a poeta dati, quorum prior ordini literarum reſpondet.

1. Pſalmus Davidis. Noli iraſci impiis, noli invidere ſceleratis.
2. Nam ſicuti gramen mox ſuccidentur,
   Et ſicuti herba viridis marceſcent.
3. Fide Jovæ, fac bonum,
   Tunc terram inhabitabis *a*) et ſecure vives *b*).
4. Oblectare in Jova, is tuas preces exaudiet.
5. Committe Jovæ res tuas, ei confide, is perficiet *omnia*.
6. Atque tuam innocentiam ut lucem producet,
   Et ius tuum ut meridiem.
7. Acquieſce in Deo, et ſpem tuam in eo pone,

a) Hanc promiſſionem ſæpe repetit David in hoc Pſalmo, verſſ. 9. 11. 22. 27. 29. 34. Peculiaris erat Iſraelitis, ad novam oeconomiam non transferenda. cf. Pſ. 25, 13. lit. c).

b) Aſſentior *Schultenſio*, qui in Animadverſſ. ad h. l. אֱמוּנָה explicat per *ſecuritatem*. Igitur *paſcere ſecuritatem*, ſive, ſi malis, *in ſecuritate*, nihil aliud eſt, quam *ſecure vivere*. De verſionibus antiquis cf. dicta a nobis ad Pſalterium Syriacum et *Koehlerum* in Repertorio P. VI. p. 6.

Noli iraſci felicibus ſucceſſibus improbi *c*).

8. Remitte ab ira, deſine ſuccenſere,
Ne, quando iraſceris, ipſe male agas.
9. Impii enim funditus exſtirpabuntur,
Sed Deo confidentes terram poſſidebunt.
10. Brevi tempore nusquam erit impius,
Si locum ejus quæras, non extabit amplius.
11. Pii vero tenebunt terram,
Et magna felicitate læti fruentur.
12. Impius prava contra pium conſilia machinatur,
Et frendet in eum dentibus.
13. At ridet Deus eum,
Novit enim pœnam ejus appropinquare.
14. Gladium ſtringunt impii, arcum intendunt,
Ut miſerum inopemque proſternant, ut pios trucident.
15. Gladius eorum ipſos interficiet,
Atque arcus eorum frangetur.
16. Piorum tenues opes longe præferendæ ſunt impiorum divitiis.
17. Nam impiorum potentia infringetur,

Pios

c) Poſterius membrum hujus verſus fortaſſe integrum verſum conſtituit. Alias deeſt verſus alter, qui literæ Dalet addi debebat. Integrum verſum excidiſſe, probabile non eſt, cum hujus defectus nullum neque in verſionibus, neque in codicibus indicium inveniatur.

Pios vero Jova ſuſtentat.

18. Novit Deus quæ piis eveniunt,
Et facultates eorum in multa ſæcula eis conſervantur.

19. Tempore adverſo ſpe ſua non excident,
Et tempore famis ſaturabuntur.

20. Impii vero peribunt, inimici Jovæ ut adeps arietum conſumentur, ut *d*) fumus evaneſcent.

21. Mutuatur impius, neque reddit,
Pius benignus eſt et liberalis.

22. Profecto, quibus *Deus* benedicit, terram poſſidebunt;
Quibus maledicit, ex ea exſtirpabuntur.

23. Jova virum bonum in rebus ſuis juvat,
Et conatus ejus proſperat.

24. Si cadit, non abjectus jacet,
Nam Jova eum manu ſua ſuſtentat.

25. Puer fui, ſenex factus ſum,
Neque vidi juſtum derelictum, aut poſteros ejus victum quærentes *e*).

26. Omni

d) Pro בְּעֵשֶׂן omnes interpretes antiqui et 30. Codd. *Kennicotti* habent כְּעָשָׁן *ficuti fumus.* Tantum Chaldæus legit cum Bet.

e) Hæc ſpes Davidis fundata erat in promiſſione ſpeciatiori Iſraelitis data, Deum hominem impium jam in hac vita puniturum, pium vero, ſi quoque ad tempus infelix

26. Omni tempore liberalis eſt et beneficus,
Propterea quoque poſteri ejus ſunt fortunati.
27. Fuge malum, fac bonum,
Et terram perpetuo inhabitabis.
28. Jova enim amat juſtitiam, neque deſerit ſuos cultores.

Omni tempore eos tuetur, *f*) Impio-

infelix ſit, tamen tandem liberaturum eſſe et ſervaturum. Chriſtianis hæc ſpes non de hac vita, ſed de futura facta eſt. Igitur hæc non abſolute ſunt intelligenda aut expectanda. cf. obſervat. ſub lit. a).

f) Valde probabilis eſt conjectura, excidiſſe ante זֶרַע prius hemiſtichium verſus, qui cum litera ע debebat incipere. Legerunt hoc οἱ ὁ, dum vertunt: ἄνομοι δὲ ἐκδικηθήσονται, ſecundum Codicem Alexandrinum, ubi minus accurate Codex Vaticanus habet: ἄμωμοι ἐκδικήσονται, quam lectionem Arabica verſio exhibet. Symmachus: οἱ δὲ ἄνομοι ἐξαρθήσονται. (vid. Repertorium P. XIV. p. 187.) Vulgatus: *injuſti punientur*. Hi igitur interpretes legerunt haud dubie עַוְלִים נִשְׁמְרוּ. Quæ verba ſi textui reſtituantur, reſpondent una cum ſequentibus: *ſemen impiorum exſcindetur*, ſtructuræ Pſalmi. Sic enim efficiunt verſum integrum cum ע incipientem, cui ſequens undetrigeſimus jungendus eſt. Quæ emendatio longe ſane facilior eſt, quam ſuſpicio *Michaelis*, duos verſus integros deeſſe. vid. Biblioth. Or. P. XII. p. 147. cf. *Hubigantius*, *Venema* ad h. l. *Koeh-lerus* in Repert. P. VI. p. 13.

Impiorum vero posteri perduntur.

29. Probi terram possidebunt,
Et habitabunt eam perpetuo.

30. Justus ore sapienter,
Et lingua sua pie loquitur.

31. Legem Dei sui in animo habet,
Non vacillat ejus gressus *g*).

32. Insidiatur impius pio,
Et quærit, quomodo eum interficiat.

33. Jova non tradit eum ejus manibus,
Neque eum in judicio damnat *h*).

34. Expecta modo Jovam, ejusque legem serva,
Tunc tutum te præstabit, ut terram possideas,
Atque impiorum excidium videbis.

35. Vidi

g) Tirones moneo ne hæreant in constructione verbi singularis numeri foeminini generis cum nomine numeri pluralis תִּמְעַד אֲשֻׁרָיו. Est idiotismus linguæ, cujus multa alia exempla extant, Ps. 18,35. 119,98. Jer. 2,15. vid. *Glassius* in Tract. de Verbo pag. 328.

h) Sub judicio divino, in quo absolutus dicitur pius, intelligitur felix exitus illius litis, quam habuit cum impio, sive liberatio ex illo periculo, quod ei timendum fuisset, nisi divina providentia esset servatus. Tunc enim Deus quasi sententiam dixisse et litem diremisse videri potest, uti in vita communi sententia pronunciata judex litem dirimit.

35. Vidi impium ferocem et ſeſe efferentem ut cedrum viridem *i*).

36. Cum

i) Quoniam אֶזְרָח alias ſemper de *homine indigena* dicitur, cui גֵּר *peregrinus* opponitur, non placet lectio recepta אֶזְרַח רַעֲנָן *indigena viridis*, non tam propter adjectivum רַעֲנָן quod ſcio etiam metaphorice de ſtatu hominum felici dici, quam potius propter comparationem, quæ hoc loco fit, inter hominem עָרִיץ et inter אזרח רענן quæ non commoda videtur, ſi ſub hoc quoque *homo* intelligatur, quidquid pro hac ſententia dicat *Celſius* in Hierobot. P. I. p. 194. Propterea ſecutus ſum lectionem τῶν ὁ et Vulgati, qui legerunt כְּאַרְזֵי *ſicuti cedrus*. Quisque vel me non monente videt, quam facilis ſcribarum error fuerit literarum ר et ז transpoſitione. In ſequenti voce רַעֲנָן non opus videtur mutatione, quam iidem interpretes habent, neque in antecedente מִתְעָרֶה dum vertunt: καὶ ἐπαιρόμενον ὡς τὰς κέδρους τοῦ Λιβάνου, *et elevatum ſicut cedros Libani*. Nam hæc ſignificatio עָרָה recte tribuitur ex ſignificatione verbi ערר *eminere* (*Golius* p. 1568.) hinc in Hitpael *ſeſe efferre*. Libani vero nomen addiderunt fortaſſe, quoniam *cedri* in hoc monte maxime creſcunt. — Cæterum אֹרֶז non *pinum* eſſe, quod *Celſius* in Hierob. P. I. p. 106. probare voluit, ſed *cedrum*, *Michaelis* in Supplementis ad Lexica Hebr. ſub h. v. poſt *Jac. Trew*, qui hoc contra *Celſium* defenderat, denuo aſſeruit.

36. Cum præterirem *k*), erat nusquam,
Quæsivi eum nec inveni.
37. Attende ad virum bonum, observa *quid eveniat*
viro integro.
Profecto præmia videbis ei manere.
38. Peccatores ad unum omnes perduntur,
Tandemque improbi exscinduntur.
39. Salus *l*) justis a Jova venit,
Quorum robur est tempore adverso.
40. Juvat eos, immo eripit, eripit eos impiis,
Servat eos, quoniam in eo sperant.

PSAL-

k) In textu legitur tertia persona וַיַּעֲבֹר *et transiit.* Sed primam אֶעֱבֹר legerunt οἱ ὁ, Syrus, Vulgatus, Hieronymus. Melius haud dubie propter sequentia וְהִנֵּה אֵינֶנּוּ quæ frigent, si præcedit: *et disparuit — et ecce non fuit.* — Ineptam h. l. lectionem exhibet Codex 97. *Kennicotti:* ויעבר יהוה. Sed fortasse is, qui hunc codicem conferebat, ex sequenti והנה si literæ ו et נ paullulum erant deletæ, effinxit יהוה.

l) Literam Vau ante תְּשׁוּעַת deleri jubet structura Psalmi alphabetici. Hic enim versus cum litera ת debet incipere. Omittunt ו Syrus et Arabs. Fortasse neque græci interpretes, Vulgatus et Hieronymus legerunt, quanquam vertunt: *σωτηρία δὲ τῶν δικαίων, salus autem justorum.* Quoniam Chaldæus legit cum Vau, non valde miror *Kennicottum* in duobus tantum Codd. 100. et 606. veram lectionem invenisse.

PSALMUS XXXVIII

Graviſſime dolet propter maximas animi et corporis afflictiones, quas quidem ſuis peccatis commeruiſſe fatetur, attamen Deum auxilium ſuum ei non prorſus ſubtracturum eſſe et ſperat et optat. — In initiis ſeditionis Abſolomicæ, cum in ſummo periculo eſſet, fortaſſe ſcriptus.

1. Pſalmus Davidis in memoriam *a*) —.
2. Jova, noli me in ira tua caſtigare,
   Noli me in indignatione tua punire.
3. Nam ſagittæ tuæ mihi infixæ ſunt,
   Manus tua me premit.
4. Nihil ſani eſt in corpore meo propter tuam indignationem,

Nulla

a) hebr. לְהַזְכִּיר. De hac inſcriptione, quæ tantum huic et ſeptuageſimo Pſalmo præfixa eſt, interpretes, uti de pleriſque, diſſentiunt. *Michaelis* quidem in verſione ſua germanica vertit: *bey dem Opfer*, ex conjectura, quam in Collegio Crit. p. 419. attulerat, uſurpatum fuiſſe hoc verbum in ſacrificiis, Exod. 34, 19. Jeſ. 66, 3. Sed ipſe vidit obſtare locum 1 Par. 16, 3. Verſio græca atque ex ea Vulgata addunt *περὶ τοῦ σαββάτου, in rememorationem de Sabbato*. Sed argumentum Pſalmi huic explicationi non convenit. Igitur aſſentior potius illis, qui לְהַזְכִּיר in ſignificatione ſua propria accipiunt, atque hunc Pſalmum a Davide compoſitum ſtatuunt in memoriam magnæ cujusdam afflictionis et gratioſæ liberationis et conſervationis, quam in ea expertus ſit.

Nulla membris meis quies ob peccata mea *b*).

5. Meorum peccatorum pœnæ me obruunt,
Inſtar gravis oneris me opprimunt.

6. Foetent et contabeſcunt ulcera mea propter delicta mea.

7. Corpore incurvo et prorſus depreſſo
Omni tempore habitu lugubri incedo.

8. Viſcera mea torrentur,
Nihil ſani eſt in corpore meo.

9. Vehementer debilitatus ſum et contritus,
Præ animi triſtitia ingemiſco.

10. Tibi enim, o Domine, animi mei deſideria nota ſunt,
Gemitus mei te non latent.

11. Cor meum agitatur, vires deficiunt,
Ipſorum etiam oculorum meorum lumen ceſſat.

12. Amici mei et familiares plagam meam eminus intuentur,
Et propinqui mei e longinquo adſtant.

13. Laqueos tendunt, qui vitæ meæ inſidiantur; qui interitum meum optant, impie ſentiunt,
Fraudes omni tempore machinantur.

14. Ego

b) Non de morbo vero, quo tunc David affectus fuerit, ſermo eſt, ſed comparat ſtatum ſuum valde afflictum et maxime periculoſum cum ſtatu hominis lepra infecti, quæ pro pœna, divinitus inflicta ob peccata graviſſima, ab Iſraelitis habebatur.

14. Ego vero tanquam ſurdus non audio,
Et tanquam mutus ſum, qui os non aperit.
15. Similis ſum ei, qui non audit,
Neque alios refutare poteſt.
16. Te enim, o Jova, expecto,
Tu reſpondebis Domine, mi Deus.
17. Nam precatus ſum *c*): Noli permittere, ut de me lætentur hoſtes mei *d*);
Nam ſi caderem, magnopere ſe contra me efferrent.
18. Lapſui enim proximus ſum,
Et perpetuo dolore angor.
19. Ego ſane peccata mea confiteor,
Et de meis delictis ſum ſollicitus.
20. Hoſtes vero mei felices ſunt et potentes,
Multi ſunt, qui me ſine cauſa oderunt.
21. Malum mihi pro bono rependunt,
Adverſantur mihi eo, quod virtuti ſtudeo.
22. Noli me deſerere, o Deus,
Neque te mihi ſubtrahere.
23. Propera ad meum auxilium,
Domine, mea ſalus!

PSAL-

c) Sequuntur usque ad finem preces tum fuſæ.

d) Supplent hunc nominativum אֹיְבַי *oi é*, Vulgatus et Arabs: *μήποτε ἐπιχαρῶσί μοι οἱ ἐχθροί μου. Ne quando ſupergaudeant inimici mei.* Nec tamen propterea excidiſſe hanc vocem fidenter ſtatuam, quoniam in hoc contextu atque in affectu precantis facile ſubintelligitur.

PSALMUS XXXIX

Argumentum idem fere eſt, quod Pſalmi XXXVII, non invidendam eſſe hominibus impiis fortunam ſecundam, qua nonnunquam uterentur. Sed in hoc Pſalmo divinus vates alia ratione utitur: hominem nempe non huic, ſed alii eique æternæ vitæ eſſe deſtinatum.

1. Præfecto chori muſici, Jeduthuni *a*). Pſalmus Davidis.
2. Statui in omni vita diligenter cavere, ut ne quid lingua peccem,
   Atque os meum *quaſi* capiſtro *b*) frenare, quamdiu impius mihi obverſatur.
3. Penitus obmutui, atque ab omni gaudio me abſtinui. Quamvis hoc ipſo dolor meus augebatur.
4. Cor mihi incaluit in æſtu meo *c*), exarſit ira,

a) Mentio ejus fit 1 Chron. 16, 41.

b) Significationem vocis מְחֶסֹם *frenum* a *Michaele* in Biblioth. Or. P. XII. p. 148. in dubium vocatam ſatis probavit *Koehlerus* in Repertorio P. VI. p. 22. ex lingua Chaldaica et Arabica. In noſtro loco quoque ſic verterunt Chaldæus, Symmachus: φυλάξω τὸ στόμα μου φίμῳ; LXX quoque interpretes et Vulgatus non quidem vocabulo *freni*, attamen ſic ut appareat eos non aliter legiſſe: ἐθέμην τῷ στόματί μου φυλακήν, *poſui ori meo cuſtodiam*, et Hieronymus: *cuſtodiam os meum ſilentio.*

c) De vocabulo rariori דָּגַן cf. obſ. ad Pſ. 5, 2. *Michaelis*

Tandem in hæc verba lingua erupit:

5. Fac, Jova, ut vitæ meæ finem intelligam, et
quam exigua ſit dierum meorum menſura.
Ut intelligam, quam caducus ego ſim.
6. En palmares *d*) feciſti dies meos, ævum meum
fere nihil eſt apud te,
Omnis homo admodum caducus eſt, dum firmiſ-
ſime conſtitutus videatur *e*).
7. Um-

chaelis l. l. confert חָרָה quod idem eſt cum חָרַר *arſit, ferbuit;* hinc ſubſtantiva utriusque verbi ſignificant *ardorem ignis.* Qui deinde tropice h. l. dictus eſt de æſtu animi, qui providentiæ divinæ fatis iraſcitur. Explicatio hæc utique contextui aptiſſima videtur.

d) hebr. טֶפַח *palmus,* menſura quatuor digitorum. Subſtantivum igitur h. l. pro adjectivo *palmaris,* i. q. breves admodum.

e) Præfero hanc ſignificationem τοῦ נָצַב, de quo vid. *Schultenſius* ad Job. 1, 6. alteri quæ placuit *Doederleinio* et *Knappio, infirmum, debilem eſſe,* ab arab. نصب Zach. 11, 16. quoque obviæ, propter contextum. Etenim non ſermo eſt de homine *infirmo et debili* ſ. *viribus confecto,* ſed de eo qui floret et viget atque in ipſo illo vigore vitæ ſuæ præter ſpem atque opinionem omnium moritur. Neque dici potuiſſet *omnis homo* נָצַב *debilis eſt,* cum plurimi ſaltem ad tempus proſpera valetudine utantur.

7. Umbram ſectatur, fruſtra negotiorum ſtrepitu agitatur.
Multa colligit, et neſcit, cui? —
8. Et nunc, quid ſperem, o Domine!
In te ſpes mea ſita eſt.
9. Condona mihi omnia mea peccata,
Noli me impiorum hominum opprobrio exponere.
10. Obmuteſco, ne verbum quidem profero —
Nam tu *omnia* perficies.
11. Aufer a me plagam tuam,
Ego tuarum poenarum gravitate *f*) ſum confectus.
12. Si tu hominem ob peccata ſua caſtigas, perit ejus vigor quaſi a tinea conſumtus.
Quam caduca eſt omnium hominum natura!
13. Audi, o Deus, preces meas et clamorem meum, attende ad lacrimas meas, ne ſileas!
Nam peregrinus ego ſum et advena, ſicuti omnes majores mei.
14. Deſiſte a me, ut me recreem,
Antequam abeam, et non ſim amplius.

f) hebr. *a conflictu manus tuæ.*

PSALMUS XL

Plurimi interpretes, qui quidem vaticinia in Vet. Teſtamento, atque in ſpecie in Pſalmis de Chriſto concedunt, defendunt hunc Pſalmum non de Davide, ſed de Meſſia eſſe explicandum, permoti maxime pericopa inſigni verſ. 7 — 11. quam Paulus in epiſtola ad Ebr. 10, 5. ſeqq. diſerte de Chriſto explicat. Sed quamquam ego quoque lubenter concedo, illum locum non niſi de Meſſia poſſe intelligi, tamen prima Pſalmi pars verſ. 1 — 6. et ultima a verſ. 12 — 18. perſonæ Meſſiæ non ſatis conveniunt. Nam ſi in prima Meſſias loquitur de paſſionibus ſuis jam ſuperatis, Deoque pro ſua conſervatione gratias agit, non apparet, cur in ultima iterum auxilium divinum ob mala graviſſima, quæ experiatur, imploret. Præterea verba verſ. 13. quæ peccatorum confeſſionem edunt, perſonæ Meſſiæ nullo modo conveniunt, uti infra dicemus. Propterea aſſentior illis interpretibus, qui in prima et ultima parte Davidem de ſe loqui ſtatuunt, in media autem verſ. 7 — 11. Meſſiam loquentem induci. Fortaſſe David hunc Pſalmum compoſuit, cum in fuga eſſet ab Abſolomo filio ſuo. Primo gratias agit Deo, quod fuga feliciter evaſiſſet magno illi periculo, quod ſibi ſuisque a ſeditioſo homine metuendum erat. 2 Sam. 15, 13. Atque hic inſerit canticum illud novum, quod verſ. 4. promiſerat, verſ. 6 — 11. Deinde redit ei memoria periculi, quod reſtabat; propterea addit preces illas ardentiſſimas in verſ. 12 — fin. Ex hac hypotheſi hunc Pſalmum interpretatus eſt Venema, qui tamen primam partem de liberatione a perſecutionibus Sauli explicat, propter quam gratias agat; quæ nimis remota videntur, neque ſatis apta vocabulis tropicis verſ. 3. foveæ, in qua ei pereundum fuiſſet, et luti coenoſi, in quo hæſiſſet. Sed facilior eſt explicatio, ſi ſcena carminis figatur in eo temporis puncto, quo ex urbe Hieroſolyma evaſit, qua fuga et Jordano feliciter ſuperato, in tuto erat, quod ultima verba verſus 3. indicant. Conf.

hiſtoria

Historia 2 Sam. 15, 13. et 17, 16. Video eandem hypothesin Seilero quoque in versione vernacula Psalmorum probari, saltem eatenus, quod Davidem in prima et ultima parte de se loqui, in media autem Messiam loquentem induci statuat. Sed de tempore sive occasione, qua Psalmus compositus sit, nihil habet.

1. Præfecto chori musici. Psalmus Davidis.
2. In Deo spem meam posui.
   Advertit ad me aurem suam, meumque audit clamorem.
3. Extraxit me ex fovea interitus, ex luto coenoso,
   Collocavit me in petra, firmosque mihi dedit gressus.
4. Atque indidit ori meo canticum novum, hymnum in Deum nostrum,
   Multi, qui hoc viderint et ipsi Jovam timebunt eique confident.
5. O beatum hominem *a*)! qui in Jova spem suam ponit,
   Neque societatem init cum hominibus ferocibus et mendacibus.
6. Multa feciſti, Jova, mi Deus, mirabilia *b*). *Multa sunt* consilia tua in salutem nostram.

a) Verba sunt eorum, qui exemplo Davidis excitati in societatem laudum illarum essent venturi.

b) Incipit canticum illud novum, quod vers. 4. promiserat. Sub admirandis Dei operibus intelligit ea omnia, quæ in gratiam et salutem populi Israelitici fecerat.

Nihil poteſt tibi comparari. Publicabo ea et
eloquar —
Sed plura ſunt, quam quæ recenſere queam.

7. Victimis et oblationibus non delectaris *c*) (mihi
aures patefeciſti *d*)),
Holo-

c) Dixerat divinus vates verſ. præced. ſe velle pluribus profequi aut enarrare miranda Dei beneficia in ſe et populum ſuum collata. Sed cum ſe huic rei parem non intelligeret, unum modo idque ſummum affert, promiſſionem ſcilicet Meſſiæ aliquando venturi, cujus objectum h. e. Meſſiam ipſum loquentem introducit verſ. 7 — 11. Nam in his non Davidem, ſed Meſſiam loqui, prorſus perſuaſum mihi eſt, inprimis propter verba verſus octavi, quæ, quantum ego quidem intelligo, de Davide nullo modo poſſunt explicari, ſi quoque concederem Davidem reliqua, quæ in hac pericopa leguntur, de ſe dicere potuiſſe. Quodſi autem illa verba tantum perſonæ Meſſiæ conveniunt, reliqua quoque propter nexum arctiſſimum de eo intelligantur neceſſe eſt. Equidem non ignoro viros quosdam doctiſſimos hæc quoque verba perſonæ Davidis aptare tentaſſe, ſed, uti mihi videtur, perquam coacte et contra uſum loquendi. Ut taceam auctoritatem apoſtoli Pauli nequaquam contemnendam, qui non per accommodationem locum noſtrum citavit, ſed ſenſum, quem verbis ineſſe putabat, indicavit. — Non nimis dura videbitur ſubita perſonarum mutatio in carmine prophetico,

Holocauſta et ſacrificia pro peccatis non poſtulas.

8. Tunc dixi: En venio! in libro *e*) ſcriptum eſt de me.

9. Tuæ voluntati ut ſatisfaciam, mi Deus, vehementer cupio,

Tuaque mandata mecum reputo.

10. Commemoro benignitatem tuam *f*) in cœtu magno,

I 5 Neque

phetico, in aliis quoque obvia, e. c. in pſalmo ſecundo. Et, ſi verba quædam ita ſunt comparata, ut de Davide non poſſint intelligi, quod de verſu octavo aſſerui, quis hæreat in reliquis, cum quibus juncta ſunt, aut dubitet de perſona, cui conveniant?

d) hebr. אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי *aures mihi fodiſti.* Senſus horum verborum, in quibus interpretes mirum in modum argutati ſunt, eſt: *aures mihi dediſti*, ſc. ut plane intelligam. Sic enim latine quoque eleganter dici poteſt: aures Deus nobis patefecit, pro *dedit* ſ. *fecit.* Quem ſenſum etiam οἱ ὁ indicarunt: σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. Nam καταρτίζων, uti in Nov. Teſt., ab eis ſæpe pro *facere*, *perficere* uſurpatur. vid. *Erneſti* Bibl. Theol. nova P. I. p. 37.

e) hebr. *in volumine libri*, quæ eſt periphraſis, i. q. in libro. Aliam periphraſin habent οἱ ὁ: ἐν κεφαλίδι βιβλίου, *in umbilico libri.* Loci in libris moſaicis de ſacrificiis inprimis ſunt intelligendi.

f) Pro צִדְקָתְךָ legendum videtur צִדְקָתֶךָ uti in ſequenti verſu. Sic quidem vertunt Vulgatus, Syrus, Arabs. — Meſſias autem in hoc et ſequenti verſu docet, quomodo partes muneris

Neque labia mea contineo, quod tu, Jova, noſti.
11. Tuam bonitatem apud me non abſcondo,
Fidem tuam tuamque ſalutem prædico,
Non diſſimulo benignitatem et veracitatem tuam
in coetu magno.
12. Noli, Jova g), mihi ſubtrahere tuam miſericordiam,
Benignitas tua et veracitas tua me ſemper tueantur.
13. Tot enim mala me circumdederunt, ut numerari
non poſſint,

Luo

muneris ſui prophetici inter homines peregerit, commemorando nempe juſtitiam et benignitatem, ſacrificio ſuo maxime illuſtrandam.

g) Incipit ultima pars Pſalmi, quam totam, uti ſupra jam obſervavi, ad Davidem refero. Sequens enim verſus continet peccatorum confeſſionem, quæ perſonæ Meſſiæ nullo modo convenit. Nunquam de *ſponſore* dicitur, eum *ſuorum peccatorum* poenas luere. *Impoſita* ei dicuntur aliorum peccata, *ferre* ea dicitur, ut Eſ. 53., *ſolvere* quæ non abſtulit etc. Sed nusquam alias, uti h. l. *mea me delicta comprehenderunt.* Igitur David conſideratione maximorum periculorum, in quibus adhuc verſabatur, quanquam hoſtium ſuorum manibus effugerat, vehementer perterritus, anxie implorat auxilium divinum ſuique conſervationem cum hoſtium ſuorum interitu. — Repetitio quoque verſ. 14 — fin. in Pſalmo ſeptuageſimo probat Davidem hæc in ſua perſona, non in aliena dixiſſe.

Luo jam peccatorum meorum poenas, quorum aſpectum ferre non poſſum,
Plura ſunt capillis meis, animus mihi deficit.
14. Placeat tibi, Jova, me eripere,
Ad meum auxilium feſtina.
15. Confundantur et pudore afficiantur, qui mihi inſidias ſtruunt,
Turpiter retrocedant, qui malo meo delectantur.
16. Obſtupeſcant confeſtim ob ſpem fruſtratam,
Qui mihi acclamant: Euge! euge!
17. Gaudeant de te et lætentur, qui te expetunt,
Semperque *h*) dicant: laudetur Deus! qui per te ſalvi eſſe cupiunt.
18. Ego miſer ſum et egenus, Dominus mei curam habeat,
Tu auxilium et refugium meum es, mi Deus, noli morari.

PSALMUS XLI

Preces ægrotantis pro recuperanda valetudine, et querelæ de perfidia amicorum. — Refertur a multis ad tempora ſeditionis Abſolomicæ, inprimis propter verſum decimum, in quo Ahitophelem putant innui. Sed obſtant huic hypotheſi verſus 7. 8. 9. in quibus David

h) Legendum eſſe וְיֹאמְרוּ quinquaginta Codd. *Kennicotti*, locus parallelus in Pſalmo ſeptuageſimo et verſiones antiquæ ſatis probant.

Vid conqueritur de hominibus quibusdam, qui ſimulabant amicitiam erga ipſum, ſed clam nocere ei ſtudebant. Igitur malim eum referre ad illud tempus, quo adhuc in aula Sauli cum honore et dignitate verſabatur, multosque habebat amicos, ſed inimicos quoque multos, qui animum ſuum hoſtilem in primis prodebant, cum David morbo aliquo laboraret.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Beatus, qui moderate judicat de hoc afflicto *a*):
   Jova eum ex calamitate eripiet.
3. Deus eum cuſtodiet, et vivum et felicem conſervabit,
   Neque eum hoſtium ſuorum lubidini tradet *b*).
4. Deus eum ſuſtentabit morbo decumbentem,
   Aegrotanti ſanitatem reſtituet. —
5. Ego quidem ita precabar: Jova, miſerere mei,
   Sana

a) מַשְׂכִּיל nonnulli de affectu benevolo erga hominem afflictum explicant, ſed שָׂכַל ſignificat *prudentem eſſe.* Neque ſequentia usque ad verſ. 5. beatitudinem illius viri deſcribunt, ſed continent ipſum illud judicium, quod de rebus Davidis ferebat. *Beatus* autem vocatur propter prudentiam, qua aliis præſtat, qui hæc non intelligebant. Sic in Nov. Teſt. quoque *beatus* dicitur, qui plus reliquis intelligit.

b) Verti in tertia perſona, quanquam in textu vulgari legitur ſecunda תִּתְּנֵהוּ *trades eum;* non quoniam falſam putem hanc lectionem, ſed quoniam ſubita illa mutatio perſonarum in lingua latina non tam in uſu eſt, quam in hebræa. Idem ſentio de ſequenti verſu.

Sana me, quamquam adverſus te peccavi.

6. Inimici mei mala mihi imprecantur:
Quando morietur? quando peribit?

7. Si quis forte me inviſit, ſimulat amicitiam,
Sed fraudem nectit et foras egreſſus calumniatur.

8. In me ſuſurrant adverſarii mei,
Meumque interitum machinantur:

9. Culpam facinoris ſuſtinet,
Modo ſuccubuerit certe, non reſurget. —

10. Quin etiam amicus meus, cui fidebam, meus convictor,
Calcem contra me effert *c*).

11. Tu vero, Jova, miſerere mei et me reſtitue,
Tunc eis rependam.

12. Ex eo jam intelligo, te mihi favere,
Quod hoſtis meus nondum de me potuit triumphare.

13. Etenim me propter integritatem meam ſuſtentas,
Meique curam geris admodum benignam. —

14. Laudetur Jova Deus Iſraelitarum in omnem æternitatem. Amen *d*).

LIBER

c) Contemtus cum injuria conjunctus deſcribitur. Tergum obvertit et calcitrat.

d) Doxologia hæc addita eſt a collectore horum carminum in fine libri primi, uti ſimilis legitur in fine ſequentium librorum, nempe Pſalmi 72. 89. 106. De hac Pſalmorum diviſione in quinque libros legi meretur *Eichhorn* in Introduct. in Vet. Teſt. P. III. p. 528 ſeqq.

LIBER SECUNDUS

PSALMUS XLII

Compoſitus haud dubie a Davide in fuga ab Abſalomo filio ſuo, cum caſtra poſuiſſet ad radices montes Libani. II Sam. XVII. 22. ſeqq. Dolet, quod abeſſe debeat a loco Deo ſacro, cujus magno deſiderio teneatur, et ſperat fore, ut Deus eum reducat et ab hoſtibus defendat.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus didaſcalicus a Corachitis canendus.

2. Ut cerva clamat *a*) ad aquarum rivos,

Sic

a) Circa originem verbi עָרַג quod præter h. l. tantum Joel. 1, 20. legitur, diſſentiunt viri docti. Alii per *aſcendere* explicant, alii per *clamare*, coll. arab. عرج quod utrumque ſignificat. Illorum ſententiam præfero, quæ etiam loco Joelis apta eſt. Sic quoque Syrus vertit ܥܪܓ. Reliqui interpretes ſenſum tantum divinaſſe videntur. *Venema* poſt *Schultenſium* confert عرج *ſpirare*, hinc *anhelare*. Sed non opus eſt, ut diverſas literas, quanquam ſimiles, comparemus, cum eadem litera, nempe ע, in lingua Arabica nobis eandem radicem exhibeat. cf. *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. 17. p. 883. edit. Leusd. et *Koehlerus* in Repertorio P. VI. p. 31. qui etiam rationem affert, cur poeta genere foeminino utatur תַּעְרֹג *cerva clamat*: ſolere nempe poetas genus foemininum ponere ut tenerius loco maſculini, quod exemplo ex Pindaro illuſtrat.

Sic anima mea clamat ad te, o Deus!
3. Sitit anima mea Deum, Deum vivum.
Quando fiet, ut faciem ejus videre poſſim *b*)?
4. Eſt mihi lacrima mea cibus die noctuque,
Cum dicunt jugiter: ubi eſt Deus tuus?
5. Tum recordor illorum temporum et propterea intima afficior triſtitia,
Quibus cum cetera turba incedebam *c*) ad templum Dei,

Inter

b) Prafero lectionem per אֶרָאֶה, quanquam complures editiones habent אֵרָאֶה atque *οἱ ὁ*, Vulgatus et Hieronymus ſic legiſſe videntur: *ὀφθήσομαι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ*, *apparebo ante faciem Dei.* Illa tamen quoque extat in editionibus, et facilior eſt altera, ad quam ellipſis præpoſitionis ſupplenda eſt. cf. *Bruns* ad notas criticas Kennicotti in hunc Pſalmum p. 91. — Cæterum in verſione retinui phraſin hebræam minime obſcuram et de apparitione in loco ſacro ſæpe adhibitam.

c) hebr. אֶדַּדֵּם eſt futurum conjugationis Hitpael pro אֶתְדַּדֵּם a דדה *lente proceſſit*, quod vid. in *Buxtorfii* Lex. Talm. Præter h. l. extat Jeſ. 38, 15. In utroque loco ſermo eſt de ſolenni pompa Iſraelitarum ad locum ſacrum. Affixum in noſtro loco reſolvendum eſt in præpoſitionem ſeparatam עִמָּהֶם ex idiotiſmo linguæ, de quo cf. *Glaſſius* p. 167. Plura de diſſenſu interpretum antiquiorum et conjecturis parum neceſſariis recentiorum dabit *Koehlerus* l. c.

Inter voces clamantium et gratulantium et choros tripudiantium.

6. Quid trepidas, anima mea, et quid me conturbas? ſpera in Deo,
Hunc profecto aliquando celebrabo ſervatorem et Deum meum *d*).

7. Anima mea afflicta eſt,
Recordor tui ex tractu Jordani et Hermonis, e monte Mizar.

8. Aquarum gurgites continuo ſtrepunt ad ſonitum canalium tuorum, — *e*)
Sic f) omnes fluctus tui ſe ſuper me effundunt —

9. Interdiu experior Jovæ benignitatem,
Et

d) Satis probatum eſſe arbitror a *Kennicotto* et *Bruniſio* l. c. in hoc verſu legendum eſſe, primo וּמַה תֶּהֱמִי deinde פָּנַי וֵאלֹהָי. Confirmant has lectiones codex *Kennicotti* 1. Argentorat. 2. et Reuchlini 3. οἱ ὁ in Cod. Alex. (Vaticanus enim Vau omittit) Chaldæus, Syrus, Arabs et Vulgatus; et maxime repetitio hujus verſus in duodecimo hujus pſalmi et quinto ſequentis.

e) Reſpicit poeta ad Libani cataractas magno cum ſtrepitu in loca decliviora ſeſe præcipitantes. cf. *Michaelis* ad Lowthum de S. Poeſ. Hebr. Prælect. XXIII. p. 457. edit. pr.

f) Particulæ comparandi omiſſæ ſunt. Illas enim Libani cataractas comparat cum calamitatum fluctibus, quibus fere jam obruatur.

Et noctu eum cano, precor ad Deum vivum g).
10. Dico Deo: tu petra mea, cur mei immemor es?
Cur pullatus incedo ab hoste oppressus?
11. Tamquam si ossa mea frangerentur, *dolent* me
meorum hostium convicia,
Subinde mihi dictitantium: ubi est Deus tuus? —
12. Ast! quid trepidas, anima mea? quid me conturbas? spera in Deo,
Hunc profecto aliquando celebrabo servatorem et Deum meum.

PSALMUS XLIII

Hunc Psalmum male sejunctum esse a præcedenti, tum argumenti conventientia, tum versus ille intercalaris, qui in præcedenti bis legitur vers. 6. 12. et in hoc carmen claudit, tum duodequadraginta codices a Kennicotto citati, in quibus hic Psalmus præcedenti jungitur, abunde probant.

1. Te mihi judicem posco, o Deus, age meam causam contra nationem improbam,
Ab homine doloso atque iniquo me libera.
2. Etenim tu es ille Deus auxilii mei. Cur me deseruisti?
Cur pallatus incedo ab hoste oppressus?
3. Mitte

g) Lectio recepta est חיי *vitæ meæ*. Sed codex Erfurt. 1. Lilienthalii 2. Argentoratenses 3. et Syrus interpres habent חי, uti quoque est in versu tertio. cf. *Brunsius* l. c. p. 111.

3. Mitte lucem et veritatem tuam *a*), qui mihi duces ſint,
Meque in ſacrum tuum montem atque ad tuam habitationem perducant.
4. Tunc accedam ad altare Dei, ad Deum, omnimode me exhilarantem,
Teque in cithara laudabo, mi Deus!
5. Quid trepidas, anima mea, quid me perturbas?
Spera in Deo,
Hunc profecto aliquando celebrabo ſervatorem et Deum meum.

PSALMUS XLIV

Continet preces Iſraelitarum occaſione belli cujusdam, in quo ab hoſtibus ſuis graviter premebantur. Quodnam illud fuerit, difficile eſt ad indagandum. Attamen inſunt characteres quidam, ex quibus fortaſſe probabiliter tempus conjicere licet. Nimirum precantes dicunt, ſe ob religionem ſuam gravem hanc experiri calamitatem et crudeliſſimas hoſtium ſuorum ſuſtinere perſecutiones, tamen ſe conſtantes in ea eſſe, neque idololatriæ reos ſe feciſſe, verſ. 18. ſeqq. — Davidis regno et bellis ab eo geſtis hæc non convenire videntur. Quamquam enim negare nolim, Davidem interdum (inprimis in bello iſto diuturno cum Syris 2 Sam. 10. et 1 Chron. 19. de quo Michaelis hunc et alios quosdam Pſalmos explicat) ancipiti proelio pugnaſſe; tamen gentes illas adeo ſuperiores ei fuiſſe, ut tam crudeliter inter Iſraelitas ſævire potuiſſent, neque probabile mihi

a) h. e. exhibe mihi favorem tuum atque imple promiſſiones tuas mihi datas.

mihi videtur, neque in hiſtoria ulla indicia extant. Igitur magis placet eorum ſententia, qui hunc Pſalmum de perſecutionibus Antiochicis intelligunt, quibus omnia optime conveniunt, ſtili quoque ſimplicitas et facilitas, quæ Pſalmis ſeriorum temporum propria eſt. — At enim vero ex hac hypotheſi Pſalmus non eſt Davidis? — At neque hic auctor perhibetur in inſcriptione. Ex poſteris autem Corachi, quibus hic Pſalmus traditus eſt, vel tunc ſuperſtites quidam fuerunt, vel, quod veroſimilius videtur, referenda eſt hæc inſcriptio ad eas, quæ non ſatis accurate interdum Pſalmis præfixæ ſunt, de quibus vid. Eichhorn in Introduct. in Vet. Teſt. P. III. p. 452.

1. Præfecto chori muſici. A Corachitis canendus Pſalmus didaſcalicus.
2. O Deus! auribus noſtris audivimus, majores noſtri narrarunt nobis
   Facinora, quæ illorum ætate, temporibus antiquiſſimis, patraſti.
3. Tu pro tua potentia gentes expuliſti, illos vero ſtabiliviſti.
   Afflixiſti nationes, illos vero dilataſti.
4. Neque enim ſuo gladio terram expugnarunt, neque ſuo brachio victoriam ſunt conſecuti:
   Verum tua dextra, tuo brachio, tuoque, quo eos complectebaris favore. —
5. Tu idem ille es, mi rex et Deus.
   Præſta Jacobitis ſalutem.
6. Per te hoſtes noſtros proſternemus,

Tua virtute hoſtes noſtros conculcabimus.
7. Non arcui noſtro confidimus,
Non gladius noſter nos defendet.
8. Sed tu nos ab hoſtibus noſtris ſervare potes,
Et inimicos noſtros pudore ſuffundere.
9. De te omni tempore gloriabimur,
Et tuum nomen in perpetuum celebrabimus. —
10. Jam quidem nos deſeris et pudore afficis,
Non egrederis cum exercitibus noſtris,
11. Nos in fugam convertis ab hoſtibus,
Inimici noſtri habent, quod diripiant.
12. Tradis nos ut gregem mactandum,
Dispergis nos inter gentes.
13. Vendis populum tuum gratis,
Nec quidquam lucraris, dum venditur.
14. Facis, ut opprobrium ſimus vicinis noſtris,
Deriſio et ludibrium in confinio noſtro.
15. Exponis nos dicteriis gentium.
Capitis nutatione *nos irrident* nationes.
16. Quotidie mea mihi ignominia obverſatur,
Tegit pudor faciem meam.
17. Propter maledicorum et conviciatorum voces,
Propter hoſtes et adverſarios. —
18. Hæc omnia nobis eveniunt, nec tamen tui obliti ſumus,
Aut fœdus tuum violavimus.

Non

19. Non te mentibus noſtris abnegavimus,
Aut greſſibus noſtris a viis noſtris defleximus.
20. Et tamen nos in draconum foveis conteris,
Detrudis nos ad tenebras. —
21. Si obliti eſſemus Dei noſtri,
Si manus noſtras ad alienos Deos expandiſſemus,
22. Utique Deus hæc puniret,
Abſtruſa enim cordium humanorum novit.
23. Sed propter te quotidie occidimur,
Inſtar pecudum ſumus, quæ mactationi deſtinantur.
24. Expergiſcere! quid dormis, Domine?
Evigila! neque nos in perpetuum neglige.
25. Cur abſcondis faciem tuam,
Immemor noſtræ miſeriæ et oppreſſionis?
26. Inclinati ſumus ad terram,
Humi jacet corpus noſtrum depreſſum.
27. Age, adſis auxilium noſtrum!
Et redime nos pro tua benignitate.

PSALMUS XLV

Quamquam ſententia eſt a plurimis interpretibus recepta, carmen hoc eſſe nuptiale ſ. epithalamium, quod Salomonis cum regis Aegypti filia nuptias canat, cujus ſenſum ſublimiorem, Meſſiæ nempe cum eccleſia conjunctionem adumbratam, nonnulli concedunt: tamen recte hoc ab aliis negari arbitror, quoniam argumentum Pſalmi, ſi accuratius conſideratur, illam hypotheſin minime admittit. Etenim primo in principio et fine carminis divinus vates dicit, ſe regem

velle laudare verſ. 2. 18. atque hæ laudes cuivis alii occaſioni melius conveniunt, quam nuptiis celebrandis. Deinde ſponſæ non fit mentio, ſed uxoris ad dextram regis ſtantis, verſ. 10. Tandem rex deſcribitur, tamquam qui familiam habeat, filios filiasque. Neque verſ. 14—17. neceſſario de nuptiis ſunt explicandi, ſed de alia quacunque ſolennitate publica agere poſſunt. Præterea laudes ipſæ huic regi tributæ majores ſunt, quam quæ Salomoni ſine ſumma adulatione in carmine, uſui publico deſtinato, tribuerentur. Quibus omnibus quum accedat auctoritas Apoſtoli Pauli, qui ad Ebr. 1, 8. Pſalmum hunc diſerte de Chriſto explicat atque ex eo ejus divinitatem probat, non dubito, quin totus Pſalmus ſit prophetícus, ſimillimus ſecundo et ſeptuageſimo ſecundo, atque deſcribat regem ſummum, Meſſiam, quem David aliquando e familia ſua naſcendum noverat. Imagines vero poeticæ, quibus ille rex deſcribitur, petitæ ſunt a rebus iis, quæ illis temporibus ad ſummum regis ſplendorem et majeſtatem pertinere putabantur. — Ex hac hypotheſi hunc Pſalmum interpretantur Venema in Comment. et Doederlein in Auctar. ad Grotii Annotatt.

1. Præfecto chori muſici. In Hexachordo *a*) Korachitis traditus. Pſalmus didacticus. Carmen præſtantiſſimi argumenti *b*).

2. Geſtit

a) שְׁשַׁנִּים a שֵׁשׁ *ſex*, ut שָׁלִשׁ *trichordium* 1 Sam. 18, 6. et שְׁמִינִית *octochordium* Pſ. 6, 1. fortaſſe legendum שְׁשַׁנִּים.

b) שִׁיר יְדִידוֹת forma fœm. tantum h. l. et Pſ. 84, 2. obvia, מַה־יְּדִידוֹת *quam deſiderabiles ſunt tuæ habitationes.*

2. Geſtit animus meus proferre verba læta, carmen dicam in regem compoſitum,
Lingua mea eſt quaſi ſtilus ſcribæ periti.
3. Hominum es pulcherrimus, mira gratia et oris ſuavitate præditus,
Propterea Deus tibi ſemper benedicat.
4. Accinge gladium tuum femori, o heros!
Decus et majeſtatem.
5. In hac tua majeſtate rem age feliciter pro veritate, manſuetudine et juſtitia *c*),
Spargat dextra tua terrores *d*).

 6. Sagit-

tiones. Non incommoda igitur videtur explicatio noſtri loci: *carmen rerum deſiderabilium*, h. e. carmen præſtantiſſimi argumenti.

c) צְלַח רְכַב *proſpere age, vehere*, ſc. curru tuo regio contra hoſtes. Hendiadys in verbis. Prius eſt loco adverbii. — ענוה צדק dicta ſunt ἀσυνδέτως pro ענוה וצדק. Sic Codex 131. *Kennicotti* et 176. forte, Chaldæus, οἱ ὁ, Vulgatus. Alii explicant per עֲנוַת צֶדֶק *juſtitia afflicta.* Sic Syrus. Quam lectionem etiam habent duo *Kennicotti* codices 268. et 579. Utroque modo ſenſus bonus videtur.

d) Contextui aptiſſima videtur explicatio hæc verborum difficilium: וְתוֹרְךָ נוֹרָאוֹת יְמִינֶךָ, ſecundum quam תורך eſt a יָרָה *jecit*, quod alias quoque ſic dicitur, e. g. Prov. 26, 18. Suffixum redundat, uti ſæpe. Sic *Doederlein* l. c.

6. Sagittæ tuæ acutæ ſunt, gentes tibi ſuccumbent,
In corda hoſtium regis deſcendant.
7. Thronus tuus, o Deus, eſt æternus,
Regni tui ſceptrum eſt ſceptrum æquiſſimum.
8. Amas juſtitiam, odiſti injuſtitiam,
Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ *e*) præ ſociis tuis.
9. Myrrham, aloen et caſiam redolent veſtimenta tua,
E palatiis eburneis fides te *f*) exhilarant.
10. Filiæ regum ſunt inter amatas tuas,
Dextræ tuæ adſtat regina in ornatu aureo.
11. Audi,

e) In *oleo lætitiæ* non eſſe argutandum, recte obſervat *Doederlein.* Phraſis tropica eſt et ſignificat: *lætitia te majore perfudit, quam reliquos reges.* Uti ſimili: *coronam honoris imponere*, nihil aliud indicatur, quam *honorare aliquem. Regis* autem *ſocii*, quos felicitate, majeſtate, victoriis, regni amplitudine, ex quibus illa animi regii lætitia venit, longe ſuperat, reges videntur eſſe terreſtres, Meſſiæ longe inferiores.

f) Ex variis conjecturis ad verba difficillima מִנִּי שִׁמְחוֹךָ allatis, elegi hanc ingenioſam æque ac facilem, a *Doederleinio* l. l. datam. Inter inſtrumenta muſica nominantur etiam מְנִיִּם Pſ. 150, 4. quod coll. Syr. ܡܢܝܢ *fides* explicatur. Senſus ſic eſt aptiſſimus: Te adventantem excipit chorus muſicorum fidibus canentium. — Aliorum conjecturas recenſuit *Koeblerus* in Repertorio P. VI. p. 54.

11. Audi, filia, vide et attende,
Obliviſcere populi paternæque domus.
12. Tunc tua rex capietur pulchritudine,
Tuus eſt dominus, tibi colendus.
13. Tyrus cum donis *veniet*,
Te ſuppliciter venerabuntur nationes ditiſſimæ.
14. Summo vero honore afficietur regis filia in interiori palatio *g*),
Veſtem habet auro intertextam.
15. In veſtibus acu pictis adducitur ad regem.
Virgines amicæ eam ſequentes ad te ducuntur.
16. Adducuntur cum gaudio et exultatione,
In regium palatium intrantes.
17. Loco parentum filii tibi erunt *h*),
Quos principes præficies regionibus.
18. Celebrabo nomen tuum in omnes generationes,
Propterea te nationes prædicabunt in omnem æternitatem *i*).

g) Quoniam פְּנִימָה alias quoque de *interiore parte domus* dicitur, e. c. Levit. 10, 18. 1 Reg. 6, 18. malim h. l. quoque contextu non repugnante ſic explicare, quam de nativa pulchritudine reginæ, uti *Grotius* et alii.

h) Sermo convertitur ad regem, cujus progenies non minus quam majores debet eſſe celebris et dignitate conſpicua. — Reges et principes videntur intelligendi Chriſtianam religionem profitentes.

i) Senſus eſt: carmen de te cecini nunquam obliviſcendum, quod ultimi poſteri legent et te laudabunt.

PSALMUS XLVI

Celebrat beneficium divinum, quo in magno periculo ab hoſtibus timendo urbs Hieroſolyma defenſa et ſervata erat. Alii ad tempora regis Hiskiæ Pſalmum referunt, cum rex Sancheribus reliqua terra jam occupata urbis Hieroſolymæ quoque oppugnationem minaretur. Eſ. 36. et 2 Reg. 18. Alii ad tempora Joſaphati, cum Ammonitæ et Moabitæ ei bellum inferrent., 2 Paral. 20. Sed nihil obſtat, quominus Davidicus ſit, compoſitus forteſſe, cum in regnis finitimis inſignes rerum mutationes eveniſſent, Iſraelitæ vero tunc pace et ſecuritate fruerentur.

1. Præfecto chori muſici. Korachitis traditus. Adhibito *inſtrumento muſico* Alamoth canendus.
2. Deus refugium noſtrum et præſidium eſt,
   Auxilium præſtantiſſimum apud eum tempore adverſo invenimus.
3. Propterea non timemus, ſi vel terra moveatur
   Et montes in medium mare dejiciantur.
4. Strepant et æſtuent aquæ ejus,
   Contremiſcant propter æſtum ejus montes.
5. Fluvius et rivuli ejus *a*) urbem Dei exhilarabunt,

San-

a) Neque Jordanum fluvium, neque fontem Siloam in his verbis putem intelligi, quod complures interpretes ſtatuunt. Nam eſt oppoſitio ad præcedentem commotionem maris. Quæ cum non proprie, ſed improprie dicatur, de regnorum magnorum converſionibus, *fluvius et rivuli* ſunt terra Iſraelitica, exigua illa quidem et debilis, ſed tuta et ſecura Jova ſuo defenſore.

Sanctiſſima Dei habitacula.

6. Deus in ipſo habitat, non commovebitur,
Mature ſuo auxilio adeſt.

7. Gentes tumultuentur, regna commoveantur.
Ipſo vocem edente liqueſcit terra.

8. Jova omnipotens nobiscum eſt!
Propugnaculum noſtrum eſt Deus Jacobitarum!

9. Agite! contemplamini opera Dei,
Qui tantas terræ vaſtationes intulit.

10. Qui bella componit in extremis regionibus,
Arcus frangit, haſtas detruncat et plauſtra igne comburit. —

11. Deſiſtite et agnoſcite, me Deum eſſe,
Oſtendam meam in gentes potentiam et in omni terra gloriam. —

12. Jova omnipotens nobiscum eſt!
Propugnaculum noſtrum eſt Deus Jacobitarum.

PSALMUS XLVII

Occaſione publicæ feſtivitatis compoſitus, cum arca Dei in ſolenni pompa in loco ſuo in Sione monte reponeretur, v. 6. victis et debellatis fortaſſe reliquis Cananitis. Convenit argumentum cum Pſalmo XXIV.

1. Præfecto chori muſici. A Korachitis canendus Pſalmus.

2. Omnes populi applaudite!
Exclamate in honorem Dei voce jubila.

3. Nam

3. Nam Jova ſummus, terribilis,
Rex magnus in toto terrarum orbe.
4. Qui populos nobis ſubjicit,
Nationes noſtris pedibus.
5. Selegit nobis terram noſtram hæreditariam,
Hanc ipſam præſtantiſſimam terram Jacobitarum *a*), quos amat.
6. Aſcendit Deus cum jubilatione,
Jova cum tubæ ſonitu.
7. Canite Deum, canite,
Canite regem noſtrum, canite.
8. Nam rex eſt totius terrarum orbis Deus,
Canite perite ſeu ſcite.
9. Regnat Deus in gentes,
Deus ſedet in throno ſuo ſancto.
10. Principes tribuum *b*) congregati ſunt, populus Dei Abrahami.
Dei ſunt terræ proceres. Eſt valde elatus!

PSAL-

a) hebr. אֶת גְּאוֹן יַעֲקֹב. Particula אֶת nonnunquam habet ſignificationem διικτικὴν, e. c. Geneſ. 22, 2. 26, 34. 48, 1. — *Gloria Jacobitarum* nonnunquam vocatur terra eorum propter præſtantiam et fertilitatem ſuam, e. g. Ezech. 24, 21. Amos 6, 8.

b) עַמִּים h. l. non ſunt *gentes peregrinæ*, ſed *tribus Iſraelitica*, quæ ſæpe ſic vocantur, e. g. Jeſ. 24, 13. Mich. 1, 2.

PSALMUS XLVIII

Continet gratiarum actionem ob miram urbis Hierosolymæ defensionem ab hostibus, qui eam aggredi minati fuerant. Valde favent vers. 5. 6. 7. hypothesi, quæ Psalmum de eo bello explicat, quod Josaphato reges complures juncti inferebant, in quo vero rex pius et urbs luculento Dei miraculo sunt conservati. Historia legitur 2 Chron. 20.

1. Psalmus a Korachitis canendus.
2. Jova magnus est et valde laudandus,
   In urbe Dei nostri mons ejus est sanctissimus.
3. Clivus amœnissimus, totius terræ voluptas est mons Sion,
   Versus septentrionem, urbs est regis magni.
4. Deus in palatiis ejus habetur pro defensore.
5. Nam quum reges coirent,
   Et conjunctis viribus irruerent,
6. Simul ac viderunt obstupefacti, conturbati aufugerunt,
7. Terrore correpti sunt, qualis est dolor parturientis,
8. *Qualis est a)* quum ventus Orientis naves frangit Tarteſſenſes.
9. Quem-

1, 2. Singuli autem principes singulas suas tribus in solenni pompa ducebant Ps. 68, 28. Iidem in altero membro *clipei terræ* vocantur.

a) Sic locum bene explicavit *Schnurrerus* in Fasc. II. Animadverss. ad quædam loca Psalmorum p. 8. Ab interpretibus tantum non omnibus sermo putatur directus

9. Quemadmodum audivimus, ita et videmus urbem
hanc Jovæ omnipotentis, urbem Dei noſtri eſſe *b*),
Deum eam in æternum condidiſſe. —
10. Hanc tuam erga nos benignitatem
In templo tuo meditamur.
11. Laus tua ſicut nomen tuum in omnes terræ re-
giones pertingit,
Summam ubique juſtitiam dextra tua exercet.
12. Lætabitur mons Sion, exultabunt reliqua Judææ
oppida,
Propter judicia tua, *o Jova c*)!
13. Cir-

ctus ad Deum: *tu frangis naves vento orientali.* Sed hoc fit demum verſ. 16. Et quanquam interpretes, qui hunc Pſalmum ad tempora Joſaphati referunt, naufragium iſtud innui exiſtimant, quod paſſæ ſunt naves hujus regis, ſecundum 2 Chron. 20, 35; tamen parum probabile videtur ad illud factum alludi, quod aliquot annos poſt illam miraculoſam victoriam evenit, atque nemo dubitet carmen compoſitum eſſe recenti adhuc memoria illius victoriæ. Sed ſi repetatur כְּחִיל ex antecedenti verſu et ante תִּשְׁבְּרִ ſuppleatur אֲשֶׁר, ſenſus eſt planus et facilis, quem in verſione poſui.

b) Utrumque Beth עִיר־קָדְשׁוֹ præfixum non puto eſſe præpoſitionem *de*, ſed Beth illud eſſentiæ, quod *Schultenſius* aliique grammatici vocant, quod nominativo ſæpiſſime ſolet præponi, de quo vid. *Glaſſius* p. 31. et 587.

c) Poſt מִשְׁפָּטֶיךָ Cod. 222. *Kennicotti* habet יְהוָה. Quod ipſum

13. Circumdate Sionem *d*) et circuite eam,
Numerate turres ejus.
14. Diligentius conſiderate propugnacula ejus.
Periculum facite an invertere *e*) poſſitis ejus palatia,
Tunc in teſtes eritis apud poſteros,
15. Deum eſſe Deum noſtrum in æternum,
Nosque in maximis periculis *f*) ſervare.

PSAL-

ipſum etiam legerunt οἱ ὁ, Syrus, Arabs, Vulgatus. Conſentit Pſ. 97, 8. ubi hic ipſe verſus cum levi mutatione legitur.

d) Sermo directus eſt ad hoſtes urbis usque ad dimidium ſequentis verſus, qui provocantur ad novam aggreſſionem tentandam.

e) Verbum פַּסְּגוּ eſt ἅπαξ λεγ. Diſſentiunt interpretes in eo vertendo: οἱ ὁ, καταδιέλεσθε. Symmachus: διαμετρήσατε. Vulgatus et Arabs: *diſtribuite*, quam ſignificationem in lingua Chaldaica habet. Syrus vertit ܣܓܘ *eradicate*, quæ ſignificatio ex lingua arabica illuſtrari poteſt, in qua سسج ut سسح eſt *luxare*, ex quo notio *diſſolvendi* aut *deſtruendi* facile derivatur. Ego quidem hanc in verſione expreſſi, ita tamen ut verbum activum de *conatu* explicarem, quod contextus requirit. vid. *Glaſſius* p. 202.

f) In textu recepto eſt עַל־מוּת quam lectionem exhibent Syrus ܠܥܠ ܡܘܬ *ſupra mortem* et Hieronymus: *dux eris noſter in morte.* Sed conjunctim ſ. ut

PSALMUS XLIX

Oſtendit optimum in rebus adverſis ſolamen eſſe meditationem mortis et melioris vitæ ſpem poſt eam. Quod illuſtratur exemplo hominum divitum et potentum, qui omnem felicitatem in hujus vitæ bonis quærunt. Cujus opinionis vanitas monſtratur ex mortis neceſſitate omnibus impendente. — De auctore, tempore aut occaſione carminis præſtantiſſimi nihil certi conſtat.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus a Korachitis canendus.

2. Audite hoc omnes gentes,
Attendite omnes, qui in hoc mundo vivitis.

3. Plebeji juxta ac nobiles,
Divites æque ac pauperes.

4. Os meum ſapientiam loquetur,
Animus meus bene cogitata proferet.

5. Aurem

ut unam vocem עַלְמוּת legerunt οἱ ὁ, Arabs, Vulgatus: *εἰς τοὺς αἰῶνας, ipſe reget nos in ſæcula.* Etiam Chaldæus, ſed aliter intellexit: *ducet nos in diebus pueritiæ noſtræ.* Sic quoque in 42. Codd. Kennicotti ſcriptum extat. Et tamen ego priorem præferendam cenſeo, primo, quoniam עֶלֶם *æternitas* in plurali ſemper maſculinum eſt עֲלָמִים, non fœmininum. Deinde, quoniam lectio difficilior faciliori præferenda eſt. Tertio, quoniam illa optimum ſenſum fundit: nam *mors* tropice dicitur pro *ſummo periculo* ſ. *totali exitio*, ut Pſ. 49, 16. 116, 8.

5. Aurem inclinabo ad ſententiam gravem *a*),
Ad citharam canendo ænigma meum proferam. —
6. Quare timeam temporibus adverſis,
Hoſtium meorum impietate me ab omni parte urgente?
7. Qui ſuis confidunt opibus,
Et de divitiarum ſuarum copia gloriantur.
8. Nemo poteſt alterum redimere *b*),
Aut redemtionis pretium Deo ſolvere.
9. Tantum eſt vitæ humanæ pretium,
Ut ab hujusmodi conatu ſemper abſtinendum ſit.
10. Si quoque diutiſſime vivat,
Annon tandem experietur corruptionem?
11. Videt enim etiam ſapientibus moriendum eſſe,
Eosque æque perire ac ſtultos et ſtolidos,
Suasque divitias aliis relinquere.
12. Sepulcrum *c*) eorum domus eis eſt æterna,

Habi-

a) Loquitur ut poeta, qui poemata ſua ſemper ex enthuſiaſmo quodam profert, et tantum quaſi attendit ad id quod Muſa inſpirat. *Michaelis.*

b) Scilicet a morte, uti in ſequentibus ſe ipſe explicat.

c) In textu legitur קִרְבָּם *medium eorum*, quod ex Pſ. 5, 10. vulgo explicatur: *cogitant apud ſe domos eorum fore æternas.* Sed commodiorem eſſe longeque faciliorem lectionem, quam οἱ ὁ, Syrus, Chaldæus, Arabs, Vulgatus exhibent, omnes fere critici recentiores contendunt. Illi

Habitatio per omnes generationes,
Quorum nomina per regiones celebrantur.
13. Homo in dignitate conſtitutus, ſed inſipiens *d*),
Similis eſt beſtiis, quæ pereunt.
14. In hac tamen vivendi ratione omnis eorum ſpes *e*)
ſita eſt,
Quam etiam poſteri eorum laudant. —
15. Uti grex ad orcum ſegregantur, mors eos paſcet,
Dominabuntur eis pii tempore judicii *f*),
Species

nimirum interpretes literis transpoſitis legerunt קִרְבָּם *ſepulcrum eorum.* Attamen error ſcribarum eſt ſatis antiquus, nam græcus anonymus in Hexaplis *Montefalconii* (ubi vero verba male ad ſequentia ſunt relata) habet: τὰ ἐντὸς τῶν οἰκιῶν αὐτῶν εἰς αἰῶνα, et Hieronymus: *interiora ſua domus ſuas in ſæculo.* Sine ſenſu. Neque *Kennicottus* hanc faciliorem lectionem in ullo codice invenit.

d) Pro יָלִין legendum puto יָבִין uti eſt in verſu primo et viceſimo, ubi eadem ſententia repetitur: οἱ ὁ, Syrus, Arabs, Vulgatus in utroque loco ſic legerunt.

e) כְּסִל non ſolum *ſtultitiam* notat, ſed etiam *ſpem* et *fiduciam*, ut Pſ. 78, 3. Prov. 3, 26. De origine verbi vid. *Schultens* in Comment. ad Proverb. Sal.

f) לַבֹּקֶר *mane*, h. e. tempore judicii, quoniam judicia mane habebantur. Luculentum eſt in hoc verſu et ſequenti indicium cognitionis de diverſa ſorte hominum piorum et impiorum in altera vita.

Species eorum g) consumetur in inferno, ex habitationibus suis *ejecti.*

16. At enim vero Deus me ab inferno redimet,
Nam me gratiose assumet.
17. Noli timere, si quis magnis potitur divitiis,
Magnamque rei familiaris consequitur gloriam.
18. In morte enim nihil horum omnium auferet,
Non comitabitur eum hæc ejus gloria.
19. Quamvis se valde in vita sua beatum duxerit,
Et quamvis alii te laudarint, quod tibi in omnibus indulseris:
20. Venies ad majores tuos,
Qui nunquam hanc lucem iterum videbunt.
21. Homo in dignitate constitutus, sed insipiens,
Similis est bestiis, quæ pereunt.

g) Secutus sum lectionem textualem צִיָּרָם. Sed marginalis est צוֹרָם *dolor eorum.* — בָּלוֹת dicitur etiam de *diris mentem exterrentibus.* cf. *Schultens* ad Jobum Cap. 18, 11. 23, 16. Hinc verba etiam verti possunt: *dolores infernales sentient.* Locus est perquam difficilis.

PSALMUS L

Continet hic Pſalmus doctrinam de vero Dei cultu et recto ſacrificiorum uſu. Opponitur errori, qui ſtatuebat rituum externorum obſervationem abſolvere omnem cultum divinum. Qui error omnium temporum fuit in populo Judaico, refutatur etiam ab Jeſaia Cap. 1.

1. Pſalmus Aſaphi. — Deus, Deus Jova loquitur,
Et terram convocat ab ortu ſolis usque ad occaſum.
2. Ex Sione, perfectiſſima et pulcherrima ſede ſua,
Deus magnifice apparet.
3. Venit Deus noſter, nec amplius indulget.
Ignis antecedit eum conſumens, tempeſtate horribili ſtipatus.
4. Convocat cœlum et terram,
Ut adſint judicio cum populo ſuo habendo.
5. Citate mihi, *inquit*, clientes meos *a*),
Qui de ſacrificiis fœdus mecum *b*) pepigere. —
6. Et tunc cœli ipſi teſtes erunt juſtitiæ ejus,
Nam Deus eſt ille judex.
7. Audi, mi populue, nam loquor,
Iſrael,

a) hebr. חֲסִידַי non *ſancti mei*, uti nonnulli vertunt. Nam reprehenduntur tanquam minime ſancti. Sed חסיד non ſolum *active* dicitur, de eo qui benignus, liberalis eſt, verum etiam *paſſive* de eo qui beneficia accepit. Tales vero erant omnes Iſraelitæ.

b) בְּרִיתִי i. q. בְּרִית עִמִּי. vid. *Glaſſius* p. 167.

Iſrael, te in jus voco, Deus, Deus tuus ſum.
8. Non te propter ſacrificia tua reprehendo,
Neque propter holocauſta, quæ mihi quotidie offers,
9. Non auferam ex domo tua boves,
Neque ex ſtabulis hircos.
10. Nam mea ſunt omnia animalia ſylveſtria,
Jumentorum in montibus millia.
11. Omnes novi in montibus volucres,
Et feræ agreſtes mihi adſunt.
12. Si eſurirem, non id tibi dicerem,
Nam meus eſt totus terrarum orbis, et quæ in eo continentur.
13. Num putas me carne taurorum veſci,
Aut ſanguinem hircorum bibere?
14. Offer Deo ſacrificia euchariſtica,
Et ſolve tua vota altiſſimo.
15. Invoca me tempore adverſo,
Ego te eripiam et tu me celebrabis. —
16. Impium vero ſic Deus alloquitur: quomodo tibi convenit, multa de ſtatutis meis loqui?
Tu quidem religionem ſemper in ore habes,
17. Et tamen reſpuis omnem diſciplinam,
Meaque præcepta contemnis.
18. Si furem vides, ſocietatem cum eo inis *c*),

c) Pro עִמּוֹ תִּרְצֶה *eo delectaris* malim legere תִּרְצֶה *curris cum eo.*

Et cum adulteris habes commercium.
19. Os tuum ad malum eſt apertum,
Et lingua fraudes nectit.
20. In conventibus conſanguineum tuum calumniaris,
Et fratrem tuum germanum aggrederis *d*).
21. Hæc facis, et me tacente arbitraris me fore tui
ſimilem,
Sed te coarguam et te tuæ impietatis convincam.
22. Attendite hoc, qui mei eſtis immemores,
Ne vos perdam, neque ſit, qui ſervet.
23. Qui ſacrificium euchariſticum offert, is me honorat.
Atque hanc viam ingreſſus *e*) ſalutem ei præſtabo.

PSAL-

e). Sic omnes interpretes antiqui præter Hieronymum, qui habet: *conſentiebas ei.* Sententia aptior videtur et favet paralleliſmus.

d) hebr. דַּכְּי ἅπαξ λεγ. ex lingua arabica illuſtrandum, in qua ضك proprie eſt *dorſum incurvare* atque dicitur de animalibus cornupetis et petulcis. Igitur h. l. *dare incurſationem dorſi* nihil aliud eſt, quam *impetere* ſ. *aggredi alterum.* vid. *Venema* ad h. l. et *Lette* ad Carmen Caabi Ben Zohair p. 128. οἱ ὁ verterunt: ἐτίθεις σκάνδαλον. Vulgatus: *ponebas ſcandalum.* Syrus: *filium matris tuæ irridens fuiſti.* Fortaſſe confundebat, aut conferebat hebr. דִּבָּה.

e) Vocis וְשָׁם varia lectio eſt cum in editionibus, tum in verſionibus antiquis. In plerisque editionibus eſt וְשֵׁם.

PSALMUS LI

Preces pro remiſſione peccatorum animique vera emendatione, quarum occaſio in inſcriptione indicatur. Hiſtoria legitur 2 Sam. 11. et 12.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Quum Nathan propheta eum conveniſſet, poſtquam rem habuerat cum Bathſeba.
3. Miſerere mei, Deus, pro gratia tua,
   Pro ſumma tua miſericordia dele mea peccata.
4. Multum lava me ab iniquitate mea *a*),
   A peccato meo me purga.
5. Nam agnoſco culpam meam,
   Meaque mihi obverſatur iniquitas.

וְיָשֵׂם. Sic ſecundum Maſoram eſt legendum atque hanc lectionem quoque exhibent Symmachus: *καὶ τῷ διευθύνοντι*, et Hieronymus: *et qui ordinat viam ſuam.* Sed *οἱ ὁ*, Vulgatus, Syrus, Arabs legerunt וְיָשֵׂם *καὶ ἐκεῖ ὁδὸς κ. λ. et illic iter, quo oſtendam illi ſalutem Dei.* Quam lectionem præferendam cenſeo alteri utpote duriori; et forma loquendi: *ponere viam*, pro: caute et circumſpecte agere, vix probanda.

a) Recte interpretes obſervant, perpetuam eſſe in hoc Pſalmo alluſionem ad luſtrationem hominis leproſi, quæ deſcribitur Levit. 14, 1 — 32.

6. Tibi tantum notum erat meum delictum, te tantum præsente peccavi *b*).
Hinc sententia tua justa est, et æquum tuum judicium.
7. Profecto cum iniquitate genitus sum,
Et cum peccato me mea mater concepit *c*).
8. Tu

b) hebr. *tibi soli peccavi et malum in oculis tuis feci.* Haud dubie omnes, præter aulicos Davidis administros, peccatum ejus ignorabant. In altero membro לְמַעַן non causaliter, sed consecutive est explicandum; agnosco et palam confiteor, pœnas, quas tu mihi infligis, justissimas esse.

c) Non possum assentiri interpretibus, qui negant hæc verba de peccato sic dicto originali, sive de connata omnibus hominibus vitiositate agere. Etenim neque nexus, neque scopus videtur adversari hujusmodi querelis Davidis. Tam parum quidem excusat hac confessione suum peccatum, quam Paulus in epistola ad Romanos capite septimo, ubi hanc ipsam connatam vitiositatem accusat et complurium peccatorum præter voluntatem suam admissorum causam dicit. Dolet miseram sortem corruptæ naturæ humanæ, uti omnes homines pii eam dolent, neque tamen propterea sese minus peccasse fatentur. Et quando David prioris puritatis restitutionem vers. 12. seq. optat, intelligit illam animi tranquillitatem, quam homo plus sentit, qui a peccatorum proœreticorum culpa vacuus est, licet naturalis infirmitatis sibi conscius sit, sed quam divina gratia se non indignum reddere novit.

8. Tu certe probas ſincerum virtutis ſtudium,
Igitur fac, ut in occulto quoque huic ſapientiæ
operam navem *d*).
9. Munda me hyſſopo et purus ero.
Lava me et ero nive candidior.
10. Annuntia mihi ſummam illam lætitiam,
Et membra a te contuſa exſultabunt.
11. Averte faciem tuam a peccatis meis,
Et omnem iniquitatem meam dele.

d) Nolui in hoc verſu vertendo verborum hebræorum nimis tenax eſſe, quanquam non ſum neſcius interpretes in eorum explicatione diſſentire. Quid dixerit divinus vates, nemo intelligit, ſi ejus verba ex vulgari eorum ſignificatione redduntur: *en! veritate delectaris in renibus, et in occulto ſapientiam indica mihi.* Mihi quidem videtur *veritas* recte explicari de vero et ſincero virtutis et pietatis ſtudio, de quo ſæpe dicitur, uti in formula illa, *ambulare in veritate*. — טֻחוֹת præter h. l. tantum Job. 38, 36. obvium, ſive *renes* ſint, ſive *interiora* animi, *veritas in renibus* ſ. *interior* notabit ſincerum illud et infucatum virtutis ſtudium, quod non publice ſolum, ſed etiam privatim ſe prodit. Quam ſententiam poſterius hemiſtichium confirmat, in quo *ſapientia* de eodem virtutis cultu dicitur, qui eo nomine in proverbiis ſæpe uſurpatur. Futurum vero in תודיעני per Imperativum eſt explicandum. cf. *Doederlein* in Scholiis ad h. l.

12. Cor mandum in me crea, o Deus,
Mentemque firmam mihi reſtitue *e*).
13. Noli me tua gratia indignum judicare *f*),
Sanctumque tuum ſpiritum mihi ſubtrahere.
14. Redde mihi gaudium propter ſalutem tuam,
Animusque ad obedientiam promtus me ſuſtentet.
15. Tuam voluntatem peccatores docebo,
Ita, ut impii ad te convertantur.
16. Condona mihi culpam ob cædem commiſſam, o
Deus, Deus ſalutis meæ.
Lingua mea tuam celebrabit clementiam.
17. Aperi, domine, labia mea,
Ut os meum laudes tuas poſſit prædicare.
18. Nam non delectaris ſacrificiis, hæc enim darem.
Nec tibi holocauſta grata ſunt.
19. Sacrificia, quæ Deo placent, ſunt ſpiritus contritus,
Animus fractus et afflictus, hunc Deus non deſpicit.
20. Bene-

e) Quæ nempe conſtans ſit in propoſito virtutis.

f) Innuit haud dubie dignitatem regiam ſibi poſterisque ſuis promiſſam. Qua, ne uti Saulus propter peccatum ſuum privetur, enixe rogat. Cujus exemplum quoque in animo habuit, dum in altero membro de ſpiritu ſancto non auferendo precatur. Sub quo ego omnes illas præclaras animi dotes intelligo, quibus ad munus ſuum a Deo erat inſtructus. Quibus et olim Saulus gaviſus erat, ſed a Deo rejectus eis iterum privatus. 1 Sam. 16, 14.

20. Benefac Sioni pro favore tuo *priſtino*,
Et muros Hieroſolymæ conſtrue *g*).
21. Tunc tibi placebunt victimæ legitimæ et ſolida ſacrificia,
Tunc ſuper altari tuo tauri immolabuntur.

PSAL-

g) Dubium minime contemnendum videtur, quod *Venema* in Commentario ad h. l. movit contra duos extremos verſus hujus Pſalmi. Exiſtimat nempe eos adſumentum eſſe tempore exilii Babylonici adjectum, ſive potius in principio reditus in terram Cananæam. Rationes, quibus hanc ſententiam probat, ſunt ſequentes: 1. quia David in hoc Pſalmo pro ſe et domo ſua tantum orans vix commode pro Sione interceſſerit, cujus ſtatus ſatis felix erat et firmus. 2. Quia verba ipſa clare loquuntur de deſtructione Sionis et Hieroſolymæ, quæ Davidis temporibus minime convenit. 3. Quia verba haud obſcure innuunt, ceſſare prorſus cultum ſacrificiorum, vovetur enim ejus exercitium in futurum, quando Deus inſtauraſſet Sionem, et cum ea inſtauratione connectunt. 4. David modo dixerat: Deum nolle ſacrificia in hoc ſtatu ſuo ad reconciliationem cum eo efficiendam. Quomodo igitur David in his dicere potuiſſet: Deo grata fore ſacrificia poſt Sionem reſtitutam? nonne potius dixiſſet: benefac mihi, tunc grata erunt ſacrificia mea. *Doederleinius* quidem huic ſententiæ acute objicit: bellum iſtud haud dubie atrocius fuiſſe et præ aliis cruentum, clade Iſraelitis haud levi inflicta

2 Sam.

PSALMUS LII

Hiſtoria, qua Pſalmum compoſitum eſſe inſcriptio tradit, legitur 1 Sam. 20, 8. et. 22, 6. ſeqq.

1. Præfecto chori muſici. Carmen didaſcalicum Davidis.

2. Cum Doeg Idumæus Saulo indicaſſet, Davidem ad Abimelechum veniſſe.

3. Quid gloriaris de impietate, tyranne?
Dei benevolentia quotidie conſpicua eſt *a*).

4. Prava tantum animo meditaris,

Ut

2 Sam. 11, 17. 20. At enim vero ſi quoque concedatur, ſat gravem fuiſſe cladem iſtam, in qua Urias cecidit, tamen præter eam Iſraelitæ in illo bello calamitatem aliam experti non ſunt, multo minus murorum Sionis et Hieroſolymæ deſtructionem.

a) Mihi quidem non videtur lectio textus recepta ſollicitanda, quanquam eam nonnulli ex conjectura mutare velint. vid. *Repertorium* P. VIII. p. 228. Neque lectionem τῶν ὁ ei præferendam putem, qui pro חָסֶד legerunt חֲמַס et omiſſo אֵל cum ſequenti verſu כָּל־הַיּוֹם jungunt: τί ἐγκαυχᾷ ἐν κακίᾳ ὁ δυνατὸς ἀνομίαν; ὅλην τὴν ἡμέραν ἀδικίαν ἐλογίσατο ἡ γλῶσσά σου. Atque ex eis Vulgatus: *quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua.* Nam ex meo quidem ſenſu minime inepta eſt oppoſitio in altero membro miſericordiæ et benignitatis divinæ ad ſævitiam et crudelitatem Doegi.

Ut novacula acuta fraudes facis.

5. Malum bono præfers,
Mavis mendacium, quam vera loqui.

6. Amas ſermones, qui ſunt aliis pernicioſi,
Linguam fraudulentam.

7. Propterea te quoque Deus prorſus deſtruet,
Teque ſublatum et everſum e domo tua *b*) exſtirpabit penitus ex hominibus.

8. Videbunt hoc pii et timebunt,
Et iſtum deridebunt.

9. En hominem! inquient, qui in Deo ſpem ſuam non ponebat,
Sed divitiarum ſuarum multitudine fretus impietati ſuæ fidebat.

10. Ego vero quaſi olea vireſcam in æde Dei *verſans*,
Confidens Dei benignitati in perpetuum.

11. Te, tantæ hujus rei auctorem in æternum celebrabo,
In te ſperabo, tu ſemper te benignum tuis præbes.

PSALMUS LIII

Hic Pſalmus cum XIV. excepto verſu ſexto et aliis nonnullis levioribus mutationibus prorſus idem eſt. Cujus repetitionis auctorem equidem nolim ipſum Davidem facere, quum non certo conſtet, neque adeo probabile videatur, collectionem carminum, ab eo fortaſſe curatam, eandem ad nos perveniſſe. Sed placet potius hypotheſis

Eich-

b) Affixum ſecundæ perſonæ addunt οἱ ὁ (in editione Aldina et Complut.) Vulgatus, Syrus, Arabs.

Eichhornii (in Introductione in libros Vet. Teſt. P. III. p. 539) collectionem Pſalmorum, quam codex Ebraicus continet, factam eſſe poſt reditum ex exilio Babylonico ex pluribus minoribus carminum antiquorum collectionibus. Quo in labore fieri potuit, ut collector immemor, hoc carmen jam in ſua collectione extare, illud repeteret. Qui error eo facilius potuit admitti, quum brevis eſſet Pſalmus, atque ab eo loco, ubi primum legitur, ſatis longe remotus. Similis error deprehenditur infra in Pſalmo ſeptuageſimo et in ſimili negotio admiſſus eſt ab collectore proverbiorum Salomonis, qui etiam ſententias quasdam bis ſuo faſciculo inſeruit. De argumento et occaſione vide dicta ad Pſ. XIV.

1. Præfecto chori muſici. Adhibita tibia *a*) canendus. Carmen didaſcalicum Davidis.
2. Impii cogitant, Deum non eſſe.
Perdite et ſcelerate agunt, non eſt, qui recte faciat.
3. Deus e cœlo in genus humanum proſpicit,
Ut videat, num ſit, qui ſapiat, qui Deum curet.
4. Sed omnes deflexerunt, omnes intime ſunt corrupti;
Non eſt, qui recte agat, ne unus quidem.
5. Annon pœnas dabunt iſti impii omnes *b*),

Qui

a) מָחֲלַת nomen, ut videtur, inſtrumenti muſici e genere πνευματικῶν ut חליל et נחילות præter h. l. tantum Pſ. 88, 1. obvium.

b) De ſignificatione verbi ידע h. l. cf. dicta ad Pſ. 14, 4. — Ante פעלי און legendum puto כל quod in hoc quoque Pſalmo ut in decimo quarto legerunt omnes interpre-

Qui populum meum opprimunt *c*), Deum non invocant?

6. Tandem vehementer timebunt, qui nihil timebant, Nam Deus disperget ossa istorum profanorum *d*), Igno-

terpretes antiqui præter Hieronymum, et 30. Codd. *Kennicotti* exhibent.

c) vid. dicta ad Ps. 14, 4.

d) Hic est ille versus, in quo noster Psalmus a quarto decimo maxime differt. Quanquam vero illud discrimen satis magnum sit, ut non casu sed studio factum videatur, tamen remanet convenientia in vocibus et literis ejusdem organi haud paullo minor, quæ viris quibusdam doctis persuaderet, omnem illam diversitatem ex scribarum erroribus originem traxisse. vid. *Koehlerus* in Repertorio P. VIII. p. 234. Sed antiquissimæ sint istæ aberrationes necesse est, in prima carminum collectione haud dubie jam existentes, quoniam versiones antiquæ magna ex parte cum lectione recepta consentiunt. *Aquila* quidem et *Symmachus* prorsus. Ille enim habet: ὅτι ὁ Θεὸς ἐσκόρπισεν ὀστᾶ παρεμβεβληκότων σοὶ· ᾐσχυνας, ὅτι ὁ Θεὸς ἀπέρριψεν αὐτούς. Hic vero: ὁ γὰρ Θεὸς διασκορπίσει ὀστᾶ τῶν παρεμβαλλόντων περὶ σέ. κατησχυνθήσῃ ὅτι ὁ Θεὸς ἀπεδοκίμασεν αὐτούς. Similiter Hieronymus: *Quoniam Deus dispersit ossa circumdantium te: confunderis, quia Deus projecit eos.* At οἱ ὁ cum aliqua variatione: ὅτι ὁ Θεὸς διεσκόρπισεν ὀστᾶ τῶν ἀνθρωπαρέσκων. κατῃσχύνθησαν ὅτι ὁ Θεὸς ἐξουδένωσεν αὐτούς. Quos Vulgatus interpres secutus est: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi*

Ignominia afficientur, nam Deus eos reprobavit.

7. Utinam e Sione salus Israeli veniret, sublatis a Deo tot populi sui malis *e*),
Tunc exsultabit Jacobus, tunc lætabitur Israel.

PSALMUS LIV

Implorat David auxilium divinum adversus hostes suos spe et fiducia favoris et defensionis antea jam expertæ, et propter suorum hostium improbitatem.

1. Præfecto chori musici, fidibus adhibitis canendus. Carmen didascalicum Davidis.

2. Quum Siphæi Saulo indicassent, Davidem apud eos latitare *a*).

3. Deus!

confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Neque Syrus ab hac lectione est diversus. Nimirum non difficile est ad divinandum, eos pro חָנַף legisse חָנָף et pro secunda persona הֶבִישֹׁתָה, tertiam הוֹבִישׁוּ. Quas lectiones textui vulgari præferendas esse propter sensus facilitatem cum *Doederleinio* sentio. Sed חָנַף, quod illi interpretes legerunt, non verto per *hypocritam*, quæ significatio partim contextui parum apta est, partim ab ipsa voce חָנַף aliena, sed per *profanum irreligiosum*, uti in lingua Syriaca. De qua ejus significatione cf. *Gataker* in Adversa. Miscell. Cap. 22. p. 67. Opp.

e) cf. observata ad Ps. 14, 7.

a) At bis prodiderunt Siphæi Davidem, ut historia tradit 1 Sam. 23, 19. et 26, 1. — Posteriorem proditionem viden-

3. Deus! pro tua potentia me ſerva,
Pro tua virtute cauſam meam age.
4. Audi, o Deus, preces meas,
Attende ad ſermones meos.
5. Homines enim arrogantes *b*) inſurgunt contra me,
Atroces vitæ meæ inſidiantur, Deum non reverentes.
6. At Deus me adjuvat, Dominus me ſuſtentat,
7. Convertetur *c*) malum in hoſtes meos,

Pro

videntur innuere, quæ de mira ejus conſervatione et defenſione ab hoſtibus commemorantur.

b) Recepta lectio eſt זָרִים *peregrini*. Sed Chaldæus interpres legit זֵדִים *ſuperbi*. Quam lectionem etiam octo Codd. *Kennicotti* exhibent et præterea locus Pſ. 86, 14. parallelus valde probabilem facit. *Knappius* quidem et *Koehlerus* in Repertorio P. VIII. p. 237. defendunt receptam lectionem, quoniam peregrinus inter barbaras nationes pro hoſte habitus ſit, hinc etiam apud Romanos olim *hoſtis* peregrinum notarit. Sed quanquam hoc docte obſervatur, tamen haud ſcio an hic vocis uſus etiam inter Iſraelitas obtinuerit, quibus Moſes humanitatem erga peregrinos in lege ſua ſæpius injunxerat. Quæ me moverunt, maxime tamen locus parallelus Pſ. 86, 14. ut lectionem Chaldæi interpretis præferendam cenſerem.

c) Secutus ſum lectionem textualem יָשׁוּב quam Chaldæus quoque expreſſit. Marginalem יָשִׁיב exhibent complures *Kennicotti* codices, item οἱ ἑ, Symmachus et Syrus. Utraque ſenſum facit non incommodum.

Pro fide *promiſſionum tuarum* perde eos.

8. Ego promto animo tibi ſacrificia offeram,
Teque, o Jova, ob ſummam tuam bonitatem celebrabo. —

9. Immo me ex omnibus periculis eripuit,
Ut hoſtes mei mihi eſſent ſpectaculo *d*).

PSALMUS LV

Pſalmum hunc compoſitum eſſe in fuga propter Abſalomi ſeditionem, argumentum ſatis probat. Conqueritur de periculis ſibi timendis ab hoſtibus iniquiſſimis, e quibus unum in primis Ahitophilem innuit verſ. 12 — 15. Poenas divinas omnibus imprecatur, ſeque ſpe et fiducia divini auxilii erigit.

1. Præfecto chori muſici, fidibus adhibitis canendus. Carmen didaſcalicum Davidis.

2. Audi, o Deus, preces meas,
Nec te ſubtrahe meæ ſupplicationi.

3. Attende ad me et exaudi me,
Anxie diſcurro in precibus meis et vehementi deſiderio agitor *a*),

4. Pro-

d) Utor hac phraſi Ciceroniana ex loco quem *Koehlerus* citavit, Lib. X. Epiſt. ad Atticum Epiſt. 2. Cæterum forma loquendi Hebræorum, qua verbum ראה ſequenti Beth conſtruunt ad lætitiam et delectationem indicandam, quæ ex alicujus rei conſideratione percipitur, ſæpe in Pſalmis et alias quoque occurrit.

a) Verbum רוד ex lingua arabica illuſtrarunt *Schultens* ad Con-

4. Propter hostium clamores, propter impiorum injurias,
Pessima enim adversus me consilia cudunt, mihique irati adversantur.
5. Cor mihi in pectore trepidat,
Mortis terrores me incessunt.
6. Timor et tremor me invadunt,
Horror me totum percussit.
7. Dico: utinam haberem alas ut columba!
Avolarem et *in tuto loco* quiescerem.
8. Longissime aufugerem, in locis desertis commorarer.
9. Fuga salutem peterem ab imminente procella. —
10. Perde eos, o Deus, scinde eorum consilia,
Violentiam et contentionem in urbe esse novi.
11. Hæc diu noctuque in ea grassantur,
Scelera et iniquitas obversantur.
12. Improbitas in ea regnat,
Fraus et dolus in ejus plateis non cessant. →
13. Non hostis me opprobrio afficit, hoc enim ferrem,
Non inimicus se contra me effert, hunc enim vitarem.
14. Sed tu ejusdem mecum conditionis,

Confess. Harir. I. p. 6. et 57. et IV. p. 57. et *Schroederus* ad Origg. Hebr. Cap. I. p. 13. Prima significatio est: *ultro citroque agitari* s. *discurrere pabulandi causa.* — נוד vero dicitur de *siti vehementiori*, hinc transfertur ad immodicum animi appetitum.

Mihi conjunctus et familiaris.
15. Qui suavissima fruebamur mutua amicitia,
Atque templum Dei cum aliis frequentavimus. —
16. Mors eos inopinato opprimat *b*), rebus eorum
prosperis *c*) in sepulcrum detrudantur,
Nam scelera sunt in eorum ædibus, inter ipsos.
17. Ego

b) Quanquam lectio textualis יְשִׁימוֹת explicationem admittit non incommodam, *desolationes super eos* sc. veniant, tamen lectionem marginalem, quæ vocem dividendam esse monet, præferre alteri nullus dubito. Sed in hujus explicatione video interpretes dissentire. Alii יֹשׁי deducunt a נָשָׁה *mutuum dedit*, quod in Hiphil volunt esse *exigere*, hinc vertunt: *Mors debitum ab eis exiget*, s. *Præficiat eis* sc. Deus, *ut exactorem debiti, mortem.* Sed *exigendi* significatio non potest exemplo probari, vid. Deut. 15, 2. 24, 10. — Alii יֹשׁי derivant a נָשָׁא quod in Hiphil sæpe est *imponere*, *decipere*, a significatione *portandi*, *bajulandi*, quæ in conjugatione transitiva deinde translata est ad significationem *decipiendi*, ut Latinorum *imponere*. Equidem posteriorem explicationem præferendam puto, quam *Symmachus* eleganter expressit: ἀιφνιδίως θάνατος ἐπέλθοι αὐτοῖς. LXX simpliciter: ἔλθέτω θάνατος ἐπ' αὐτοὺς, et Vulgatus: *veniat mors super eos.* Aquila et Syrus conjugationem Hiphil expresserunt: *Adducat mortem in eos.* Incertum tamen est, an יָבִיא legerint.

c) hebr. *vivi.*

17. Ego enim Deum invoco et me ſervabit.
18. Veſpere, mane et meridie ardenter precabor,
Et audiet vocem meam.
19. Vitam meam ſervabit in illa contentione,
Quamquam multi ſunt, qui me infeſtant.
20. Audiet Deus et in eos animadvertet Deus æternus,
Qui mores ſuos non mutant *d*) et Deum non reverentur.
21. Nullus eorum dubitat, amicum infeſtare,
Et perfide in eum agere.
22. Læviores ſunt ſpiſſo lacte *e*) ſermones ejus et bellum parat,
Molliores oleo, ſed ſtrictis gladiis perniciosiores. —
23. Res tuas Deo committe, qui tui curam habebit,
Nec ſemper pium infelicem eſſe ſinet.

d) Verba textus אֲשֶׁר אֵין חֲלִיפוֹת לָמוֹ varias admittunt explicationes pro diverſa vocis חליפות ſignificatione. Plurimas recenſuit *Koehlerus* in Repertorio P. VIII. p. 247. Sane optio difficilis eſt inter nonnullas, quæ æque probabiles videntur. Poſui in verſione eam quam Chaldæus habet, et quæ aliis quoque interpretibus recentioribus probatur, nec tamen eam unice veram eſſe contendo.

e) Pro מֵחֲמָאוֹת legendum eſſe מֵחֲמָאוֹת dubio caret. De verſionibus antiquis cf. obſervat. ad Pſalter. Syriacum h. l.

24. Tu vero eos deturbabis ad foveam interitus.
Homines isti sanguinarii et fraudulenti mediam
vitæ suæ partem non pertingent,
Ego vero tibi confido.

PSALMUS LVI

Implorat auxilium Dei adversus hostes, de quorum vi et injuria graviter conqueritur. Sed erigit se spe et fiducia promissionis divinæ et favoris, quem hactenus expertus sit.

1. Præfecto chori musici, *ad instrumentum* Jonat
Elem Rechokim *a*).
Monumentum *b*) Davidis. Postquam eum comprehensum tenuerant Philistæi Gathæ *c*).
2. Miserere mei, o Deus, etenim homines me persequuntur,
Adversarius me continuo vexat.

3. An-

a) De hac inscriptione valet id quod de plerisque fatendum est, præter conjecturas nihil certi ad eorum explicationem dici posse. Nomen instrumenti musici esse colligitur ex eo, quod præpositio עַל his verbis præmissa est. Alii initium carminis esse volunt, ad cujus modulationem hoc quoque canendum fuerit. Alii ad argumentum ipsius Psalmi respectum esse putant. vid. *Simonis* in Lexico hebr. s. v. אֵלֶם ubi plures auctores citantur.

b) vid. observat. ad Ps. 16, 1.

c) Historia legitur 1 Sam. 21, 11.

3. Anhelant me hoſtes mei aſſidue,
Multi me ſuperbe oppugnant.
4. Sed quando timor me invadit, tibi confido.
5. Deum ob promiſſa ſua *ſervata* celebrabo,
In eo ſpem meam pono, neque timeo,
Quid homines imbelles *d*) contra me efficient?
6. Quotidie dicta *et facta* mea calumniantur *e*),
Omnes eorum cogitationes malum meum intendunt.
7. Clam conveniunt *f*) et greſſus meos obſervant,

d) hebr. *caro*.

e) Sic verbum עצב, conferendum cum arabico عضب *probroſis dictis laceſſivit*, verterunt οἱ ὁ, τοὺς λόγους μου ἐβδελύσσοντο, et Vulgatus: *verba mea execrantur*. Aliam lectionem produnt Symmachus: περὶ ἐμοῦ ἐφρόντιζον. Chaldæus: מְטוּלְתִי טָרְחָן עֲלַי et Syrus: ܡܛܘܠܬܝ ܛܪܚܢ ܥܠܝ *conſilia ineunt contra me*, quaſi legiſſent עַל דִּבְרִי יִעֲצוּ. Sed receptam lectionem præferendam eſſe nemo neget.

f) Sic vertunt verba textus יָגוּרוּ יִצְפֹּנוּ. Symmachus: συνήγοντο λαθρα, Hieronymus: *congregabantur abſcondite*, et Chaldæus: יכנשון ויטטון בכמכא. Sed *Koehlerus* in Repertorio P. VIII. p. 257. non male conjectat eos fortaſſe legiſſe יָגֻרוּ ut Pſ. 94, 21. Sic quoque Abenesram legiſſe apparet ex obſervatione ejus ad h. l. atque idem extare in Bibliis Mantuanis auctor eſt *Kenni cottus*. Atque omnino ſignificatio illa *congregandi*, aut

con-

Qua ratione me capere poſſint.

8. Propter hanc *eorum* iniquitatem libera me *g*),
In ira *tua* iſtos homines proſterne, o Deus.

9. Notum tibi eſt exilium meum,
Collige lacrimas meas in utre tuo *h*), immo in libro tuo ſunt notatæ.

10. In

conveniendi, quæ vulgo verbo נוּר tribuitur, dubia mihi videtur. Nam pauca illa loca, ex quibus probatur, aliam quoque admittunt explicationem, e. c. Habac. 1, 15. rectius a נרר *traxit* derivatur et Pſ. 59, 4. poteſt eadem ratione qua noſter locus explicari, vel ut in illo quoque legatur יְנֹדֵנִי vel, ſi forte hoc paullo audacius videatur, ex notione חלף *injuſte et crudeliter egit*, vel ex alia ſignificatione ejusdem verbi *deflexit a via*, per *inſidiari*.

g) לָמוֹ refero ad נַפְשִׁי quod præcedit, *animam meam* h. e. me. לָמוֹ autem affixum eſt cum ſingularis tum pluralis numeri.

h) Miro conſenſu omnes interpretes antiqui, ſi a Chaldæo diſceſſeris, οἱ ὁ, Symmachus, Syrus, Arabs, Vulgatus, Hieronymus pro בְּנֹאדֶךָ legerunt לְנֶגְדְּךָ ἐνώπιόν σου, *in conſpectu tuo*. Quæ lectio quanquam pro genio linguarum occidentalium facilior videtur, et propterea quoque a me olim ad Pſalterium Syriacum probata eſt, tamen jam quidem eam receptæ præferre nolim. Neque ipſa imago ad multitudinem lacrimarum effuſarum indicandam audacior videri poteſt, quam ea qua in noſtra lingua utimur, *ganze Ströme von Thränen*.

10. In fugam convertentur hoſtes mei ad preces meas,
Certo ſcio Deum mihi bene velle.
11. Deum ob promiſſa ſua laudabo,
Jovam laudabo ob promiſſa.
12. Deo confido, nec timeo;
Quid homines contra me efficere poſſunt?
13. Tibi vota feci, o Deus.
Solvam ea gratiis agendis.
14. Etenim vitam meam morti eripuiſti,
Pedes meos a caſu defendiſti,
Ut te proſpera fortuna utens colere poſſim *i*).

PSALMUS LVII

Conqueritur de periculis, in quibus hæreat, ſed ſperat, quod Deus eum ex eis ſit liberaturus. Qua ſpe fretus pollicetur, ſe Dei benignitatem et veritatem laudaturum et celebraturum eſſe.

1. Præfecto chori muſici *ad modum cantici:* ne perdas *a*). Monumentum Davidis, quum propter Saulum in ſpeluncam fugiſſet *b*).

 2. Mi-

i) hebr. *ad ambulandum coram Deo in luce viventium.*

a) Verba hæc אַל תַּשְׁחֵת leguntur in inſcriptione quatuor Pſalmorum, hujus, duorum ſequentium et 75. Neque improbabilis videtur ſententia complurium interpretum, ea initium eſſe carminis cujusdam, ad cujus modulationem hi Pſalmi decantati fuerint, ſumtum ex precibus Moſis Deut. 9, 26.

b) Eis David in ſpelunca latuit propter Sauli perſecutiones.

2. Miſerere mei, ò Deus, miſerere mei, ad te confugio,
Sub umbram alarum tuarum confugio usque dum hæc calamitas tranſierit.
3. Deum ſummum invoco,
Deum, qui bene mihi vult.
4. Mittet e cœlo auxilium et me ſervabit, dum hoſtis me carpit,
Oſtendet Deus gratiam ſuam et in promiſſis conſtantiam.
5. Verſatur inter leones vita mea, inter ignes flammantes ego cubo,
Inter homines, quorum dentes ſpicula ſunt et ſagittæ; quorum lingua gladius eſt acutus.
6. Attolle te ſuper cœlum, o Deus,
Tuam gloriam *manifeſta* hominibus.
7. Rete tendunt greſſibus meis, deprimunt *c*) animam meam,
Fodiunt

nes. Primum in ſpelunca Adullam dicta 1 Sam. 21, 1. Secundo in alia quadam ſpelunca in deſerto Engeddi, e qua Saulum ſalvum et incolumen dimiſit 1 Sam. 24, 1 ſeqq. Ad poſteriorem hiſtoriam haud dubie reſpicitur, partim quoniam nomen ſpeluncæ h. l. non additur, partim quoniam in verſu quarto et ſeptimo miram Dei conſervationem et defenſionem in præſentiſſimo periculo laudat et celebrat.

c) Pro כָּפָה legendum puto כָּפְפוּ *incurvarunt*, quoniam כפה

Fodiunt mihi foveam, ſed in eam ipſi incident.

8. Sed firmo animo ſum, o Deus, et bene compoſito,
Canam et pſallam.

9. Expergiſcere, anima mea, expergiſcere nablium et cithara,
Excitabo auroram *d*).

10. Te inter gentes laudabo, Domine!
Te inter nationes canam,

11. Tua enim clementia cœlum attingit,
Fides tua ſummas nubes.

12. Attolle te ſuper cœlum, o Deus,
Per omnem terram oſtende tuam gloriam.

PSALMUS LVIII

Reprehenduntur judices injuſti, quorum impietas, quæ deſcribitur 3—6., tanta ſit, ut vindictam divinam provocet 7—10. Quo facto pii in virtutis ſtudio confirmentur. — Fortaſſe contra Saulum et aulicos ejus ſcriptus eſt, poſtquam immani crudelitate Achimelechum ſacerdotem et familiam ejus interfecerat accuſante et ſententiam mortis exſequente Doego Idumæo. 1 Sam. XXII.

1. Præ-

כפף verbum eſt tranſitivum, quod ex tribus locis, in quibus præter noſtrum occurrit, apparet, Jeſ. 58, 5. Pſ. 145, 14. 146, 8. — Sic quoque verterunt οἱ ἑ, Vulgatus et Arabs, *καὶ κατέκαμψαν τὴν ψυχήν μου, et incurvarunt animam meam.*

d) Eleganter et perquam poetice dictum, ex meo quidem ſenſu. Nam video nonnullis hanc explicationem tanquam nimis quæſitam diſplicere. vid. *Koehlerus* l. c.

1. Præfecto chori muſici. *Ad modum cantici:* ne perdas. Monumentum Davidis.
2. Num vere judices *a*) juſtitiam defenditis? *Num* ex æquo judicatis, homines?
3. Immo vero animo veſtro nil niſi prava meditamini, Quæ manibus violentis patretis.
4. Male agunt impii inde a nativitate ſua, Errant inde a pueritia mendaces.
5. Veneno infecti ſunt, ſicuti anguis, Sicuti aſpis ſurda, quæ aurem ſuam obturat,
6. Ne audiat vocem incantationis, Aut artis magicæ periti.
7. Deſtrue, Deus, eorum dentes, Dentes prominentes leonum evelle.
8. Spernantur ut aqua, quæ decurrit,

Ten-

a) Non commodam admittit vocabulum אֵלֶם explicationem. Nam ſignificatus *mutitatis*, qui ei vulgo tribuitur et cum ſequenti צדק jungitur, pro *juſtitia oppreſſa*, nimis quæſitus videtur. *oi ὁ* et Syrus prorſus omittunt. Nam illorum *ἀι ἀληθῶς* et hujus ﻟﻠﺤﻖ respondet הָאֱמֶת. Igitur aſſentior illis, qui aliis punctis ſubjectis legunt אֱלֹם *dii*, h. e. judices, quos hoc honoris titulo inſigniri ſatis conſtat. v. c. Exod. 22, 27. Pſ. 82, 1.

Tendant arcum, ſagittas imponant, quæ concidantur *b*).

9. Ut limax fluxu ſucci ſui perit,
Ut abortus mulieris lucem non videbunt,
10. Antequam emicent ſpinæ, demetat eas *Deus*,
Rhamnum ſive recentem, ſive aridum auferat *c*).
11. Læta-

b) Multi interpretes poſterius membrum ad Deum referunt, qui arcum ſuum intendat adverſus impios. Sic ex antiquis *o*, *i*, Vulgatus, Chaldæus, Syrus, Arabs. Sed Symmachus aliique ad impium, qui nocere quidem ſtudeat pio, ſed ſine effectu. Qui nexus facilior videtur, quoniam in verſu ſeptimo ſermo ad ipſum Deum in perſona ſecunda directus eſt. Hic vero infelix exitus conatuum impii deſcribitur. Verbum יִתְמַלְלוּ malim per *circumcidere*, *ſuccidere* explicare, quam ex ſignificatione arabica per *deflectere*, *declinare*, quod *Michaeli* et *Doederleinio* placuit. Partim quoniam hic ſignificatus verbo ex uſu linguæ hebr. proprius eſt, partim quoniam Hebræi de errore a ſcopo verbum חטא ſolent adhibere, v. c. Jud. 20, 16. Prov. 8, 36. etc.

c) Nihil dico de diſſenſu interpretum circa hunc verſum ſane difficilem. Recenſuit potiores antiquorum et recentiorum interpretum explicationes *Koehlerus* in Repertorio P. IX. p. 53. Mihi quidem ſuſpectum videtur סִירֹתֵיכֶם in quo maxime laboratur. Quodſi ex eleganti conjectura *Venemæ* diviſim legimus סִירוֹת יֵכֶם ſenſum habemus planum et aptum. Verbum

יבינו

11. Lætabitur pius, dum hanc ultionem videt,
Pedes ſuos intinget ſanguini impiorum.
12. Atque omnibus fatendum erit, pio ſua manere
præmia,
Deumque eſſe, qui mundum judicet.

PSALMUS LIX

Preces continet pro ſui conſervatione ab hoſtibus impiis, qui eum ſine cauſa perſequerentur et perdere ſtuderent. His igitur hominibus perditiſſimis poenas divinas imprecatur, ſibi vero defenſionem et liberationem ex omnibus periculis fiducia certa in Deum nixus pollicetur.

1. Præfecto chori muſici. *Ad modum cantici*: ne perdas. Monumentum Davidis. Quum miſiſſet Saulus, qui ejus domum cuſtodirent, ad eum interficiendum *a*).

2. Serva

יָבִינוּ jam Symmachus et Hieronymus verterunt per *creſcere*, πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν, *antequam creſcant*. Quæ ſignificatio (niſi forte hi interpretes legerint יִנּוֹבוּ) verbo בון vindicari poteſt ex uſu ejus in lingua arabica. Placuit hæc conjectura quoque *Doederleinio* in Scholiis ad h. l. cujus verſionem ſupra poſui.

a) Hiſtoria legitur 1 Sam. 19, 11. Sed non ſine ratione *Michaeli*, *Knappio* et *Koehlero* hæc inſcriptio ſuſpecta videtur. Nam nonnulla in hoc Pſalmo occurrunt, quæ illi hiſtoriæ minus conveniunt, v. c. verſ. 7. Verſio Syriaca occaſione cædis in ſacerdotibus Nobenſibus patratæ 1 Sam. 22, 18 ſeqq. Pſalmum compoſitum tradit.

2. Serva me, Deus, ab hoſtibus meis,
Ab adverſariis meis me tutum præſta.
3. Serva me ab impiis,
Defende me ab hominibus ſanguinolentis.
4. Vitæ enim meæ inſidiantur,
Concurrunt adverſus me *b*) homines feroces,
Sine culpa aut crimine meo, Jova.
5. Sine culpa mea concurrunt et ſe parant,
Adſis ad meum auxilium et vide.
6. Tu, inquam, Deus omnipotens, Deus Iſraelitarum
adſis ad judicandum iſtos homines *c*),
Nec miſerere ullius horum hominum peſſimorum.
7. Re infecta veſpere diſcedant,
Latrent ut canes, urbem percurrant.
8. Ore enim ſuo nil niſi noxia proferunt *d*),
Omnes eorum ſermones cædem intendunt, nec
quemquam eſſe putant, qui opem ferat *e*).
9. Tu

b) cf. Pſ. 56. not. f).

c) Sic verto כָּל־הַגּוֹיִם quoniam manifeſte non de integris gentibus ſermo eſt, ſed de quibusdam tantum hominibus. Atque exiſtimo per contemtum Davidem hoc nomen ut et ſynonymicum עַמִּים de hoſtibus ſuis uſurpaſſe, ut Pſ. 56, 8.

d) Verbum נבע dicitur in utramque partem, h. l. in malam de ſermonibus impiis, ut Pſ. 94, 4. Prov. 15, 28.

e) hebr. כִּי־מִי שֹׁמֵעַ *nam quis audit?* Verba ſunt haud dubie

9. Tu vero, o Deus, rides eos,
Despicis istos homines omnes.
10. Robur meum *f*)! te canam,
Tu enim, o Deus, meum es refugium, Deus mihi gratiosus.
11. Mihi subveniet Deus,
Faciet, ut vindictam in hostibus meis videam.
12. Noli eos interimere, ne hoc populares mei obliviscantur;

Per

dubie hominum istorum impiorum, lætantium de eo quod nemo eorum conatus impedire possit. — שמע *audire* pro: opem ferre, 2 Sam. 15, 3.

f) Lectio recepta textus עֻזּוֹ אֵלֶיךָ אֶשְׁמֹרָה duplici modo solet explicari. *Vel* ut עֻזּוֹ sit Nominativus, sic dictus, absolutus, qui integri membri vim habet: *robur ejus* sc. Sauli, quod attinet, ego illud non curo, *nam te observo* h. e. tuum auxilium expecto. *Vel* ut subintelligatur עַל *propter* robur ejus te observo etc. Sed assentior viris doctissimis *Michaeli, Knappio, Doederleinio, Koehlero*, qui hunc versum ex ultimo emendandum putant, in quo haud dubie eadem sententia repetita est, ut Ps. 42, 6. 12. Consentiunt ex parte versiones antiquæ, עֻזִּי legerunt omnes et habent sex Codices *Kennicotti*. Sed אזמרה pro אשמרה legerunt tantum Syrus et Arabs. Ex eadem ratione jungo duo verba priora versus undecimi cum decimo, uti est in versu duodevicesimo.

Per tuam potentiam eos propelle. Dejice eos,
Domine, qui nos defendis.

13. Quidquid dicunt, malum et perverſum eſt,
Sed capiantur in faſtu ſuo; jactant adeo ſeſe per-
juriorum ſuorum et mendaciorum.

14. Perde eos, o Deus, in ira tua; perde eos, ut ne
amplius ſuperſint,
Ut intelligatur, Deum Jacobitarum dominum eſſe,
immo totius terrarum orbis.

15. Re infecta veſpere diſcedant,
Latrent ut canes, urbem percurrant.

16. Incertis ſedibus oberrent, ut victum quærant,
Quem quum non invenerint, iraſcantur.

17. Ego vero tuam potentiam canam, mane tuam
erga me benevolentiam celebrabo.
Etenim tu meum tutamen et in adverſa fortu-
na perfugium fuiſti.

18. Robur meum! te canam,
Nam, Deus, meum refugium es, Deus mihi
gratioſus.

PSALMUS LX

In hoc carmine duplex tempus idque maxime diverſum haud obſcure innuitur. Præteritum, triſte et calamitoſum 1—7. Præſens, lætum et fortunatum 8—13. Illud multi interpretes de eodem illo bello Davidis cum Syris ancipiti fortuna geſto, de quo in inſcriptione, explicant. Sed omnino dubitari poteſt, an hæc inſcriptio ſatis

accurate addita ſit. Poſterior quidem carminis pars minus bene ei reſpondet. Nam in hac David primo lætatur de tribubus quibusdam Iſraeliticis arctius ei junctis; deinde de victoriis non ab Edomitis tantum, ſed etiam a Moabitis et Philiſtæis partis. Propterea placet hypotheſis Venemæ, qui carmen compoſitum putat a Davide, poſtquam ab omnibus tribubus rex eſſet creatus, atque in parte priori 1—7. ſermonem eſſe de ſtatu triſti et afflicto regni poſt mortem Sauli, antequam David ab omnibus tribubus rex eſſet electus. In poſteriori de initiis regni Davidici longe felicioribus, ex quibus ſpem caperet, de incrementis potentiæ ſuæ et victoriarum futuris.

1. Præfecto chori muſici. Adhibito *inſtrumento muſico* Schuſchan Eduth *a*). Monumentum Davidis. Carmen didacticum.

2. Poſtquam pugnaverat cum Meſopotamis et Syris Sobenis, Joabus vero reverſus in valle ſalis duodecim millia Edomitarum occiderat *b*).

3. O

a) vid. *Simonis* in Lexico ſub voce עדות.

b) De diſſenſu, qui eſt inter loca 2 Sam. 8, 13. et 1 Chron. 18, 12. et omnino de hoc bello Davidis legatur *Michaelis* Hiſtoria bellorum Davidis cum rege Neſib. P. II. Commentatt. ſocietati Scient. Gœtting. prælect. p. 71. — Sed magna iſtarum difficultatum pars diſparet, ſi ſumitur, quod in argumento Pſalmi jam obſervavi, inſcriptionem minus accurate eſſe additam. *Hubigantius* ad verſum ſeptimum id ipſum jam monuit, et Pſalmum ad initia regni Davidici retulit. Quam hypotheſin deinde

3. O Deus nos deſeruiſti, vehementer nos afflixiſti,
Iraſcebaris, jam ad nos redis.
4. Tu terram commotam diſſidiſti,
Has ejus fracturas ſana, ruinam minatur.
5. Gravi calamitate affeciſti tuum populum,
Propinaſti nobis vinum inebrians *c*).
6. Tui cultoribus vexillum *d*) erexiſti,
Ut eo ab arcubus hoſtium confugiant *e*).

inde *Venema* pluribus ornavit, ita tamen ut inſcriptionem cum hiſtoria et Pſalmo ipſo conciliare ſtuderet, ſed perquam coacte.

c) Tropus orientalibus perquam familiaris. Dicitur autem *vinum* aut *calix*, e quo bibitur, in utramque partem, ad bona et mala, quæ quis ſuſcipit aut patitur, indicanda. vid. *Glaſſius* in Philol. S. p. 1212. Ex uſu loquendi arabico hanc formulam illuſtravit *Koehlerus* in Obſervatt. philol. p. 35. et in Repertorio P. IX p. 72.

d) Vexillum hoc, ex hypotheſi de tempore et occaſione Pſalmi compoſiti, eſt ipſe David, quem populus, quoniam de eo optima quæque ſperabant, ut milites vexillum, ad quod eis concurrendum, reſpiciebat.

e) Quoniam lectio textus recepta non commodam admittit explicationem, ſecutus ſum eam, quam habent *οἱ ὁ, τοῦ φυγεῖν ἀπὸ προσώπου τοῦ τόξου*, Symmachus: *ἵνα τὸ ἐκφυγεῖν κ. π. τοξεύματος*, Vulgatus et Hieronymus: *ut fugerent a facie arcus.* Qui omnes להתנוסס derivarunt a נוס et loco קשׁט legerunt קֶשֶׁת. Syrus quoque eodem

7. Ut eripiantur dilecti tui,
Serva nos pro tua potentia et exaudi nos. —
8. Deus suas mihi dedit promissiones *f*). Exsulto.
Dividam Sichemam, vallemque Suchoth dimetiar *g*).
9. Mea est Gilead, mea Manasses, Ephraim tribus validissima mea est, ut et Juda tribus princeps *h*).
10. Moab

dem modo legit, addita tamen negatione parum apta, *ne fugiant a conspectu arcus*, uti jam quidem de ea judico; cf. observat. ad Psalterium Syriacum. Attamen antiqua est lectio vulgaris, quam Aquila reddidit sine sensu: *τοῦ σημειοῦσθαι ἀπὸ προσώπου βεβαιότητος, ut significentur a facie firmitatis*, et Chaldæus: *dedisti metuentibus te vexillum, ut exaltentur in illo propter veritatem Abrahami in æternum.*

f) hebr. *Deus locutus est in sanctuario suo.* Quæ non sic intelligo, ut nonnulli interpretes faciunt, ac si Deus a Davide loquens introduceretur in sequentibus. Ea enim Deo non conveniunt, sed personæ Davidis, qui, quid facturus sit, docet, ex quo Deus דִּבֶּר. — Hic contextus plane, uti arbitror, docet דבר h. l. uti sæpe, explicandum esse per *promittere.*

g) h. e. regiones cis et trans Jordanum mihi parent, et pro arbitrio cum eis agere possum.

h) Verba textus, si ad literam redduntur: *Ephraim robur capitis mei, Juda legislator meus*, obscura sunt, quod ex diversis interpretum explicationibus apparet. Propterea statim in versione sensum indicavi, qui mihi maxime pro-

10. Moab labrum mihi eſt eluacrum,
In Edomitas projicio calceum meum *i*), ſuper Philiſtæis triumphum cano *k*).
11. Quis me ducet ad urbem munitam *l*)? quis me comitabitur adverſus Edomitas *m*)?

12. Non-

probabilis videtur. Affixa nempe pronomina verbis מֵעוֹז רֹאשִׁי et מְחֹקְקִי putem eſſe explicanda per præpoſitionem ſeparatam לְ. Sic reſpondet membrum poſterius priori: *Mea eſt Gilead et mea Manaſſe.* Epitheta vero illa, *robur capitis* et *legislator*, illis tribubus aptiſſima eſſe, ex hiſtoria conſtat.

i) Intelligenda hæc ſunt ex moribus orientalium, qui ſervorum miniſterio utebantur ad pedes lavandos et ad calceos ſervandos dum deponebantur. cf. *Grotius* ad Matth. 3, 11. Senſus igitur haud obſcurus eſt: Moabitæ et Edomitæ viliſſima mihi ſervitia præſtabunt.

k) Quanquam recentiores critici fere conſentiunt, pro הִתְרוֹעָעִי legendum eſſe אֶתְרוֹעַע *jubilabo*, quæ lectio quoque in loco parallelo Pſ. 108, 10. extat et a Syro eſt expreſſa, tamen minime neceſſarium eſt mutare lectionem receptam h. l. quæ eandem explicationem admittit, modo non vertatur per imperativum, ut plurimi faciunt, ſed per infinitivum cum affixo primæ perſonæ, qui ex idiotiſmo linguæ centies obvio per verbum finitum explicandus eſt ejusdem perſonæ, cujus eſt affixum. Igitur *jubilare meum* idem eſt quod *jubilabo.*

l) Hæc urbs munita, ex hypotheſi de tempore et occaſione hujus Pſalmi, eſt Hieroſolyma, cujus oppugnationem aggreſſus

12. Nonne tu, o Deus, qui nos deſerueras?
Nonne tu, o Deus, cum exercitu noſtro egredieris?
13. Præſta nobis auxilium poſt tanta mala,
Hominum enim auxilium parum prodeſt.
14. Deo juvante, magna præſtabimus,
Ille enim hoſtes noſtros ſubiget.

PSALMUS LXI

Plerisque interpretibus videtur in fuga ab Abſolomo compoſitus, quum in locis deſertis ultra Jordanum degeret. Neque argumentum repugnat. Nam implorat auxilium divinum ita, ut recordetur defenſionis priorum temporum, ex quibus ſpem concipit, fore ut regnum recuperet, idque diu et feliciter teneat.

1. Præfecto chori muſici. Adhibitis inſtrumentis pulſatilibus *a*) canendus. Pſalmus Davidis.
2. Audi, o Deus, clamorem meum,
Attende meis precibus.
3. Ex terræ finibus ad te clamo, quum animus mihi deficit,
Ad

aggreſſus eſt David, non ita longe poſt cum ab omnibus tribubus rex eſſet electus. cf. 2 Sam. 5, 6.

m) Igitur Edomitæ nondum erant debellati, quod tamen inſcriptio vult. Sed moliebatur adhuc David illud bellum, de quo cf. 2 Sam. 8, 1 ſeqq.

o) Loco נְגִינַת legendum eſſe in numero plurali נְגִינוֹת probant undeviginti codices *Kennicotti* et verſiones antiquæ, οἱ ὁ, Chaldæus, Vulgatus, Hieronymus.

Ad rupem, ad quam ascendere non possum *b*), me extollo.

4. Fuisti enim meum refugium,
Firmissimum contra hostem præsidium.
5. Manebo igitur in tuo tabernaculo in perpetuum,
Confugiam ad latebras alarum tuarum.
6. Tu enim, Deus, audivisti vota mea,
Reddis mihi hæreditariam possessionem cultorum tuorum *c*).
7. Vitam longævam regi dabis,
Annos ad sequentem generationem.

b) Secutus sum in versione lectionem receptam יָרוּם מִמֶּנִּי Sed non diffiteor probabiliorem videri lectionem, quam οἱ ὁ, Syrus et Aquila habent תְּרוֹמְמֵנִי *tu exaltas me*, cf. *Koehlerus* in Repertorio P. IX. p. 77.

c) Quid sit יְרֻשַּׁת יִרְאֵי שְׁמֶךָ paullo difficilius est ad explicandum. Vulgo quidem vertitur: *das cultoribus tuis hæreditatem.* Sic quoque antiqui interpretes omnes. Sed tunc esse deberet: נָתַתָּ לִירְאֵי שְׁמֶךָ יְרֻשָּׁה. Neque apparet, cur David, qui de se tantum loquitur, plures Dei cultores exauditionis precum suarum participes faciat. Mihi videtur Dativus ex præcedenti נַחֲלַת repetendus: Dedisti *mihi* hæreditariam possessionem cultorum tuorum. Sub qua terram Israelitis, Dei cultoribus, assignatam intelligo. Ad quam sperat David se brevi ex exilio esse rediturum. Qui sensus cum sequentibus bene cohæret.

8. Diutiſſime regnabit tuo beneficio,
Fac *d*), ut gratia et fides eum tueantur.
9. Sic te perpetuo celebrabo,
Sic ſolvam vota mea ad dies ſingulos.

PSALMUS LXII

Animum imperterritum declarat in ſummis periculis, fiducia in Deum nixus; aliosque ne ſuis viribus, ſed Deo tantum confidant, hortatur. Ad tempora perſecutionum Sauli videtur referendus.

1. Præfecto chori muſici. Super Jeduthun *a*). Pſalmus Davidis.

2. Pro-

d) Omittunt מן Aquila, Symmachus, Hieronymus, quod utique ſalvo ſenſu abeſſe poteſt. Neque Prov. 20, 28. in quo haud dubie ad noſtrum locum reſpicitur, legitur. Sed *οἱ ὁ* et Syrus legerunt et inepte verterunt ut pronomen interrogativum *quis?* Quinta et Sexta verterunt *ἀπὸ σοῦ*, quaſi ſcriptum inveniſſent מנך, et Chaldæus inſerit nomen Dei מן קדמי עלמא *a domino mundi conſervabunt illum.* In hoc teſtium antiquiſſimorum diſſenſu (*Kennicottus* in nullo codicum ſuorum diverſam lectionem invenit) ſecutus ſum lectionem vulgarem ejusque explicationem, quæ compluribus probatur, ut ſit Imperativus conjugationis Piel a מָנָה. cf. *Koehlerus* l. c. 79. et Pſalterium noſtrum Syriacum.

a) Lectio vulgaris עַל יְדוּתוּן corrigenda nonnullis videtur ex Pſ. 39, 1. in לִידוּתוּן *Jeduthuni*, qui fuit inter muſicos

2 Profecto ego Deum animo tranquillo expecto,
Ab eo salus mea *venit.*
3. Profecto ille petra mea et defensio est,
Propugnaculum meum, non multum dimovebor.
4. Quousque prava molimini *b*) contra virum, quem vos omnes interficere conamini *c*)?

 Qui

musicos templi 1 Chron. 9, 16. 16, 42. Aquila habet: *περὶ τοῦ Ιδιθοὺν*, Symmachus *διὰ Ιδιθοὺν*, Chaldæus עַל יְדֵי דִידוּתוּן *per manus Jeduthunis*, Vulgatus et Hieronymus: *pro Jeduthun.* Qui omnes huic lectioni aut explicationi favere videntur. Sed *οἱ ὁ* ut Ps. 77, 1. habent: *ὑπὲρ Ιδιθοὺν.* Præpositio עַל alias semper innuit nomen instrumenti musici. Sed in re incerta nihil definio.

b) hebr. תְּהוֹתְתוּ. Quod *ἅπαξ λεγόμ.* a nonnullis confertur cum arab. هوّت *clamare.* Sed quoniam illi ipsi Davidis hostes in sequenti versu dicuntur mentiri atque ore amicitiam simulare, minime apta est ille significatus *clamandi* sermoni contexto. Melius igitur confertur verbum cognatum هوى quod præter illam significationem *clamandi* in sexta conjugatione quoque est *congregari, convenire ad res concinnandas.* vid. *Golius* p. 2601. Quæ significatio h. l. unice apta est. Sic quoque Aquila: *ἐπιβουλεύετε*, et Hieronymus: *insidiamini.* Atque ex Judæis Kimchi et Abenesra: הוות תחשבו *pravitates cogitabitis.*

c) In punctis vocalibus verbi תִּרְצָחוּ dissensus est in codicibus Judæorum antiquissimis Ben Ascher et Ben Naphthali.

Qui jam ſimilis eſt muro inclinato et maceriæ convulſæ.

5. Conſultant, quomodo eum de dignitate ſua dejiciant, mendaciis delectantur.
Ore quidem bene precantur, ſed animo maledicunt.

6. Verum acquieſce in Deo, anima mea,
Ab eo enim ſpes mea dependet.

7. Profecto ille eſt petra mea et præſidium,
Propugnaculum meum, non dimovebor.

8. A Deo ſalus mea et honor venit,
Firmiſſimum præſidium, refugium meum eſt Deus.

9. Huic confidite omni tempore homines,
Huic explicate deſideria veſtra, Deus eſt refugium noſtrum.

10. Sane vani ſunt homines ignobiles, fallaces ſunt nobiles *d*),

Si

Naphthali. Ille, quem Judæi occidentales ſequuntur, legit conjugationem Pual paſſive תְּרֻצָּחוּ ut ſit imprecatio adverſus hoſtes Davidis: *vos omnes interficiemini.* Hic vero et orientales Judæi legunt active תְּרַצְּחוּ *interficitis.* Quæ lectio haud dubie præferenda eſt, quanquam in vulgares editiones recepta non eſt. Sic quoque interpretes antiqui omnes. cf. Biblia Halenſia in notis criticis.

d) hebr. בְּנֵי אָדָם et בְּנֵי אִישׁ. Sic Pſ. 49, 3. Senſus eſt: Sæpe non poſſunt, ſæpe nolunt homines juvare. Igitur falluntur qui in eis ſpem ſuam ponunt.

Si ſimul in ſtatera ponerentur, næ ſint vapore leviores!

11. Nolite confidere *divitiis*, fraude et rapina partis.
Abſit *a vobis* iſta vanitas.
Si opes vobis provenerint, ne nimium eas ametis.

12. Deus enim, quod certo ſcio, ſæpe indicavit,
Se eſſe omnipotentem.

13. Sed tu quoque, o Deus, benignus es,
Igitur rependes hominibus, quod meruerunt.

PSALMUS LXIII

Exponit deſiderium et cupiditatem, quo teneatur cultus ſacri, a quo ſe jam ſeparatum eſſe dolet. Sed ejus recordatio quoque in illo exilio eum delectat et fiduciam ejus ſuſtentat, fore ut hoſtibus victis regno reſtituatur.

1. Pſalmus Davidis. Cum ei in deſerto Judæ commorandum eſſet *a*).

2. Deus!

a) Quanquam in exilio propter Sauli perſecutiones David ſæpe et diu in deſerto Judæ viveret, tamen ad illa tempora hunc Pſalmum referri non poſſe, jam plures interpretes recte obſervarunt. Nam in verſu 12. ſe regem vocat, quod nomen vivente Saulo nunquam ſibi tribuit. Etſi enim a Samuele rex unctus eſſet, tamen ex eo, ne mortuo quidem Saulo, jus in regiam dignitatem ſibi vindicabat, ſed ex libera tribuum electione regnum accipiebat. — Igitur haud dubie inſcriptio de exilio

2. Deus! tu Deus meus es, te anquiro,
Te tantum anima mea concupiſcit et totus ego
deſidero *b*).
In terra ſicca, horrida et ſiticuloſa.
3. Profecto quando te in ſanctuario videro *c*),
Symbola glorioſæ tuæ potentiæ intuens.
4. Tua enim gratia omni alii felicitati præferenda eſt,
Labia mea te celebrabunt.
5. Profecto te per omnem vitam laudabo.
Ad te cum fiducia tui, manus meas extollam.
6. Equidem rebus optimis et delicatiſſimis ſatiari
videor *d*),
Et

exilio propter ſeditionem Abſolomi explicanda eſt, cum trajecto Jordano in deſerto Judæ, quod latius, quam vulgo ſumitur, patuit, caſtris fortaſſe ſæpe mutatis, degeret. cf. *Michaelis* in notis ad verſ. germ.

b) hebr. צָמְאָה ἅπαξ λεγ. illuſtrandum eſt ex arab. ظمئ (*Golius* p. 2065.) *alterari colore et mente*, hinc transfertur ad ſummum et vehementiſſimum animi deſiderium notandum.

c) verſ. 3—6. loquitur de felicitate, quam ex obſervatione cultus religioſi ſe percepturum eſſe, in poſterum ſperabat.

d) hebr. *tanquam adipe et pinguedine ſatiabitur anima mea.* Hebraiſmus vel tironibus notus, linguis autem occidentalibus alienus; cujus propterea ſenſum in verſione expreſſi.

Et læta jubila os meum cantat,
7. Dum tui recordor ſuper ſtrato meo,
Dum de te in ipſa nocte cogito.
8. Etenim tu meum auxilium fuiſti,
Et ſub umbra alarum tuarum te canam.
9. Tibi ego totus adhæreſco;
Tua dextra me ſuſtentat.
10. Iſti vero *hoſtes mei*, qui me perdere ſtudent,
Ad ima terræ migrabunt.
11. Gladio interficientur, a vulpibus *e*) devorandi.
12. Rex vero de Deo lætabitur,
Qui in verba ejus jurat, gloriabitur,
Calumniatores autem mendaciorum convincentur.

PSALMUS LXIV

Contra malevolos et calumniatores, quibus poenas divinas minatur. Videtur compoſitus, quum in aula Sauli verſaretur.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Audi, o Deus, vocem meam precantem,
Serva

e) שׁוּעָלִים ſpecies vulpium e genere canino. Solent maxime cadavera appetere, eaque ex ipſa terra, ſi inveſtigarunt, eruere. Nomen ipſum nolebam, utpote peregrinum, in verſione retinere. Naturam eorum pluribus deſcripſerunt *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. 14. *Shaw* in Itinerario p. 155. *Niebuhr* in Deſcriptione Arab. p. 166.

Serva me ab hoſte mihi metuendo.

3. Abſconde me a cœtu impiorum,
Ab aggreſſionibus malevolorum,

4. Qui linguam ſuam quaſi gladium acuerunt,
Sermones venenatos tamquam ſagittas aptant *a*),

5. Quas projiciant ex latibulis ſuis in virum inſontem;
Subito in eum jaculantur, neque metuunt.

6. Conſtanter pergunt in hac ſua impietate,
Conſultant inter ſe de ſtruendis inſidiis,
Quis videat eas? inquiunt.

7. Prava tantum exquirunt, perficiunt conſilia ſoler-
ter excogitata,
Profunda malitia animo cujusque inſidet *b*).

8. Sed

a) hebr. דָּרְכוּ חִצָּם phraſis eſt in ſignificatione præ-gnante, ut Pſ. 58, 8. Tendunt arcum et imponunt ſa-gittas ſuas.

b) Quanquam nolim negare verſum hunc paullo difficilio-rem eſſe, tamen non adeo obſcurus videtur, ut lectio recepta ſit ſollicitanda. Conjecturas criticorum quo-rundam recenſuit *Koehlerus* in Repertorio P. IX. p. 94 ſeqq. Pauca tantum ad verſionem meam explicandam addo — חֲפַשׂ intelligo de ſtudio agendi. Sic Salomo hortatur Prov. 2, 4. *ſcrutari ſapientiam.* — עוֹלוֹת notant prava conſilia hoſtium Davidis, quibus eum perdere ſtudebant, ut Pſ. 58, 3. Circa vocem תַּמְנוּ fateor me fluctuare, an non טָמְנוּ legendum ſit. Quod utique contextui

aptius

8. Sed Deus ipſos feriet,
Tela improviſa in eos jaculabitur. Sentient pœnas ſuas.
9. Lingua eorum *maledica* eos proſternet,
Adeo, ut qui eos videat, aufugiat.
10. Omnes homines venerabundi Dei hoc opus eſſe fatebuntur,
Factique prudentiam agnoſcent.
11. Pius

aptius videtur, quoniam totus locus aſtutiam iſtorum hominum deſcribit. Si verſionum antiquarum auctoritatem ſequendam cenſeamus, legendum eſt תמו (nam compenſatio Dageſch fortis per נ ex quorundam ſententia facta non placet, quoniam in codice hebræo exemplis caret). Sic enim ⟨ ⟩, Syrus et Chaldæus legerunt. Sed ſi Codd. MSS. et editionum antiquarum teſtimonia prævalere ſtatuatur, legendum eſt טמנו. *Kennicottus* quidem quinquaginta numeros pro hac lectione adſcripſit. — Cum hoc תמו ſive טמנו (nam nihil decerno) conſtruo חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ *ſcrutinium ſcrutatum*, h. e. ipſa illa conſilia prava, quæ antea עוֹלוֹת dicebantur. — In altero membro וקרב איש *medium cujusque* eſt *cor*, ut Pſ. 5, 10. 49, 12. — Tandem לב עמק *cor profundum imperveſtigabile*, quod pro ratione ſubjecti in deteriorem partem dicitur, hinc verti *profunda malitia*, ut Jer. 17, 9. לב עקב dicitur. — Sentio literam Vau ante לב ſenſum hunc reddere paullo impeditum. Igitur ſiquis in ea ſervanda eſt tenacior, repetat איש poſt ולב *et cor cujusque* eſt profundum.

11. Pius vero de Jova lætabitur eique confidet,
Et omnes probi Deum laudabunt.

PSALMUS LXV.

Celebrat beneficia Dei cum ſpiritualia tum corporalia. Primo præſtantiam religionis ſ. cultus divini et bona ex eo obtinenda. 1—5. Deinde beneficia domeſtica, pacem et terræ fertilitatem, cujus elegans eſt deſcriptio poetica 10—14. Temporis aut occaſionis quo ſcriptus ſit, nullum ineſt indicium clarum.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis. Canticum.
2. Tu, o Deus, tranquille expectandus *a*) et laudandus es Sióne.
Tibi ſunt vota ſolvenda.
3. Tu, qui preces ſoles exaudire.
Ideo omnes homines ad te *ſupplicatum* veniunt.
4. Peccata *b*) quidem mea multa et gravia fuerunt,
Sed tu culpam noſtram condonaſti.
5. O felicem hominem! quem dignum judicas, qui in atriis tuis commoretur.
Satiamur bonis in æde tua, in templo tuo ſanctiſſimo conſequendis.
6. Ter-

a) Pſ. 62, 2.

b) hebr. דִּבְרֵי עֲוֹנֹת Vocabulum דבר redundat, uti ſæpe e. c. Pſ. 35, 20. דִּבְרֵי מִרְמוֹת et in N. T. Matth. 5, 32. λόγος πορνείας.

6. Terribilibus iisque juſtiſſimis judiciis nos exaudies *c*), o Deus ſalutis noſtræ!
O ſpes extremorum terræ marisque remotiſſimi.
7. Qui montes robore tuo *d*) ſtabilis,
Et fortitudine es accinctus.
8. Qui compeſcis mare æſtuans,
Fluctus ejus tumultuantes ſtrepitumque gentium.
9. Ad quæ tua miracula incolæ extremorum finium pavent,
Mane et veſpere egredientes exhilaras.
10. Terræ curam geris eamque irrigas *e*), abunde ditas eam.

Fluvius

c) Verba textus ad literam ſunt: *terribilia in juſtitia nobis reſpondebas.* נוֹרָאוֹת dicuntur facinora Dei, quæ maxime edidit in poenam impiorum et piorum ſalutem, ad quæ illi obſtupeſcunt, hi vero Deum propterea laudant, Pſ. 66, 6. 139, 14. Jeſ. 64, 2. — בְּצֶדֶק loco adjectivi *juſta*, ſive etiam *benigna*, quoad illa judicia ſpectabant ſalutem piorum. — עָנָה h. l. uti ſæpe ſignificat *exaudiſ*, conſtruitur cum נוֹרָאוֹת ut Geneſ. 41, 16.

d) Nimis ſubita videtur perſonarum mutatio, ſecundæ in tertiam. Propterea pro בְּכֹחוֹ *robore ejus* legendum puto בְּכֹחֲךָ. Sic quoque legerunt *oi ó*, Vulgatus, Syrus, Arabs.

e) hebr. וַתְּשֹׁקְקֶהָ quod ex forma grammatica a שׁוּק eſſet *appetis eam*, h. e. uti nonnulli explicant, ſingulari

Fluvius Dei aquæ plenus eſt *f*),
Efficis ut frumentum eorum *g*) matureſcat. Ita enim eam aptaſti.
11. Sulcos ejus irrigas, liris pluviam altius facis penetrare,
Imbre eam demollis, germen ejus fœcundas.
12. Sic ornas annum benignitate tua fertilem,
Veſtigia tua deſtillant pinguedinem.
13. Per hæc etiam paſcua virent,

Omnes-

amore eam perſequeris. Sed οἱ ὁ, καὶ ἐμέθυσας αὐτήν. Vulgatus: *et inebriaſti eam.* Symmachus: καὶ ποτίσεις αὐτήν. Hieronymus: *et irrigas eam.* Similiter Chaldæus: וְאַשְׁקִיתָהּ. Qui omnes haud dubie derivarunt a שָׁקָה quod tamen lectio recepta non admittit, eſſe enim deberet תַּשְׁקֶהָ. Senſus vero longe eſt facilior et aptior quam ex vulgari lectione. Hanc ſi mutare nolis, dici poſſet verbum שקה permutare h. l. ſuam ſignificationem cum שוק, cujus permutationis in aliis quoque dantur exempla, v. c. כור et כרה *fodere*, בוז et בזה *ſpernere.*

f) h. e. pluviam largam demittis. Orientales enim *pluviam* metaphorice *fluvium Dei* vocant. Quod probavit exemplis *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l.

g) ſc. hominum. Ad affixum in voce דגנם nomen ex contextu eſt ſubintelligendum. Cujus formæ loquendi paſſim alia exempla occurrunt, v. c. Pſ. 39, 7. 63, 10. Ex profanis auctoribus ſimilia dedit *Koehlerus* in Repertorio P. X. p. 117.

Omnesque colles lætum aſpectum præbent.

14. Arietes oves fœcundant *h*), frumentum valles replet,
Lætantur omnia et jubilant.

PSALMUS LXVI

Commemorat beneficia divina olim populo Iſraelitico exhibita, occaſione ſingularis cujusdam beneficii, qua Pſalmus eſt compoſitus. Quum inſcriptio auctorem non nominet, incertum eſt, ad quæ tempora ſit referendus. Venema conjectat, Pſalmum compoſitum tempore Hiskiæ, poſt cladem Sancheribo illatam et poſtquam rex ſingulari Dei beneficio e morbo convaluerat: quæ utique ab altera carminis parte verſ. 9 — 20. non ſunt aliena.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus ad canendum.
Celebret Deum tota terra!

2. Canite nomen ejus glorioſum,
Præſtate debitum honorem majeſtati ejus *a*).

3. Dicite Deo: quam ſtupenda ſunt tua facta,
Propter inſignem tuam potentiam blandiuntur tibi hoſtes tui.

 4. Totus

b) hebr. לָבְשׁוּ כָרִים הַצֹּאן *induunt arietes oves.* Qua phraſi coitum horum animalium indicari, ſatis probavit *Schultenſius* l. c.

a) hebr. שִׂימוּ כָבוֹד תְּהִלָּתוֹ. Phraſis recte, ubi arbitror, illuſtratur ex ſimili Joſ. 7, 19. שִׂים נָא כָבוֹד לַיהוָה *oſtende eam quam Jovæ debes reverentiam.* Igitur h. l. ל eſt ſupplendum.

4. Totus terrarum orbis te veneretur,
Te laudet, tuumque nomen celebret.
5. Agite, conſiderate Dei opera,
Verendi propter facinora inter homines.
6. Mare in ſiccum convertit, ut flumen ſicco pede tranſirent *b*),
Tum lætabamur de eo.
7. Per ſuam potentiam in æternum dominabitur,
Convertit oculos ſuos in gentes,
Nec contumaces ſeſe efferre poſſunt.
8. Laudate Deum noſtrum populi *c*),
In honorem ejus vocem efferte.
9. Qui nos vivos ſervavit,
Nec pedes noſtros impingere paſſus eſt.
10. Tu quidem nos, o Deus, probaſti,
Exploraſti nos, uti argentum exploratur.
11. Incidere nos ſiviſti in rete,
Onus grave nobis impoſuiſti.
12. Hoſtibus noſtris nos ſubjeciſti *d*),
Peri-

b) Innuit tranſitum Iſraelitarum per ſinum arabicum. — In altero membro perſonarum mutatio nonnullis paullo durior videtur. Sed conſenſus codicum omnium in hac lectione et ſimilia exempla ſatis probant, eam ſollicitandam non eſſe.

c) עַמִּים h. l. uti ſæpe, tribus Iſraeliticæ ſunt intelligendæ.

d) hebr. *equitare feciſti hominem in capite noſtro.* Phraſis

eſt

Periculum nobis erat ex igne et aqua *e*),
Sed eduxisti nos ad ubertatem.
13. Ingrediar ædem tuam cum holocaustis,
Solvam tibi vota mea.
14. Quæ tibi feci et fovi in calamitate mea.
15. Sacrificia pinguia tibi offeram cum suffitu *f*).
Arietes immolabo, boves et hircos.
16. Adeste, audite, omnes Dei reverentes,
Enarrabo quanta in me beneficia contulerit.
17. Ore meo eum invocabam,
Et laudem *ejus* lingua mea proferebat.
18. Si malo delectarer, Deus me non audiret.
19. Sed profecto Deus audit, attendit ad preces meas.
20. Laudetur Deus, qui preces meas non rejicit,
Neque suam mihi benevolentiam detrahit.

est metaphorica, ducta ab equis, qui ab equite insidente domantur et libertate privantur. Sed hanc, utpote alieniorem a genio linguæ latinæ, cum verbis propriis permutavi.

e) Videtur esse dictio proverbialis, ad summum periculum, in quod aliquis inciderit, indicandum.

f) Accentus h. l. male positos esse, neque אֵילִים cum קְטֹרֶת sed cum sequenti אֶעֱשֶׂה legendum esse, recte monuit *Schnurrerus* in Animadverss. ad Psalmos Fasc. I. p. 32. Sic quoque Chaldæus verba distinxit.

PSALMUS LXVII

Psalmus est eucharisticus, quem Venema quoque uti præcedentem ad tempora Hiskiæ refert post rempublicam liberatam. Favet hypothesi v. 7. in quo Deus laudatur propter singularem terræ fertilitatem, quam Deus Hiskiæ post illam a Chaldæis liberationem promiserat. Jer. 37, 30.

1. Præfecto chori musici. Psalmus adhibitis instrumentis pulsatilibus canendus.
2. O Deus, miserere nostri et nobis fave,
   Gratia tua nobis semper adsit.
3. Ut ubique tua providentia agnoscatur,
   Inter omnes gentes salus, quam *tuis* præstas.
4. Te laudent populi, o Deus,
   Te omnes populi celebrent.
5. Lætentur et canant nationes,
   Nam juste regis populos et nationes gubernas.
6. Te laudent populi, o Deus,
   Te omnes populi celebrent.
7. Nam terra suos fructus edit,
   In posterum quoque Deus, Deus noster nobis faveat.
8. Faveat nobis Deus,
   Et totus terrarum orbis eum revereatur.

PSALMUS LXVIII

Non adeo certum aut exploratum videtur, quod multi interpretes putant, hunc Psalmum a Davide compositum esse, quum arcam legis in aream Sionitidem ex ædibus Obededomi ad locum ei paratum

vatum transferret. Nam 1 Chron. 15, 7. legimus, Davidem occasione illius solennitatis aliud carmen scripsisse. Atque argumentum quoque ipsum illi tempori non satis convenire videtur. Nam initium hujus Psalmi minime loquitur de sede quieta occupanda, sed de egressu Dei ad hostes profligandos; quod innuit quoque formula a divino vate usurpata, qua Moses utebatur, Num. 10, 35. quoties Israelitæ castra movebant. Igitur putem, Psalmum alia quadam occasione solenni compositum esse. — Fortasse quum David arcam secum ad expeditionem bellicam educeret. Nemo enim improbabile dixerit factum hoc esse, non minori cum pompa, quam quando reducebatur. — Partes ejus facile quidem dignoscuntur, sed eorum nexus est obscurior. — Primo antiqua Dei beneficia celebrantur populo inde ab exitu ex Aegypto usque ad occupationem terræ collata 1—15. Deinde singularis prærogativa, qua Deus montem Sionem ut sedem suam elegerat 16 — 19. Quæ deinceps sequuntur preces pro impetrando auxilio divino adversus hostes adhuc debellandos 20—31. inmiere videntur bella, quæ Davidi adhuc restabant, et fortasse illud in specie, quod tum moliebatur. Versus autem huic pericopæ inserti 25—28. fortasse respiciunt illam ipsam solennitatem, qua Psalmus canebatur. Tandem ultima pars 32—36. continet excitationem ad tantam hujus Dei majestatem agnoscendam et reverenter celebrandam. Abruptus harum partium nexus vix alia ratione potest explicari, quam quod Psalmus a diversis chovis cantatus fuerit.

1. Præfecto chori musici. Psalmus Davidis. Canticum.
2. Surgat Deus, dispergantur hostes ejus,
   Fugiant ejus inimici eo conspecto.
3. Ut dispellitur fumus, *eos* dispelles,

Ut cera liqueſcit igne, ſic improbi *a*) ad Dei conſpectum pereant.

4. Probi vero gaudeant, exſultent coram Deo.
Et vehementer lætentur. —

5. Canite Deo, pſallite ipſi,
Viam parate, qui per deſerta incedit. Jah eſt nomen ejus *b*). Igitur exſultate coram eo *c*).

6. Pater orphanorum et viduarum vindex eſt,
Deus in ſanctuario ſuo.

7. Deus

a) Recte, uti arbitror, *Michaelis* obſervavit רִשְׁעִים h. l. eſſe hoſtes populi Iſraelitici, quibus in ſequenti verſu צַדִּקִים h. e. Iſraelitæ opponuntur, quorum juſtam cauſam Deus contra illos defendere debebat.

b) *Cappello* (in Crit. S. p. 639. edit. Halenſ.) cui *Hubigantius* aſſentitur, litera Beth in voce בְּיָהּ ſuſpecta videtur, quoniam ex genio linguarum occidentalium prorſus redundat, legendumque ſtatuit כִּי יָהּ. Sed partim teſtimoniis antiquarum verſionum, Symmachi: *διὰ τοῦ διὰ ἡ ὀνομασία αὐτοῦ*, Quintæ: *ἐν τῷ διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ*, et Hieronymi: *in domino nomen ejus*, ſatis defenditur; partim ex genio linguæ hebrææ et arabicæ recte explicatur, in quibus litera Beth ad eſſentiam ſ. qualitatem rei indicandam tum ſubjecto, tum prædicato præponi ſolet. vid. *Glaſſius* p. 586. edit. recent.

c) Sequitur formula cantici hujus in duobus verſibus ſequentibus.

7. Deus extorres facit domi habitare *d*),
Vinctos educit ad abundantiam, oppressores vero
steriles petras incolunt. —
8. Deus! cum præires tuo populo,
Cum incederes per solitudinem:
9. Terra tremuit, cœlum stillavit præsente Deo.
Hic Sinai *tremuit*, præsente Deo, Deo Israelitarum.
10. Largum imbrem fundebas, Deus,
Terram tibi sacram eamque fatiscentem recreabas *e*).

d) Plerique et tantum non omnes, quos equidem vidi, interpretes verba textus: *Deus* מוֹשִׁיב יְחִידִים בְּיתָה *habitare facit solitarios domum*, explicant de opinione gentis Israeliticæ, qua in magna felicitatis parte ponebatur, copiosam prolem habere, coll. 1 Sam. 2, 5. Ps. 113, 9. Sed Celeb. *Schnurrerus* sæpe jam a me laudatus, qui hunc Psalmum difficillimum peculiari dissertatione Tubingæ 1784. habita illustravit, dubium movit contra hanc vulgarem explicationem non contemnendum; scilicet literam ה voci ביתה additam non esse otiosam, sed significare motum ad locum (et sane abest, si phrasis in illo sensu dicitur, ut Ps. 113, 9.). Igitur יְחִידִים explicat de hominibus patria s. domo extorribus, ut Ps. 25, 16.

e) In explicatione hujus et sequentis versûs maxima ex parte assentior *Michaeli*. Primo imbrem large effusum proprie intelligo, de eo qui inter fulgura et tonitrua in legislatione ad montem Sinai est demissus. Quanquam

11. Cœtus tuus in ea conſedit,

Pro

quam enim ejus non mentio fit in hiſtoria Moſis, tamen Jud. 5, 4. hoc clare dicitur. Deinde נַחֲלָתֶךָ *poſſeſſio tua*, mihi eſt regis illius montis, quæ Exod. 3, 5. *terra ſacra* dicitur אַדְמַת קֹדֶשׁ in qua Iſraelitæ per tempus bene longum ſunt commorati. Quod ad primam vocem ſequentis verſus חַיָּתֶךָ attinet, *Michaelis* quidem eam de animalibus ejusdem regionis explicat, quæ, ut in regione ſacra, numini conſecrata dicerentur et ſub ejus tutela quaſi vivere putarentur. Quam ſententiam ex opinione Arabum, quibus regio Meccana pariter ſacra eſt, et Græcorum, apud quos templa avibus in eorum muris nidulantibus aſylum præbebant, docte illuſtravit. Attamen equidem malim חיתך de *coetu* populi Iſraelitici explicare. Nam חַיָּה de cœtu et caterva hominum dici, dubio caret, ut verſ. 31, ex ſententia nonnullorum interpretum, Pſ. 74, 19. 2 Sam. 23, 11. 13. Sic melius reſpondet עֲנִי in altero membro, ſub quo Vir Illuſtris, uti alii, Iſraelitas intelligit. — Ab hac explicatione Celeb. *Schnurrerus* in diſſertatione modo laudata longe diſcedit, novamque horum verſuum dedit interpretationem, quam non poſſum ſilentio præterire, ne temere Viro Ingenioſiſſimo aſſenſum meum denegaſſe videar. Scilicet נחלת יהוה ei eſt *populus Iſraeliticus*, qui ſæpe hoc nomine inſignitur. גֶּשֶׁם נְדָבוֹת *Manna*, quam tropice ſic dici potuiſſe nemo negabit; tandem *animalia Dei* eſſe שלוים *coturnices*

Pro tua bonitate prospexisti afflictis, Deus! —
12. Dominus præstat promissum *f*).

Adest

nices populo in cibum datæ. Hujus explicationis auctorem laudat Vir Doctiss. Gallum illam compluribus scriptis exegeticis clarum *Advocatum*, cujus Interpretationem historicam et criticam Psalmi LXVIII. 1767. gallice editam citat, quam tamen ego inspicere non potui. — Sed hæc quoque explicatio, ut hoc obiter observem, longe est antiquior. Jam *Rudingerus* in Paraphrasi sua Psalmorum ejus, ut suis temporibus notæ, mentionem fecit, et *Castellio* versioni suæ hoc Scholion addit: *in populum Manna depluebat.* Sed quidquid sit de auctore hujus explicationis, modo vera esset. Quod mihi quidem non videtur. Nam primo nihil impedit, quo minus נחלתך de regione Sinaitica dicatur, quanquam hoc nomen in aliis quibusdam locis populo Israelitico tribuitur. Id vero ut faciamus, suadet historia, ex qua constat Mannam non post legislationem Sinaiticam, de qua poeta jam in versu præcedenti dixerat, sed jam ante eam demissam esse, Exod. 16. Deinde, si sub *animalibus* intelligantur *coturnices*, non satis apte poeta dixisset: Deum pro bonitate sua ea indigentiæ populi parasse. Nam ex Ps. 78, 28 seqq. ad quem locum Vir Celeb. ipse provocat, constat populum gravi clade propter istam temerariam cupiditatem esse affectum.

f) Verba textus אֲדֹנָי יִתֵּן־אֹמֶר sic verto, quoniam in sequentibus haud dubie sermo est de initiis promissæ victo-

Adeſt mulierum læta annuntiantium ingens cohors?
13. Reges cum exercitibus fugiunt, fugiunt *g*).
Et habitatrix ædium partitur ſpolia.
14. Profecto recumbetis inter aquarum canales *h*),
Inter

victoriæ a divino auxilio expectandæ. Quidni, etiam אמר *promiſſum?* nam אמר ſæpe eſſe *promittere*, multa loca probant, v. c. Deut. 6, 3. Jer. 18, 10. Num. 23, 19. Jeſ. 38, 15. Sed ſi quoque ex vulgariori ſignificatione vertere malis per *dictum* ſ. *rem*, tamen ſenſus idem eſt. Nam *dictum Dei* in h. l. ſive *res*, quam dediſſe dicitur, eſt eadem illa promiſſa victoria ab hoſtibus reportanda.

g) Incipit carmen illud triumphale mulierum Iſraeliticarum. Quod vero ex mea ſententia non, uti omnes, quos equidem vidi, interpretes ſtatuunt, in hoc verſu finitur, ſed in ſequenti quoque continuatur. Hac hypotheſi admiſſa difficultates horum verſuum, in quibus removendis ingenia doctiſſimorum interpretum vario modo laborarunt, ſi non prorſus tolluntur, ſaltem minuuntur.

h) Pergunt, quod in præcedenti nota jam innui, ex mea ſententia mulieres partam victoriam celebrantes commendare et depingere commoda et gaudia, quæ victores expectarent, terram ab hoſtibus deſertam occupaturos. Commemorant autem duas vitæ ruralis amœnitates, alteram greges ad aquarum canales recumbentes, alteram cultum columbarum. Neutrum tamen poeta pluribus depingit, utpote a conſilio ſuo alienum, ſed paucis ea indicaſſe ſufficiebat. — Verba ipſa hanc explicationem admittere

Inter alas columbarum argento obductarum,

Earum-

admittere nemo negabit: אם nonnunquam affirmandi significationem habere, probant sequentia loca, Genes. 47, 18. Ps. 139, 19. Prov. 23, 16. et plura apud *Nöldium* num. 5. — Vocabulum rarum שַׁפְתַּיִם bene illustravit *Michaelis* ad Lowthum de sacra poes. Ebr. p. 550. edit. prim. atque *canales* esse docuit, ad quas greges aquantur. — Ad alterum membrum בֵּין *inter* esse repetendum plerique interpretes statuunt, neque in explicatione verborum relicta sunt, quæ adderem. — *Schnurrerus* quidem in Disp. supra laudata hanc columbæ imaginem non proprie putat intelligi debere, sed improprie de agmine Israelitico, quod a poeta comparetur cum columba, quæ longo volatu fessa considet et quiescit. Sic Israelitas longis itineribus exagitatos requirere nunc locum, ubi suam tandem sedem et domicilium habere possent. — At enim vero, ut alia mittam, quæ contra hanc Viri Celeb. sententiam dici possent, unum tantum, idque, uti videtur, gravissimum dubium movebo. Quoniam poeta ex ipsa Viri Celeb. aliorumque complurium interpretum sententia reprehendit in his verbis duas illas et dimidiam tribum, quæ regionem fertilissimam Basaniticam sibi propter greges suos, quos copiosos habebant, expetierant: columbam, quæ imago esse debebat populi, non tam pulcris coloribus depinxisset, sed addidisset haud dubie epitheton aliquod intempestivo isti quietis desiderio, quod in populo reprehendere volebat, aptum.

Earumque pennas ex auro flavo *rutilantes*. —
15. Quando omnipotens fuderit reges istos,
In illis tenebris omnia exhilarabuntur *i*).

16. Est

i) Maxima difficultas est in altero hujus versus membro: בָּהּ תַּשְׁלֵג בְּצַלְמוֹן. Equidem illis assentior, qui בָּהּ dictum esse pro בָּאָרֶץ statuunt atque hanc ellipsin in abrupto hujus carminis dicendi genere non nimis duram arbitrantur. Referri quoque posset ad sequens צלמון si pro hoc legatur צלמות quod Chaldæus legisse videtur. Zalmon autem non est h. l. nomen proprium montis in tribu Ephraimitica; nulla enim appareret ratio, cur hujus in hoc contextu mentio fieret, sed est appellativum, idem significans quod צלמות a radice arabica ظلم *obscurus fuit*. Cui bene convenit verbum תַּשְׁלֵג modo non in significatione propria *ningere*, sed metaphorica, qua in quarta conjugatione أثلج est *lætitia aliquem affecit, exhilaravit*. Sed circa hoc ipsum verbum remanet dubium, quod solvere non satis possum. Nam secundum allatam explicationem tertia persona fœminini generis sumitur impersonaliter, qui idiotismus alias tantum locum habet, si verbum est masculini generis. *Glassius* in Tract. de Verbo Can. 23. p. 245. — Cæterum nexus hujus versus cum sequentibus non difficilis videtur. Tenebrarum discussio in illis regionibus ab Israelitis occupatis, facta est dum Deus Jova in eis sedem suam et domicilium constituebat, quod ipsum sequentes versus celebrant.

16. Eſt quidem mons eximius mons Baſan,
Mons præaltus eſt mons Baſan.
17. Sed quid invidetis, vos montes altiſſimi!
Monti, quem Deus ſedem ſuam eſſe vult?
Imo Jova in æternum eum inhabitabit.
18. Currum Dei *k*) comitantur duæ myriades, millia plurima,
Dominus inter ea, *ſicut olim* in Sina venerabilis.
19. Aſcendiſti in altum, captivos feciſti, accepiſti munera inter homines *diſtribuenda l*):
Rebelles quoque *captivos facis*, dum *inter nos* habitas, venerande Deus! —
20. Laudetur Deus quotidie,
Si quis nos premit, hic Deus eſt ſalus noſtra.

21. Hic

k) Quoniam currus Dei clare diſtinguitur ab ingenti numero eorum qui eum comitantur, aſſentior *Schnurrero*, qui ſub eo curru arcam intelligit. Sed an myriades iſtæ et multa millia comitum ſint Iſraelitæ, dubito. Nimis enim hyperbolice hæc dicta eſſent. Comparatur illa ſolennis arcæ deductio cum ſolenni Dei apparitione in monte Sinai; atque illi quoque tribuitur præſentia ſpirituum cæleſtium innumerabilium, ne minus ſolennis quam hæc eſſe videatur.

l) Hæc non ad literam eſſe intelligenda, jam alii obſervarunt. Siſtitur Deus ut vindex populi ſui, ut triumphator de hoſtibus. Igitur divinus vates ei tribuit captivos, et munera inter homines in pompa triumphali diſtribuenda.

21. Hic Deus nos omni modo defendit,
Immo Jova Deus nos e mortis periculo liberat.
22. Profecto Deus conculcabit *m*) caput hoſtium ſuorum,
Verticem crinitum pertinaciter impii.
23. E Baſane, inquit Dominus, *hoſtes* reducam,
Reducam *eos* e profundo mari *n*).
24. Ut pedem tuum in ſanguinem intingas,
Ut canes tui hoſtium ſanguinem lambant *o*). —
25. Vident *omnes* inceſſum tuum, o Deus *p*),
Inceſſum

m) Verbum מחץ h. l. comparandum eſſe cum arab. مَحَصَ *concutit* et diverſum ab alio מחץ in verſu 24. conferendum cum مَحَضَ *agitavit rem in re*, recte obſervat *Schnurrerus* l. c.

n) Subſtantivum אֹבִים ſupplendum eſſe tum præcedens tum ſequens verſus plane docent. — Neque vero *Baſan*, neque *profundum maris* proprie dicitur, ſed in genere omnis locus, ex quo Deus hoſtes reducere et populo ſuo jugulandos tradere promittit. Similis locus eſt Amos 9, 1 ſqq. et Obadj. verſ. 4.

o) Conſtructionem verborum, in qua nonnulli interpretes hærent, recte, uti arbitror, explicavit *Simonis* in Lexico ſ. v. מִן *ad linguam canum tuorum quod attinet, de hoſtibus erit ejus* ſc. linguæ, *portio*.

p) Pro diverſitate hypotheſium circa occaſionem, qua hoc carmen ſcriptum ſit, alii interpretes, qui Pſalmum a Davide

Inceſſum Dei mei *et* regis verendum.

26. Præcedunt cantores, ſequuntur fidicines,
Inter virgines tympana pulſantes.

27. In choris laudant Deum,
Dominum, *quicunque ſunt* e ſtirpe Iſraelitica *q*).

28. Adeſt Benjamin natu minimus *et* princeps eorum,
principes Judæ cum agmine ſuo,
Principes Sebulon, principes Naphthali — *r*).

29. Ro-

Davide compoſitum putant occaſione ſolennis arcæ deductionis in arcem Sionis, hanc pericopam de ea ſolennitate jam peracta explicant: alii, qui bellum aliquod Davidis, ad quod arcam ſecum duxiſſet, occaſionem hujus carminis ſcribendi dediſſe conjectant, pompam procedentem in hac pericopa deſcribi exiſtimant. Atque haud ſcio an non deſcriptio rei præſenti magis conveniat quam præteritæ.

q) Ante מְמֻקֹּר ſupplendum eſt אשר et phraſis illuſtranda ex ſimili Jeſ. 48, 1. 51, 1. 2.

r) Ex his tribubus fortaſſe David exercitum conſcripſerat, quem, pro hypotheſi, de qua in præfatione ad hunc Pſalmum dictum eſt, adverſus hoſtes educebat. — In vocibus רֹדָם et רִגְמָתָם explicandis admodum fluctuant interpretes. Equidem dictum putem pro רֹדֶה בָּם quod alias hoc verbum ſequenti Beth conſtruitur, ut Levit. 26, 17. Jeſ. 14, 2. cum affixo autem eodem modo verbum conſtructum reperitur Lev. 25, 53.

29. Roboravit Deus potentiam tuam *s*),
Confirma, o Deus, quod noſtra cauſa feciſti.
30. Propter templum tuum, Hieroſolymam *t*),
Tibi afferent reges munera.
31. Perde feram arundinis, cœtum taurorum,
Vitu-

Thren. 1, 13. רָדָה vero non de tota tribu, ſed de principe illius tribus accipio et copulam ſupplendam puto, quæ etiam in ſequentibus membris hujus verſus deeſt. — רִגְמָה vocabulum ἅπαξ λεγ. verti per *agmen*, quod contextui ſatis aptum videtur. vid. *Simonis* ſub h. v.

s) Preces ſunt populi partim ad regem, partim ad Deum directæ. — צַוֵּה autem h. l. non eſt *præcepit*, ſed *roboravit, confirmavit:* ex ſignificatione hujus verbi in lingua arabica صوي in aliis quoque locis Vet. Teſt. obvia, quod recte obſervatum eſt a *Knappio* ad h. l. — Quanquam autem hæc receptæ lectionis explicatio ferri poteſt, tamen, fateor, duriorem mihi videri nimis ſubitam ſermonis mutationem in primo membro ad regem, in altero ad Deum directi. Malim igitur præferre lectionem miro conſenſu nobis ab omnibus interpretibus antiquioribus traditam et decem codicibus *Kennicotti* confirmatam צַוֵּה אֱלֹהִים עֻזֶּךָ *præcipe, o Deus, potentiæ tuæ.*

t) עַל poſitum eſt pro אֶל uti ſæpe. Vel idem eſt quod præcedens מִ *propter*. Templi et urbis Hieroſolymæ erat celebritas.

Vitulos populorum, conculcantes, bonorum direptores *u*),

u) Ad hunc verſum difficillimum duo obſervo. Primum eſt eum continere epitheta hoſtium populi Iſraelitici; quæ omnia, nam *ἀσυνδέτως* poſita ſunt, ut verſ. 22. cum verbo גְּעַר conſtruenda ſunt. Alterum eſt, verbum גער intercedente litera ב et ſine ea conſtrui. Illud ſi fit, nonnulli volunt verti, *reprimere*, *coercere:* hoc ſi eſt, *perdere*, ut Pſ. 9, 6. 119, 21. Mal. 2, 3. vid. *Amama* ad h. l. Equidem dubito an hoc diſcrimen ſatis probari poſſit. Certe in noſtro loco una *perdendi* ſignificatio obtinet, quanquam utroque modo conſtruitur. Sed ſufficit duplicis hujus conſtructionis meminiſſe. — His obſervatis in conſtructione verborum nulla eſt difficultas, ſed quæ de eorum ſignificatione mihi videantur, paucis dicam. — חַיַּת קָנֶה *fera arundinis.* Aſſentior iis qui negant crocodilum et ſub hoc regem Aegypti indicari, quod multi ſtatuerunt. Sed recte obſervat *Schnurrerus* l. l. Davidem cum rege Aegypti pacem coluiſſe, et verſu 32. Aegyptii etiam ut cultores et admiratores Dei Iſraelitarum memorantur. Sed *fera arundinis* poteſt etiam *leo* dici, qui in arundinetis maxime luſtra habere ſolet, et ſub hac imagine *rex Syriæ* fortaſſe indicatur, cum quo quam longinqua et atrocia bella David geſſerit ex hiſtoria ejus ſatis conſtat. — Duo ſequentia epitheta *coetus taurorum et vituli populorum* indicant haud dubie gentes potentiores, audaces, inſolentes, Philiſtæos, Edomitas, alias. — מִתְרַפֵּס puto

eſſe

Disperge *x*) populos, qui bellis delectantur.

32. Venient magnates Aegypti,
Aethiopes manus suas extendent ad Deum.

33. O reges terræ! canite Deum, psallite Domino,

34. Qui vehitur cœlis, cœlis antiquissimis,
En! vocem suam edit, vocem validam.

35. Tri-

esse aliud epitheton, non construendum cum sequenti בְּרַצֵּי כָסֶף. Significat autem רפס *conculcavit, conturbavit*, cf. *Schultensius* ad Prov. 6, 3. atque indicatur hoc epitheto crudelitas horum hostium, qua omnia conculcabant et evertebant. Numerus singularis vero distributive est explicandus, uti sæpe, nam refertur ad præcedentem pluralem. — Tandem בְּרַצֵּי כָסֶף videtur minime coacte derivari a רצץ *contudit, tundendo trivit. Contusores argenti* autem eleganter a poeta dici possent hostes, qui aliorum opes violenter perdunt et destruunt. Neque prorsus repudianda videtur explicatio, quam *οἱ ὁ*, Symmachus et Vulgatus innuunt, qui a רצה *acceptum, gratum habere* derivarunt. Nam hoc quoque epitheton est hostibus, qui aliorum opibus inhiant, satis aptum. Sed malim in priori derivatione acquiescere.

x) Loco præteriti בָּזַר *οἱ ὁ*, Vulgatus, Syrus, Arabs legerunt imperativum בְּזַר quam lectionem in versione expressi, quoniam imperativus in priori membro præcedit, atque ellipsis, qua lectio recepta defenditur, אתה אשר *tu qui dispersit*, durior mihi videtur.

35. Tribuite laudem Deo,
Qui ſuam majeſtatem inter Iſraelitas et potentiam ſuam in nubibus manifeſtavit.
36. Verendum te, o Deus, exhibebis e ſanctuario tuo *y*),
Deus Iſraelitarum largitur robur et vires *ſuo* populo. Laudetur Deus!

PSALMUS LXIX

Hic Pſalmus eis annumerandus videtur, de quibus ad viceſimum ſecundum dixi. Sunt nimirum quidam ita prophetici, ut David de ſe rebusque ſuis loquens admiſceat characteres Meſſiæ, qui ex hiſtoria Chriſti facile deteguntur. Loca quidem Nov. Teſt. Joh. 2, 17. 15, 25. 19, 28. Act. 1, 20. probant Judæos hunc Pſalmum de Chriſto explicaſſe: atque nullum in hiſtoria Davidis tempus reperimus, cui ſtatus ille afflictiſſimus, qui in hoc Pſalmo deſcribitur, conveniat, quod bene a Michaele eſt obſervatum. Valde laborant interpretes, ſi verſum decimum et viceſimum ſecundum de Davide conantur explicare. Sed facillimam et veriſſimam horum verborum explicationem in hiſtoria N. Teſt. legimus. Ceterum nihil definio, num propter perſecutiones Sauli, an propter Abſaloni rebellionem David

 hanc

y) Loco numeri pluralis מִמִּקְדָּשֶׁיךָ ſingularis legitur in 26. Codd. *Kennicotti*, quem etiam Symmachus, Syrus et Chaldæus legiſſe videntur. At οἱ ὁ et Vulgatus pluralem expreſſere. Defendi poteſt lectio recepta et tamen ſingulariter verti, quoniam מִקְדָּשׁ tam in ſingulari, quam in plurali de locis Deo ſacris uſurpatur, v. c. Ezech. 21, 2. 7. Pſ. 23, 17. Jer. 51, 51. quod jam *Geierus* obſervavit.

hanc elegiam ſcripſerit. Neutri temporis periodo prorſus reſpondet. Sed ſi non omnia de Davide dicta interpretamur, huic magis, quam illi videtur convenire.

1. Præfecto chori muſici. In Hexachordo *a*). Pſalmus Davidis.
2. Serva me, o Deus, nam aquæ me ſuffocant.
3. Hæreo in limo profundo, in quo ſubſiſtere non poſſum.
   In aquam profundam incidi, fluctus me obruunt.
4. Clamoribus meis feſſus ſum, guttur areſcit,
   Oculi hebetant, Deum meum expecto.
5. Major eſt numerus mihi immerito inimicorum, quam capillorum capitis mei,
   Qui me perdere ſtudent et me ſine cauſa oderunt, potentes ſunt,
   Quod non rapui, reddendum mihi eſt.
6. Noſſes, o Deus, ſi quid mali commiſerim *b*), Te

a) cf. Pſ. 45, 1.

b) Cum David in antecedenti verſu iterum iterumque aſſeveraſſet ſe innocentem eſſe atque immerito hoſtium ſuorum odium ſuſtinere, non poteſt in hoc verſu culpæ et delictorum reum ſe confiteri. Igitur hæc verba neceſſario conditionate, ſive de provocatione ad divinum judicium ſunt explicanda. Miror fere recentiorum interpretum plerosque ad hoc non attendiſſe, et conciliare illam contradictionem maluiſſe. Ex antiquioribus inter-

Te non lateret, ſi quid culpæ mihi inhæreret.

7. Noli permittere, ut propter me *a te neglectum* pudefiant, qui in te ſperant, o Domine, Jova omnipotens!

Ne ſinas quemquam pudere propter me precum ſuarum, quibus te implorat, o Deus Iſraelitarum!

8. Tua enim cauſa contumelia afficior,
Et totus ignominia ſum opertus.

9. Alienus factus ſum fratribus meis,
Peregrinus eadem mecum matre natis.

10. Nam zelo domus tuæ fere conſumtus ſum,
Atque contumelias eorum, qui te probris afficiunt, ego quoque ægerrime fero.

11. Lacrimas effundo et jejuno,
Quod ipſum novorum conviciorum cauſa mihi eſt.

12. Veſtitu lugubri incedo, deriſus propterea ab eis.

13. Diffamant me otioſi *c*), canunt de me compotores.

 14. Ego

terpretibus *Munſterus*, *Vatablus*, *Rudingerus*, *Amama* verum ſenſum viderunt, ſed diverſa ratione explicarunt. Apud recentiores inveni eum tantum a *Knappio* et *Seilero* ſtatim in verſione expreſſum. *Michaelis* vero in nota adjecta lectores ſuos admonet, contrarium ſenſum eſſe verborum, quæ in verſione poſuiſſet.

c) hebr. *ſedentes in porta.* Porta enim erat locus, in quo homines convenire ſolebant, Geneſ. 19, 1. Hiob. 29, 7.

14. Ego vero ad te precor. Tempus, quo tibi libeat,
me liberare, expecto,
Pro magna tua gratia me exaudies, pro fide
tua, qua salutem promisisti.
15. Eripe me e limo, ne fidam,
Serva me ab inimicis meis, *extrahe* me ex aquis
profundis.
16. Ne me submergant aquarum fluctus,
Ne vorago me absorbeat, ne margo foveæ *colla-
bens* me obruat.
17. Exaudi preces meas, o Deus, pro summa tua
benevolentia,
Pro infinita tua misericordia ad me respice.
18. Noli servo tuo diutius auxilium tuum subtrahere,
Vehementer affligor, propera ad meum auxilium.
19. Adsis ad vitam meam confervandam,
Propter hostes meos me redime.
20. Tibi opprobrium meum, ignominia et contumelia,
Non minus, atque omnes hostes mei noti sunt.
21. Ista turpitudo animum mihi frangit et debilitat.
Expecto, qui me condoleat, sed frustra. Qui
me consoletur, sed nemo adest.
22. Quin mihi pro cibo cicutam *d*) porrigunt,
Et sitienti acetum præbent. —
23. Fiat mensa eorum laqueus,

Et

d) רֹאשׁ *cicuta.* vid. *Celsius* in Hierob. P. II. p. 46. et *Michaelis* in quæst. Arab. p. 144.

Et in retributionem *e*) tendicula.

24. Obſcurentur eorum oculi, ne videant,
Fac, ut præ lumborum infirmitate ſemper vacillent.

25. Effunde in eos iram tuam,
Et ardor indignationis tuæ eos aſſequatur.

26. Fiat eorum caſtellum deſertum,
Nemo in eorum tentoriis habitet.

27. Etenim quem tu percuſſiſti, perſequuntur,
Et ex dolore a te percuſſi *f*) voluptatem capiunt *g*).

e) ſc. cibi venenati et potus inſipidi, quem mihi præbuerunt. Quoniam interpretes antiqui omnes vocabulum וְלִשְׁלוֹמִים *et pace fruentibus* ſ. *tranquillis* aliis punctis ſubjectis legerunt וְלִשְׁלוּמִים *et in retributionem*, horum teſtimonia non contemnenda putavi. Obvium eſt vocabulum שְׁלוֹם Hoſ. 9, 7. Mich. 7, 3. et pluralis Jeſ. 34, 8. Neque tamen nego recepta puncta quoque ſenſum dare non incommodum. Cæterum appoſite *Michaelis* implementum harum minarum oſtendit ex hiſtoria ultimæ oppugnationis Hieroſolymæ per Romanos. Ad agnum paſchalem comedendum multa millia Judæorum in urbe confluxerant, cum Titus eam ex improviſo aggrederetur. In qua obſidione maximam oppidanorum partem miſere periiſſe, hiſtoria tradit.

f) Pro plurali חֲלָלֶיךָ haud dubie eſt legendum חֲלָלְךָ perſona nempe loquens, quæ de hoſtium ſuorum crudelitate conqueritur. Sic quoque οἱ ἑ, Syrus, Vulgatus.

g) Valde probabilis videtur lectio omnium interpretum anti-

28. Augeant peccatis ſuis culpam,
Nec umquam tibi reconcilientur.
29. Deleantur e numero ſalvandorum,
Nec cœtui piorum amplius annumerentur.
30. Ego vero miſer ſum et affictus,
Tua ſalus, o Deus, me conſervet.
31. Laudabo Deum cantico, celebrabo eum gratiis agendis.
32. Quibus Deus certe magis delectabitur,
Quam juvenco cornuto et ungulato.
33. Videbunt hoc miſeri et lætabuntur *h*),
Atque Dei reverentes reviviſcent. *i*) —
34. Pre-

antiquiorum excepto Chaldæo יִסְּיפוּ *addunt* ſ. *augent*, loco receptæ יְסַפְּרוּ *narrant*. Conſtructio enim cum אֶל non bene convenit verbo סָפַר niſi explicetur per עַל *ſuper* ſ. *de*. *Michaelis* confert סָפַר cum arab. شَقَّ *incidere*, quod partim nimis quæſitum videtur, partim ſubſtantivo מַכְאוֹב *dolor* non aptum eſt. Neque ipſe Vir Illuſtris multum tribuit huic conjecturæ, ſed antiquorum interpretum lectionem probabiliorem judicat.

h) Vix dubito pro רָאוּ עֲנָוִים יִשְׂמָחוּ legendum eſſe: יִרְאוּ עֲנָוִים וְיִשְׂמָחוּ. Sic enim legerunt *oi ó*, Vulgatus, Arabs, Chaldæus, atque ſic ſcriptum eſt quoad prius verbum in decem codicibus *Kennicotti* et quoad poſterius in triginta quatuor.

i) In textu eſt: *et vivet cor veſtrum*. Nimis ſubita h. l. vide-

34. Preces enim afflictorum Jova exaudit *k*),
Et propter eum calamitosos non negligit.
35. Cœlum et terra laudent eum,
Mare et quidquid in eo movetur.
36. Etenim servabit Deus Sionem, restaurabit oppida Judæ,
Ut ejus *cultores* ea inhabitent et possideant.
37. Etiam posteri eorum ea tenebunt,
Et qui eum amant, manebunt in ea (sc. in Sione).

PSAL-

videtur personarum mutatio. Quam vero facilitat lectio τῶν ὁ, ζητήσεται τὸν Θεὸν, et Vulgati: *quærite Deum*, legentium sine dubio loco דִּרְשֵׁי אֱלֹהִים *quærentes* דִּרְשׁוּ. Syrus omittit utrumque. Sed prius membrum legit in imperativo: *Videte pauperes et lætamini et vivat cor vestrum.*

k) Probabilis est conjectura, quam *Seilerus* ad hanc Psalmi pericopam attulit, (a *Venema* quoque quoad tres ultimos versus allata) eam non esse a Davide, sed a viro quodam divino in exilio Babylonico adjectam, quoniam Judæi his Davidis precibus in hostes suos usi fuissent, in Babylonios. Probabilem facit hanc conjecturam, quod vers. 34. mentio fit *victorum Jovæ*, et vers. 36. *restaurationis Sionis* et *oppidorum Judæ.*

PSALMUS LXX

Implorat auxilium divinum adversus hostes, quibus frustrationem consiliorum suorum cum summa ignominia conjunctam imprecatur. Convenit hic Psalmus cum quadragesimo inde a versu decimo quarto. Cujus repetitionis causam probabilem indicavimus in præfatione Psalmi LIII., qui ex eadem causa carminum Davidicorum collectioni his est insertus.

1. Præfecto chori musici. Psalmus Davidis. In memoriam *a*).
2. O Deus! ad me servandum,
   O Jova! ad auxilium meum festina.
3. Confundantur et pudore afficiantur, qui mihi insidias struunt,
   Turpiter retrocedant, qui malo meo delectantur.
4. Terga dare cogantur ob spem frustratam,
   Qui mihi acclamant: euge! euge!
5. Gaudeant de te et lætentur omnes, qui te expetunt,
   Semperque dicant: laudetur Deus! qui per te salvi esse cupiunt.
6. Miser ego sum et egenus. O Deus, propera ad me,
   Auxilium meum et refugium es, o Jova, noli morari.

PSAL-

a) לַמְנַצֵּחַ cf. de hac inscriptione dicta ad Ps. 38, 1.

PSALMUS LXXI

Ex fiducia, quam semper olim in Deo posuerit, spem concipit divinus vates fore, ut in posterum quoque a Deo servetur, quemadmodum hactenus in multis magnisque periculis sit servatus. Scriptus videtur hymnus post seditionem Absolomicam, cum David regno jam esset restitutus.

1. Tibi, Jova, confido,
Noli permittere, ut unquam spe mea excidam.
2. Pro tua benignitate me eripe et serva,
Audi preces meas et me defende.
3. Sis mihi petra receptus, ad quam semper confugere possim.
Præstitisti jam salutem. Nam petra mea et arx munita mihi es.
4. O Deus! eripe me ex manu impii,
A vi hominis perversi et violenti.
5. Tu enim spes mea, o domine Jova!
Fiducia mea inde a pueritia fuisti.
6. In te nixus sum inde ab utero,
Tu me a nativitate mea beneficiis cumulasti *a*).
Te semper laudabo.

7. Pro-

a) In textu hebræo est גּוֹחִי pro quo *Koehlerus* in Repertorio P. XIII. p. 139. pulat legendum fortasse esse גּוֹחִי ex loco parallelo Ps. 22, 10. Probarem et ego conjecturam, nisi lectio recepta admitteret explicationem minime

7. Prodigii inſtar fui multis,
Tu enim tutiſſimum mihi es refugium.
8. Pleno ore te laudabo,
Quovis die tuam gloriam canam.
9. Noli mihi deeſſe in ſenectute mea.
Viribus meis conſumtis, ne me deſeras.
10. Hoſtes enim mei de me loquuntur,
Et qui mihi inſidiantur, conſilia inter ſe agitant:
11. Deus, inquiunt, eum deſeruit,
Perſequimini, prehendite eum! non eſt, qui eum defendat.
12. Noli mihi, o Deus, deeſſe.
Ad meum auxilium feſtina.
13. Pudore conficiantur adverſarii mei,
Infamia et contumelia obruantur, qui malo meo ſtudent.

14. Ego

minime difficilem. *Knappius* quidem noſtrum נָזַי confert cum arab. جاز *tranſire*, atque exiſtimat receptam lectionem eundem ſenſum dare, quem illa ex conjectura Pſ. 22. Sed tunc ſcriptum fuiſſet haud dubie in conjugatione Hiphil: מֲנִיזִי in qua tantum eſt *transmiſit*, *fecit ut penetraret*. *Golius* p. 554. Igitur aſſentior *Schultenſio*, qui (in Animadverſſ. philol. ad h. l.) noſtrum] נוזי deducit ab arab. جزي *retribuit*, *penſavit*, quod prorſus reſpondet hebr. גָּמַל *retribuit* atque in utramque partem dicitur, etiam de beneficiis in aliquem collatis, Pſ. 13, 6. 18, 21. etc.

14. Ego vero ſemper ſperabo et cumulabo tot tuas laudes.
15. Dicam de tua benignitate,
Quotidie de ſalute tua. — Sed eloqui omnia non poſſum.
16. Celebrabo potentiam *tuam b)* o domine Jova,
Prædicabo tuam tantum benignitatem.
17. Tu, o Deus, me inde a pueritia me docuiſti,
Et adhucdum miram tuam ſapientiam prædico.
18. Neque in ſenectute et canitie me deſere,
Dum tuam potentiam aliis, tuamque virtutem poſteris exponam.
19. Tua enim benignitas, o Deus, magna eſt.
Eximia ſunt tua opera. Quis tecum, Deus, poteſt comparari?
20. Te enim volente multa et gravia mala ſum expertus,
Sed vitam mihi reſtituiſti,
Atque ex profundiſſimis *malis* me retractum evexiſti.
21. Auges dignitatem meam,
Et poſt tot miſerias me recreas.
22. Igitur ego te tuamque fidem nablii fidibus celebrabo, Can-

b) Sic *Ludov. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. et ante eum jam *Vatablus* aliique. Quem ſenſum ille præterea ex lingua arabica illuſtrat, in qua verba veniendi cum ב conſtructa ſignificant *adducere*, *afferre*. Igitur *adducere potentiam Dei* nihil aliud eſt, quam eum *laudare*, *celebrare*. Qui ſenſus etiam alteri membro bene reſpondet.

Cantabo ad citharam tuas laudes, Numen Iſraelitarum!

23. Labia mea te canent, immo tibi pſallam,
Et anima mea, quam ſervaſti.

24. Lingua mea quotidie tuam juſtitiam eloquetur,
Pudore enim et ignominia ſunt affecti malum mihi machinantes.

PSALMUS LXXII

Aſſentior illis interpretibus, qui auctorem hujus Pſalmi ſtatuunt non ipſum Salomonem, ſed Davidem aut alium quendam hujus ætatis vatem divinum. Nam argumentum Pſalmi ita eſt comparatum, ut ex eo magis patrem optima quæque de filio, quem regno deſtinaverat, ominantem agnoſcas, aut ſubditos, qui maximam ſpem et expectationem de hoc rege Davidis ſucceſſore conceperant, quorum nomine Aſſaphus fortaſſe, aut alius vir divinus tempore Davidis hoc carmen ſcripſerit, quam Salomonem, qui tantum regni ſui ſplendorem, inter alias gentes gloriam et admirationem, ſubditorum per ſuam prudentiam et virtutem felicitatem præſagire ipſe ſine vanitate non potuiſſet. Sed dum David, aut alius vates divinus hæc felicissima tempora regnante Salomone ominabatur, factum eſt, ut ſimul promiſſio de optimo maximo rege e familia Davidis orituro II. Sam. VII. animo ejus obverſaretur. Hinc eſt, quod deſcriptio regni Salomonei in nonnullis regi Meſſiæ quam Salomoni aptior videatur.

1. Salomoni — Deus! trade regi tuum judicium,
Et jus tuum regis filio *a*).

2. Judi-

a) Rogat divinus vates, ut Deus rex populi ſui tradat huic regi,

2. Judicabit populum tuum juste et afflictos tuos *b*) ex æquo.
3. Nuntiabunt montes pacem populo,
Et colles *salutem* per justitiam *c*).
4. Causam aget miserorum,
Servabit egenos, coercebit violentos.
5. Te venerabuntur, dum sol, dum luna durabunt, æternis sæculis *d*).
6. Erit

regi, quem canit, totius regni administrationem, quoniam hic in jure dicundo justus et æquus sit futurus et ab omni partium studio alienus, ut ipse Deus, cujus vicem gereret. Sic *Michaelis* et *Knappius*.

b) h. e. qui essent e populo Dei et quorum curam Deus gereret. Idem.

c) Ad יִשְׂאוּ suppl. קוֹל ut Jes. 3, 7. — Læta et salutaria e locis eminentioribus alta voce annunciabantur. Eadem imago est Jes. 40, 9. — ad בְּצִדְקָה repeto שָׁלוֹם *pacem cum justitia conjunctam*.

d) Deum alloquitur poeta, non regem, de quo semper in tertia persona. — Sensus est, hunc regem veram religionem et infucatam pietatem in populo suo stabilieturum et conservaturum esse. Recte observat h. l. *Michaelis* hoc de Salomone sine summa adulatione dici non potuisse. — Lectio textus recepta verbi יִירָאוּךָ pro qua οἱ ὁ legerunt וְיִאָרִיךְ יָמִים *καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ*, quos Vulgatus et Arabs sequuntur: *et permanebit cum sole*,

6. Erit *hic rex*, quod rorans pluvia in terram demeſſam,
Inſtar imbrium, qui rigant terram.
7. Florebit illius ætate pius,
Et ſumma pax, dum luna eſſe deſinet.
8. Imperabit ab uno mari usque ad alterum,
Ab Euphrate ad extremos usque terræ fines.
9. Submittent ſeſe ei gentes remotiſſimæ,
Atque hoſtes ejus ei ſubjicientur.
10. Reges Tarteſſi et regionum exterarum dona afferent,
Reges Arabiæ et Aethiopiæ munera dabunt.
11. Venerabuntur eum omnes reges,
Omnes gentes ei erunt ſubjectæ.
12. Liberabit enim inopem, auxilium implorantem,
Atque afflictum, quem nemo defendit.
13. Curam habebit humilium et egenorum,
Eorumque vitam tuebitur.
14. A fraude et injuria eos vindicabit,
Et cara ei erit vitæ eorum defenſio.
15. Vivet et aurum Arabiæ ei offeretur,
Preces pro eo fient ſedulo et benedicetur ei quotidie.
16. Frumenti in montium verticibus ſparſi exigua portio
Fructus dabit ſtrepentes, ut arbores Libani, Flo-

non videtur ſollicitanda. Aptiſſimum ſenſum habet et plurium teſtium antiquorum auctoritate firmatur, quam illa. Conſentiunt nempe cum ea Syrus, Chaldæus, Aquila, Symmachus et Hieronymus.

Florebunt cives, ut gramina terræ.

17. Nomen ejus in æternum celebrabitur,
Quamdiu ſol lucebit, durabit *e*) ejus memoria,
Propter eum ſeſe felices prædicabunt,
Omnes gentes eum celebrabunt — *f*).

18. Laudetur Jova Deus, Deus Iſraelitarum,
Qui ſolus mira patrare poteſt.

19. Laudetur nomen ejus glorioſum in æternum,
Atque ejus majeſtatem agnoſcat totus terrarum orbis. Amen! Amen!

20. Hactenus preces Davidis filii Iſæi *g*).

e) Vix dubitem pro יִנּוֹן legendum eſſe יִכּוֹן *ſtabilietur* ſ. *permanebit*. Nam verbum נוּן neque in lingua hebraica, neque in cognatis linguis obvium, ex conjectura tantum explicatur per *augeſcere* ſ. *ſoboleſcere*, quia נוּן in dialectis ſignificat *piſcem*. Sed οἱ ὁ verterunt: διαμενεῖ, Vulgatus et Hieronymus: *perſeverabit*. Chaldæus: מְזַמַּן *præparatum eſt*, Syrus: ܩܳܝܶܡ ܫܡܗ *exiſtet nomen ejus*. Qui omnes ſine dubio legerunt יִכּוֹן. Quod ipſum etiam legitur in loco parallelo Pſ. 89, 38. Facillimam eſſe כ et נ literarum ſimilium permutationem, nemo non videt. cf. *Lilienthal* in Comment. crit. p. 390.

f) Definit Pſalmus in hoc verſu. Sequentes enim ſunt doxologia addita in fine hujus libri, uti in reliquis ſimiles leguntur. cf. dicta Pſ. 41, 14.

g) Omittitur hic verſus in verſione Syriaca et Arabica, atque

LIBER TERTIUS

PSALMUS LXXIII

Argumentum Pſalmi idem prorſus eſt, quod trigeſimi ſeptimi, undequadrageſimi et undequinquageſimi. Hortatur divinus vates, ne invideamus rebus ſecundis et proſperis impiorum, neque ex præſenti eorum ſtatu aut conditione judicemus, ſed ut exitum expectemus, in quo juſtitia Dei cum in puniendis impiis, tum in ſervandis et tuendis piis ſeſe clare oſtendat.

1. Pſalmus Aſaphi. — Deus profecto Iſraelitarum
ſummum bonum eſt,
Modo vitæ integræ ſtudeant.
2. Ego vero, parum abfuit, quin impingerem,
Quin greſſus mei declinarent.
3. Invidebam enim ſuperbis,
Quum impios rebus proſperrimis uti viderem.
4. Nullis

que in ſeptem codicibus *Kennicotti*. Non ſolum in iis, qui verſionibus latinis inſtructi ſunt, nempe 73. 74. 97. ſed etiam in aliis pure hebraicis 133. 201. 379. 591. At legitur in verſione græca, latina et chaldaica, atque haud dubie adjectus fuit primæ et antiquiſſimæ carminum Davidicorum collectioni, cui deinceps alia addita eſt aliorum ſacrorum vatum, cui et alii hymni Davidis, qui in priori non reperiebantur, inſerti ſunt. Tandemque tota collectio probabiliter poſt exilium babylonicum in quinque libellos minores, qui quinque libris Moſaicis reſponderent, eſt diſtributa. cf. *Eichhorn* in Introduct. in Vet. Teſt. P. III. p. 536.

4. Nullis doloribus usque ad mortem afficiuntur,
Semperque robore pollent.
5. Non ut ceteri homines moleſtias ſentiunt,
Aut plagis affliguntur.
6. Propterea ſuperbia elati ſunt,
Atque violentia ſe ornant.
7. Prodit ex corde iniquitas eorum *a*),
Erumpunt eorum conſilia.
8. Derident alios et maligne loquuntur,
Sermones eorum ſunt ſuperbi.
9. Deum blaſphemant et homines conviciis proſcindunt.

a) Prioris hemiſtichii verba ſic habent: יָצָא מֵחֵלֶב עֵינֵמוֹ. Quæ ſi ex vulgari vocum ſignificatione vertuntur: *prodit præ ſ. ex pinguedine oculus eorum*, non niſi duriorem admittunt explicationem. Miſſis virorum doctorum ad hanc duritiem emolliendam conjecturis, probo verſionem vocabuli מחלב ſupra poſitam ex ſignificatione ejus arabica خلب *pericardium*. Alterum autem, ſcilicet עינמו, confero cum غان *pravus fuit*, ut non opus ſit lectionis receptæ mutatione in עונמו quanquam defendi poſſet auctoritate Verſ. græcæ, Vulg. Syri et Arabis, atque error ſcribarum in litera una eaque ſimili facillimus fuerit. Quibus admiſſis poſterius membrum priori omni ex parte reſpondet. Sic locum hunc explicavit *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad quædam loca Pſalmorum Faſc. II. p. 6. cf. obſervat. ad Pſ. 17, 10.

10. Propterea quoque populares mei *b*) huc ſe convertunt,
Nam aquam abunde hauriunt *c*).
11. Dicunt: num Deus hæc curet?
Aut harum rerum cognitionem habeat Altiſſimus?
12. En! hi ſunt impii et tamen tranquille vivunt,
Atque opes ſuas vehementer augent.
13. Profecto ego fruſtra vitæ innocentiæ ſtudeo,
Measque manus a ſcelere puras ſervo.
14. Per-

b) Pro עַמּוֹ *populus ejus* legendum puto עַמִּי *populus meus*. Sic quoque legerunt οἱ ὁ, διὰ τοῦτο ἐπιστρέψει ὁ λαός μου ἐνταῦθα. Syrus, Vulgatus et Arabs: *idea converteetur populus meus huc*. In ſequentibus verſſ. 11—14. loquentes introducuntur, qui invident felicitati impiorum eaque offenduntur. Quorum ſermones non conveniunt eis, qui ſe junxerunt impiis iſtis, quos Aſaphus antea deſcribit, ſi legatur עַמּוֹ *populus ejus*, ut nihil dicam de enallage numeri *ejus* pro *eorum*. His vero popularibus ſuis, hominibus probis et innocentibus, adverſa vero fortuna preſſis atque propterea de providentia divina dubiis, opponit ſe Aſaphus verſ. 15. et dicit, ſe ſibimet ipſi caviſſe ab iſta nonnullorum in judicando præcipitantia.

c) Senſum phraſeos tropicæ bene expreſſit Syrus: *abundanter inveniunt ſibi*. Potus copia in oriente res tam grata, quam parum ubique obvia, pro rerum omnium affluentia dicitur. cf. *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l.

14. Perpetuis afflictionibus ſum expoſitus,
Et quotidie nova mala experior. — —
15. Sed ſi hæc *d*) dicere aut ſtatuere vellem,
Inique certe de omnibus tuis judicarem.
16. Cœpi quidem hac de re cogitare diligentius, ut eam accurate cognoſcerem,
Sed labor mihi is erat gravior.
17. Donec Dei ſanctuarium ingrediebar,
Atque ad eorum exitum attendebam.
18. Profecto collocas eos in lubrico,
Ut inde eos in interitum præcipites.
19. Quam repentina calamitate pereunt!
Quam terribili judicio perduntur!
20. Ut ſomnium evaneſcit expergefactis,

d) Jungunt *Michaelis* et *Doederlein* כְּמוֹ ſequenti הִנֵּה quod aliis punctis ſubjectis legunt הֲנָה *Knappius* autem הֲמָה *ſecundum hæc*, ſive; *ſicuti illi.* Equidem fateor mihi quoque ſuſpectum videri illud כְּמוֹ abſolute poſitum, alias non ſic obvium. Nolim tamen propterea הִנֵּה *ecce!* loco ſuo turbare, quoniam antiquiores interpretes omnes, præter Syrum, illud legerunt. Putem igitur legendum eſſe כֵּן ſive כְּמוֹ כֵן. Sic videntur legiſſe οἱ ὁ, διηγήσομαι οὕτως, ἰδοὺ κ. λ. et Vulgatus; *narrabo ſic: ecce* etc. Aut כְּמוֹ הֵם. Sic Chaldæus et Syrus: *faciam ut ipſi.*

Sic ſplendorem eorum, o Domine, in ira *e*) *tua* abolebis. —

21. Si cor mihi propterea indoleſcit,
Aut inquietus propterea fuero:
22. Tunc ſtultum me ipſum putabo, nihil intelligentem,
Brutum ratione carens tibi videbor.
23. Sed ego tibi ſemper deditus ero,
Et tu me dextra mea apprehendes,
24. Pro tua voluntate mecum ages,
Tandemque ad gloriam me perduces.
25. Nihil eſt neque in cœlo neque in terra,
Quo æque ac in te delecter.
26. Si vel corpore atque animo miſerrimus eſſem,
A te tamen auxilium atque ſolatium mihi venit.
27. Te qui deſerunt, peribunt,
Perdis, qui alios Deos colunt.
28. Mea vero felicitas in eo omnis ſita eſt,
Dum Deo unitus ſum, dum omnem fiduciam in eo pono.
Operumque ſuorum excellentiam deprædico.

PSAL-

e) Nimis tenuis mihi videtur ſenſus, ſi בְּעִיר vertitur: *in urbe.* Nam per ſe intelligitur, puniri impios a Deo *in eo loco ubi vivunt.* Sed aptiſſima h. l. eſt ſignificatio *voū* עִיר *iræ vehementioris*, de qua vid. *Schroederus* ad Origg. Ling. Hebr. Cap. II. Ex antiquioribus interpretibus unus Chaldæus habet hanc explicationem; vertit enim בִּרְגַז תְּמוּתוּהִי חִבְסַר *in ira imaginem eorum ſpernes.*

PSALMUS LXXIV

Quamquam inſcriptio carminis Aſaphum principem præfectorum chori muſici tempore Davidis, auctorem perhibet, tamen argumentum non convenit ejus temporibus. Nam deſcribitur ſumma templi vaſtatio et locorum ſacrorum profanatio. Neque probabile videtur, quod nonnulli interpretes ſtatuerunt, Aſaphum vaticinatum eſſe, vel futuram templi deſtructionem per Nebucadnezarem, vel perſecutiones Antiochi Epiphanis. Nam ſtilus minime eſt propheticus, ſed mere hiſtoricus. Igitur aſſentior Michaeli, Eichhornio (in Introductione V. T. P. III. p. 509. 518.), aliisque, qui inſcriptiones Pſalmorum non ſemper genuinas eſſe concedunt, atque hunc quoque eis annumerandum eſſe cenſeo. Quodſi quis malit, alium Aſaphum temporibus Davidis longe poſteriorem intelligere; me quidem non haberet contradicentem. Fieri enim potuit, ut ſuperſtes eſſet ultimis regni Judaici temporibus aliquis ex familia Aſaphi, qui hac elegia excidium urbis et templi luxerit. Nam hoc utique argumentum ejus eſſe plane ſum perſuaſus. De perſecutionibus Antiochi Epiphanis h. l. cogitare prohibet abſoluta his temporibus librorum ſacrorum collectio. vid. Eichhorn in Introd. P. I. p. 11. et P. II. p. 508. Aliam eamque novam conjecturam attulit Doederlein in Scholiis ad libros poeticos V. T., referendum eſſe Pſalmum ad tempora impii regis Achaſi et matris ejus Ataliæ, a quibus cultum Baalum in ipſo templo Jovæ ſacro ſtabilitum eique magnam eſſe vaſtationem illatam legimus 2 Reg. 12, 6. 2 Paral. 24, 7. — At quamquam hypotheſis ipſa valde probabilis eſt, ſuperſtites nempe fuiſſe in populo veri Dei cultores, qui ſummam illam religionis corruptionem dolerent, tamen calamitas, quam vates divinus in hoc carmine luget, major eſt et gravior, quam quæ illis temporibus convenire videatur, verſ. 4—10.

1. Carmen didaſcalicum Aſaphi.
Quare, o Deus, tam diu deſeruiſti,
Quare *ardet* ira tua in gregem tuum?
2. Recordare populi tui, quem olim tibi acquiſiviſti,
Quem tibi tamquam peculium redemiſti,
Montis Sionis, in quo habitaſti.
3. Attolle te et vide loca diu jam vaſtata,
Confregit omnia hoſtis in ſanctuario tuo.
4. Vociferantur hoſtes tui in loco tibi dicato.
Poſuerunt ſigna ſua, ſigna *a nobis colenda a*).
5. Vide-

a) Verba textus ſunt: שָׂמוּ אוֹתֹתָם אֹתוֹת quæ fateor me non intelligere. *Michaelis*, quem *Knappius* et *Seilerus* ſequuntur, *ſigna* intelligit de oraculis ſacrificulorum, quos Nebucadnezar de eventu hujus expeditionis conſuluerit. Sed vereor ut de his verbum שׂוּם ſit uſurpatum. Idem dubium moveo contra explicationem *Doederleini*; qui, cum verba textus vertiſſet: *ſigna ſua pro veris proponunt*, addit: Adſunt ψευδοπροφῆται qui oraculis confictis imponunt populo. — Verbum שׂוּם videtur utique h. l. rem aliquam in loco quodam ab hoſtibus collocatam indicare, (fortaſſe ſigna militaria ſ. vexilla, de quibus אוֹת quoque dicitur Num. 2, 2.) cui Iſraelitæ honorem debebant exhibere, quam vero deteſtabantur; quod colligo ex repetitione emphatica vocabuli אֹתוֹת *ſigna*. Hæc eſt ratio verſionis meæ, in qua vero, quod jam faſſus ſum, mihi ipſe minime ſatisfacio.

5. Videmus *b*), quemadmodum in denſas arbores ſecures crebro immittuntur,
6. Sic jam ſculpturas ejus bipenni et malleo contundi.
7. Ignem immiſerunt ſanctuario tuo,
Solo æquarunt et profanarunt ædem tuam.
8. Sic apud ſe ſtatuunt: opprimamus eos omnes.
Loca Deo ſacra ubique combuſſerunt *c*).

9. Ritus

b) hebr. יִוָּדַע *cognoſcetur*. Tertia perſona imperſonaliter poſita videtur. Nam ſequitur id quod mox *cognoſcetur*, ſcilicet templi plenaria deſtructio. Hinc verti: *videmus*.

c) Pro יַחְדָּו *οἱ ὁ*, Vulgatus et Syrus videntur aliud verbum idque primæ perſonæ legiſſe: vertunt enim *κατα-παύσωμεν*, *quieſcere faciemus*, נַכְחִידָם *perdamus*. Favet mutationi tertiæ perſonæ inprimis prius verbum. Sed reliqui interpretes græci, Aquila, Symmachus, Theodotion, quorum fragmenta h. l. extant, conſentiunt in lectione verbi et perſonæ. Igitur non auſim lectionem יַחְדָּו ſollicitare, neque putem vulgarem ejus ſignificationem deſerendam eſſe propter מוֹעֲדֵי אֵל quæ *combuſta* dicuntur. Etenim minime neceſſe eſt, ut ſub his *ſynagogas* intelligamus, quarum uſum poſt reditum ex captivitate Babylonica obtinuiſſe viri doctiſſimi exiſtimant. Sed fuerunt haud dubie præter templum Hieroſolymitanum loca bene multa in Palæſtina, quæ propter apparitionem Dei in eis factam ſanctitatis quandam opinionem apud vulgus habebant, ara fortaſſe inſignita,

9. Ritus noſtros ſacros *d*) non amplius videmus
obſervari,
Non eſt inter nos propheta aut vir ſapiens ullus.
10. Quousque, o Deus, probris miſer afficietur?
Num hoſtis te perpetuo irridebit?
11. Quare retrahis manum tuam dextramque *potentem*,
Profer eam e ſinu tuo, perde *hoſtes tuos e*). —
12. Deus vero inde a longo tempore rex meus eſt,
Qui ſalutem præſtitit huic terræ *f*).
13. Tu enim pro tua potentia mare diffidiſti,
Et capita draconum in mari fregiſti.
14. Conquaſſaſti caput crocodili.

Populo

ſignita, quæ viatoribus antiqua illa beneficia in memoriam revocaret. Hujusmodi loca igitur Deo ſacra, ab inſtitutis Synagogarum poſteriorum temporum longe diverſa, poſſunt h. l. intelligi. cf. *Vitringa* de Synagoga Vetere Lib. I. P. II. Cap. X. p. m. 404.

d) hebr. אֹתֹתֵינוּ *ſigna noſtra*. Sed hoc nomine veniunt quoque cæremoniæ ſacræ Judæorum, v. c. Sabbatum Exod. 31, 13. 17. circumciſio Geneſ. 17, 11.

e) Senſus tropi ἀνθρωποπαθῶς de Deo adhibiti non difficilis eſt intellectu: ne iis quaſi otioſus ſpectator afflictionum noſtrarum. — Verbum בַּלֵּה *perde*, e ſinu tuo, eſt h. l. in ſignificatione prægnante.

f) הָאָרֶץ h. l. intelligo de terra Judaica, quoniam commemorantur in ſequentibus verſibus beneficia ſpecialiora populo exhibita.

Populo in locis desertis cibum *g*) dedisti.

15. Tu ex fissis petris magnam aquarum copiam eduxisti,
Tu perennes fluvios exsiccasti.

16. Tu diem, tu noctem constituisti,
Tu astra et solem præparasti.

17. Tu omnibus regionibus suos statuisti terminos,
Aestatem et hiemem ordinasti. —

18. Memor sis conviciorum, quibus te hostis impetit,
Quibus te irridet homo flagitiosus.

19. Ne tradas catervæ voraci *h*) turturem tuum,
Cœtus afflictorum tuorum ne in perpetuum oblivisare.

20. Respice fœdus, nam densissimæ tenebræ
Habitationes violentiæ expositas *i*) replent.

21. Ne

g) Affixum in תִּתְּנֶנּוּ non ad præcedens לִוְיָתָן *crocodilum* referendum puto, qui datus sit populo in cibum, sed cum sequenti מֵאָכֶל construo. Pleonastice ponitur, uti in lingua Syriaca frequentissime: *dedisti eum*, nempe *cibum*. Intelligitur *Manna*, qui cibus erat populi per deserta Arabiæ iter facientis, non capita crocodilorum, h. e. Aegyptiorum.

h) hebr. לְחַיַּת נַפְשׁ sic Prov. 23, 2. בַּעַל נָפֶשׁ.

i) מַחְשְׁכֵי־אֶרֶץ est nominativus. Densissimæ tenebræ tropice dicuntur pro summa calamitate, quæ replent נְאוֹת חָמָס *habitationes violentiæ*, quæ passive dictæ sunt,

pro

21. Ne pius a te discedat confusus pudore,
Fac, ut te miser laudare possit.
22. Adsis, o Deus, age causam tuam,
Memor sis opprobrii, quo te quotidie homo impius afficit.
23. Noli oblivisci clamoris adversariorum tuorum,
Atque insolentiæ eorum, qui tibi continuo resistunt.

PSALMUS LXXV

Precet continet bonæ spei plenas de auxilio divino impetrando adversus impios et rebelles. Promittit, se velle hoc beneficio uti ad restituendum regnum collapsum et ad coercendos impios. Potest ad tempora seditionis Absalomicæ referri. Indicia non satis clara insunt, ex quibus constet, Deum a versu 3—8. loqui, quod nonnulli interpretes arbitrantur.

1. Præfecto chori musici *ad modum carminis:* ne perdas *a*).
Psalmus Asaphi canticum.
2. Te, o Deus! celebramus, celebramus, inquam, nam notum *b*) est nomen tuum.
Narra-

pro violentiis et injuriis, quibus habitatores h. e. Israelitæ ab hostibus vexabantur.

a) Ultimus hic est Psalmorum cum hac inscriptione post 57. 58. 59.

b) Verba textus: וְקָרוֹב שְׁמֶךָ paullo obscuriora *Schultensius* in Animadverss. philol. ad h. l. bene illustrasse videtur

Narrarunt *majores noſtri* tua miracula.

3. Quum promiſſionis particeps factus fuero *c*),
Juſtitiam recte exercebo.

4. Diſſolutæ quidem ſunt terræ *noſtræ* res ejusque incolæ,
Ego fundamentum ejus ſtabiliam.

5. Dicam ſuperbis, ne vos nimis efferatis,
Atque impiis, ne potentiam *veſtram* oſtentetis.

6. Ne jactetis vires veſtras,
Ne loquamini cervice obſtinata.

7. Nam nihil eſt neque in Oriente, neque in Occidente,
Neque

detur ex lingua arabica, in qua قرب *propinquus fuit* dicitur quoque de *rebus bene notis*, et contra *remotum* de eo quod *parum notum* eſt, aut *minus intelligitur*. Hinc ad ſequens verbum סִפְּרוּ impersonaliter poſitum, nominativus אֲבֹתֵינוּ *patres noſtri*, alias in hac forma loquendi obvius, facile ſubintelligitur.

c) מוֹעֵד quod ſæpe de *loco* aut *tempore certo* et *conſtituto* dicitur, in neutra ſignificatione ſatis convenit verbo אֶקַּח. Hinc aſſentior *Ludov. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. et *Schultenſio* in libro ſupra laudato, qui obſervarunt מוֹעֵד in lingua ſyriaca et arabica eſſe quoque *promiſſum*. Quod quale ſit h. l. non eſt difficile intellectu, ex altero membro hujus verſus. Regnum videlicet a Deo Davidi promiſſum; quod quidem tanquam valde turbatum deſcribit, ſed ſimul ſpem concipit, ſe Deo juvante has ruinas eſſe inſtauraturum.

Neque in Meridie, quod ſe efferre poſſet *d*).
8. Sed Deus judex eſt, is humiliat, is exaltat.
9. Nam calicem Jova in manu tenet vini *feruidi*,
totum impletum, ex quo effundit.
Fæces adeo exhaurire cogentur impii omnes.
10. Ego vero ſemper laudabo et celebrabo Deum
Iſraelitarum.
11. Atque potentiam impiorum infringam,
Pii vero iterum evehentur.

PSALMUS LXXVI

Carmen eſt triumphale propter victorias conceſſas adverſus hoſtes potentes. Petit, ut reliquos quoque hoſtes Deus conficiat, et hortatur ad pia vota et munera offerenda. Simillimus eſt Pſalmus ſexto et quadrageſimo et duodequadrageſimo, ſimili et fortaſſe eadem occaſione ſcriptus.

1. Præfecto chori muſici, fidibus adhibitis. Pſalmus
Aſaphi canticum.
2. Deus notus eſt inter Judæos,
Inter Iſraelitas nomen ejus celebratur.
3. Tabernaculum ejus eſt Hieroſolymæ, habitatio in
Sione.
4. Fran-

d) אַיִן in hoc verſu verto per *nihil*, et הָרִים infinitivus conjugationis Hiphil eſt loco ſubſtantivi, *τὸ extollere*, quod ſibi homines illi ſuperbi arrogabant.

4. Frangit ibi ſagittas alatas *a*),
Clypeum, gladium, bellum.
5. Illuſtrior es et longe potentior montibus iſtis prædatorum *b*).
6. Spoliati ſunt *c*) audaciſſimi iſti, interfecti *d*),
Nec

a) hebr. רִשְׁפֵי־קֶשֶׁת *alites arcus.* vid. *Michaelis* Beurtheilung der Mittel die hebr. Sprache zu erklären, p. 298 ſeqq.

b) Apoſtrophe ad montem Sionem, quem vates longe illuſtriorem eſſe dicit, quod Deus eam inhabitet, aliis montibus, quos prædones et latrones incolant. De his enim malim הָרְרֵי טָרֶף *montes rapinæ* explicare, quam de feris animalibus montium Baſaniticorum et Libani, quoniam comparatio aptior videtur.

c) אֶשְׁתּוֹלְלוּ in Hitpael, א pro ה per Syriaſmum, bis legitur. Nempe præter h. l. Jeſ. 59, 15. Quibus in locis *Scheidius* in Specimine Obſervatt. ad quædam loca Vet. Teſt. p. 46. ſignificationem arabicam verbi سلّ *ſubducere ſe, fuga elabi*, ſubſtituit. Sed quanquam hæc ſignificatio *Doederleinio* quoque et *Knappio* probatur, tamen neutri loco ſatis apta videtur. In noſtro quidem poeta minime dicit: milites, quos *fortes* ſ. *audaces* vocat, ſeſe e prælio ſubduxiſſe, aut dormitaſſe, ſed eos in prælio reſiſtere non potuiſſe, Deo nimirum contra eos pugnante. Igitur שלל accipio in ſignificatione hebraica, *ſpoliare*. Conjugationem vero Hitpael interdum

Nec viribus ſuis uti potuerunt.

7. Præ ira tua, Deus Jacobitarum, perculſi ſunt
equus et currus.

8. Tu enim es terribilis,
Quis tibi, quando iraſceris *e*), poteſt reſiſtere?

9. E cœlo ſententiam promulgaſti,
Terra timet et quieſcit:

10. Dum Deus adeſt ad judicandum,
Ad tuendos omnes miſeros.

11. Furor hoſtium cedet tandem in laudem tuam,
Et ſi quid irarum ſupereſt, id facile coercebis.

12. Vota veſtra Deo perſolvite,
Omnes,

dum quoque paſſive dici, obſervatum eſt ad *Glaſſium* p. 254. ubi exemplis citatis addi poſſunt: Deut. 28, 68. Pſ. 92, 10.

d) hebr. *dormitarunt ſomnum ſuum.* Quæ non de ignavia intelligo, ſed ex ſimili loco de morte explico, Jer. 51, 39. *dormient ſomnum æternum.* Etenim illa explicatio contraria eſt conſilio ſacri poetæ, qui potentiam Dei irreſiſtibilem deſcribit. Jam vero non magnæ virtutis eſt hoſtem dormitantem vincere. Ut taceam ab omni probabilitate alienum eſſe, hoſtes tempore prœlii ſomno indulſiſſe.

e) hebr. מִפְּנֵי אַפֶּךָ *propter fervorem iræ tuæ:* אַף h. l. ſubſtantivum eſt ab אָפַף *bullire, effervescere.* vid. *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l. et ad Job. 3, 13.

Omnes, qui ei addicti estis, munera afferte numini,
13. Quod superbiam principum frangit,
Et terribilis est regibus.

PSALMUS LXXVII

Gravem continet querelam de calamitate publica, tandemque contestatur pius vates, nihil sibi efficacius fuisse ad confirmandum trepidum et dubitantem animum, quam memoria temporum antiquorum, quibus populum suum Deus in summis periculis conservarit. — Complures interpretes jam observarunt, Davidicum Psalmum esse non posse, quoniam vers. 16. Josephitarum tamquam tribus principis aut dominantis mentio fit. Quod post tempora Davidis et Salomonis facta decem tribuum separatione obtinuit.

1. Præfecto chori musici super Jeduthun *a*). Psalmus Asaphi.
2. Deum invoco et clamo,
Deum invoco, utinam me exaudiret *b*)!

a) De hoc nomine vid. observat. ad Ps. 39. et 62.

b) hebr. וְהַאְזִין אֵלַי. Litera Vau h. l. non commode per *et* verti potest. Nam preces, quæ sequuntur, minime produnt animum fiduciæ plenum, aut de exauditione adeo certum. Propterea nonnulli interpretes hunc versum de tempore præterito explicant, quod divinus vates præsenti opponat. At enim vero nulla sunt in sequenti versu hujus oppositionis indicia. Sed si hæc litera adeo πολύσημος optative vertitur *utinam*, sive in præ-

3. In afflictione Dominum anquiro,
Manus mea *ad eum* noctu extenſa non remittit,
Animus meum omnem conſolationem reſpuit.
4. Dei recordor et ingemiſco,
Cogito *de Deo* animo fere deficiente.
5. Somnum ab oculis meis prohibes *c*),
Adeo animo ſum perturbatus ut loqui non poſſim.
6. Reputo priſca tempora, annorum antiquorum memoriam.
7. Carminum recordor noctu olim dictorum,
Dum animus meus meditabatur et ſpiritus ſcrutabatur.
8. Adeone dominus in perpetuum nos rejicit?
Neque amplius ſe benignum exhibet?
9. Num perpetuo gratia ejus deſtituemur?
Num ſemper promiſſiones erunt irritæ?
10. An oblitus eſt Deus ſuæ benignitatis?
An ira ejus omnem miſericordiam excludit? — —
11. Tan-

præterito הָאִין legatur, ſive in imperativo, nexus eſt hujus verſus cum ſequentibus facillimus. Neque deſunt hujus ſignificationis alia exempla, Geneſ. 37, 30. Num. 14, 3. vid. *Noldius* ſub num. 3.

c) Verba textus ad literam habent: *tenuiſti vigilias oculorum meorum. Vigiliæ oculorum* ſunt *oculi vigilantes.* In vocabulo שְׁמֻרֹת, quod alias ſcribitur אַשְׁמֻרֹת, litera א fortaſſe abſorpta eſt a præcedente voce in ſimili ſono deſinente, cf. Pſ. 63, 7.

11. Tandem ſic me conſolor: mihi quidem hæc ſunt perferenda,
Dextra vero Dei ſummi omnia in melius mutare poteſt.
12. Recordor operum divinorum,
Immo recordor miraculorum olim a te patratorum.
13. Animum adverto ad tua opera,
Atque facta tua conſidero.
14. O Deus! ſancta ſunt, quæ facis.
Ubi eſt Deus æque magnus ac Deus noſter *d*)?
15. Tu es Deus, qui miracula patrare poteſt,
Tuam inter gentes potentiam manifeſtaſti.
16. Hac tua potentia redemiſti populum tuum,
Poſteros Jacobi et Joſephi.
17. Viderunt te aquæ, o Deus, viderunt te et timuerunt,
Etiam abyſſi contremuerunt.
18. Nubes aquas effuderunt, æther fragorem edebat,
Tela tua ubique pervadebant.
19. In æthere tonitru tuum ſonabat,
Fulgura tua per orbem coruſcabant,
Terra mota eſt et contremuit.
20. Tu per mare ingrediebaris, per aquas vaſtas incedebas,
Nec reliquiſti veſtigia ulla.

 21. Du-

d) Pro כֵּאלֹהִים *ei ſ* et Syrus legerunt כֵּאלֹהֵינוּ quam lectionem oppoſitio, quæ eſt in hoc membro, confirmat.

21. Duxisti, ut *pastor* gregem, populum tuum,
Per Mosen et Aaronem.

PSALMUS LXXVIII

Hic Psalmus continet brevem historiam populi Israelitici ab exitu ex Aegypto usque ad tempora Davidis, cujus consilium esse videtur, excitare populum ad constantiam in obedientia Deo praestanda. Nam ostendit perpetua exemplorum inductione semper propter peccata sua populum a Deo esse punitum.

1. Carmen didascalicum Asaphi.
Audi, mi popule, institutionem meam,
Attende ad sermones meos.
2. Singularia quædam narrabo et memorabilia 4) proferam de rebus antiquissimis.
3. Quæ ex relatione accepimus,
Quæ patres nostri nobis narrarunt.
4. Non celabimus de his eorum filios,

Sequenti

4) Historias antiquissimorum temporum vocat divinus vates מְשָׁלִים et חִידוֹת quoniam eas convertebat ad monendos et hortandos populares suos, ut sibi caverent ab imitandis pessimis majorum suorum moribus. Ex quo ejus consilio apparet מָשָׁל h. l. non esse *proverbium* s. *sententiam acute dictam*, neque חִידָה *aenigma*, uti alias utrumque sæpe dicitur. Sed originem utriusque h. l. esse respiciendam. Illius quidem est: *similitudinem exemplo proponere*, hujus: *flectere, intorquere.*

Sequenti generationi enarrantes laudes Jovæ,
Potentiam ejus et miracula, quæ patravit.
5. Publicavit Jacobitis ſtatuta,
Legem dedit Iſraelitis,
Quam ſervarent majores noſtri atque filios ſuos docerent.
6. Ut poſteritas quoque cognoſceret, filii naſcituri,
Et *hi ſimiliter* traderent ea ſuis liberis.
7. Ut Deum tantum ſpem ſuam facerent,
Neque operum ejus oblivíſcerentur,
Sed præcepta ejus ſervarent.
8. Ne ſimiles fierent patribus ſuis, hominibus contumacibus et immorigeris,
Qui inconſtantes erant, nec fideles Deo.
9. Ephraimitæ ſimiles erant armatis ſagittariis,
Qui in prœlio terga vertunt *b*).
10. Fœdus, quod cum Deo pepigerant, non ſervarunt,
Atque legi divinæ noluerunt obedire.
11. Obliti ſunt operum ejus,
Et miraculorum, quibus ſe eis manifeſtaverat.
12. Inter eorum majores miracula patraverat,
In Aegypto, in regione Tanis.

b) Equidem non putem alludi ad hiſtoriam certam, quod nonnulli interpretes exiſtimant. Sed comparantur Ephraimitæ cum perfidis ſagittariis, qui in prœlio ſe in fugam vertunt. coll. verſ. 57. et Hoſ. 7, 16.

13. Fidit mare, eosque traduxit,
Aquis quasi in cumulum congestis.
14. Duxit eos nube interdiu,
Et noctu igne lucente.
15. Rupes in deserto diffidit,
Potavit eos tamquam ex profundo maris.
16. Eduxit e petra latices,
Ex quibus ut flumina aquæ manabant.
17. Sed denuo peccarunt in eum,
Contra omnipotentem Deum in deserto rebellarunt.
18. Deum deliberato animo tentarunt,
Cibum pro appetitu suo petentes.
19. Contra Deum murmurantes,
Num poterit, inquiebant, Deus mensam in solitudine instruere?
20. Sit ita, petram percussit, ut aquæ manarent et flumina sese effunderent;
Num panem dare quoque poterit? num carnem suppeditare suo populo?
21. Quæ quum Jova audiret, vehementer iratus est,
Exarsit ejus iræ ignis inter Jacobitas atque inter Israelitas sæviit.
22. Etenim Deo non crediderunt,
Neque confisi sunt ejus auxilio.
23. Jussit igitur nubibus supernis,
Portasque cœlestes aperuit.
24. Et depluit eis Manna, qua vescerentur,

Fru-

Frumentum cœleſte *c*) eis dedit.
25. Omnes cibum præſtantiſſimum *d*) comedebant,
Alimentum eis dedit, quo ſatiarentur.
26. Adduxit per cœlum eurum,
Et vi ſua auſtrum immiſit.
27. Depluit in eos carnem inſtar pulveris,
Tantam alitum copiam, quæ æquaret arenam maris.
28. In media eorum caſtra eas projecit,
Circum eorum tabernacula.
29. Edebant igitur et ſe eis explebant,
Venerat, quod deſiderarant.
30. Nondum receſſerant a cibo illo appetito,
Erat adhuc in eorum ore,
31. Quum ira Dei eos aggrederetur,
Qua principes eorum interfecti ſunt,
Et lectiſſimi Iſraelitarum proſtrati. —
32. Atque tamen peccabant amplius,
Nec miraculis ejus fidem habebant.

c) Sic poetice vocat *Mannam*, ut Pſ. 105, 40. cf. obſervata ad Exod. 16, 15. Necdum poenitet me eorum quæ ad illum locum de cibo hoc præternaturali, quo Iſraelitæ tot annos veſcebantur, ſcripſi.

d) hebr. לֶחֶם אַבִּירִים *panem potentum et nobilium.* Qui cum cibo optimo veſci ſoleant, ille pro pane prorſus egregio et delicato dicitur.

33. Igitur fruſtratione *e*) ejus, quod ſperabant, vitam eorum abſumſit,
Atque annos eorum inter terrores.
34. Si nonnullos ex eis interficiebat, quærebant eum,
Et poenitentes ſtudioſe eum colebant.
35. Memores, Deum eſſe eorum tutorem,
Deum ſummum eorum redemtorem.
36. Sed ore tantum obedientiam ſimulabant,
Lingua ei mentiebantur.
37. Nunquam in obedientia conſtantes fuerunt,
Neque fideles in ſervandis promiſſis.
38. Ille vero miſericors fuit, et venia eorum peccatis data, non prorſus perdidit,
Sæpe iram ſuam coercuit, nec eam omnem effudit.
39. Bene enim noverat homines eos eſſe,
Ventum abeuntem non reverſurum. —
40. Quoties rebellarunt contra eum in deſerto?
Quoties exaſperarunt eum in ſolitudine?
41. Iterum iterumque Deum tentarunt,

Et

e) hebr. יִכַל־בַּהֶבֶל יְמֵיהֶם *conſumſit in vanitate dies eorum.* Intelliguntur haud dubie moleſta illa et infrugifera itinera, in quibus omnes, qui Aegypto egreſſi erant, mortui ſunt, neque terram promiſſam viderunt. Num. 14, 28.

Et numen Iſraelitarum irritarunt *f*).

42. Immemores potentiæ ejus,
Temporis, quo ex anguſtiis eos eripuit,
43. Quum in Aegypto miracula ederet,
Et prodigia in regione Tanenſi;
44. Quum rivos eorum in ſanguinem mutaret,
Ut flumina ſua bibere non poſſent,
45. Quum mitteret inter eos muſcas equinas, quæ eos conficerent,
Et ranas, quæ eos perderent.
46. Bruchis proventum et locuſtis laborem eorum tradidit.
47. Proſtravit grandine vitem et ſycomoros glacie.
48. Tradidit grandini eorum pecora et greges feris avibus.
49. Omnem in eos iræ ſuæ fervorem immiſit,
Indignationem, ſeveritatem et calamitates,
Miſſis *hunc in finem* malorum angelis *g*).

50. La-

f) Sic verbum hebraicum הִתְווּ explicant οἱ ὁ, παρώξυναν, Vulgatus: *exacerbarunt*. Syrus ﭐﭑﭒﭓ ex ſignificatione verbi in lingua Syriaca ﭐﭑﭒﭓ *poenituit*, quod in Hiphil h. l. eſt *dolere facere*, h. e. *contriſtare*. vid. *Simonis* in Lexico ſub h. v.

g) Verba textus ſunt in ſtatu conſtructo מַלְאֲכֵי רָעִים *angeli malorum*, h. e. miſſi ad pœnas infligendas. Diſſentiunt

50. Laxavit in eos iræ ſuæ impetus,
Non pepercit eorum vitæ, jumenta eorum peſti tradidit.
51. Omnes Aegypti primogenitos interfecit,
Primitias roboris in Chami tabernaculis. —
52. Eduxit, ut oves, populum ſuum,
Ut gregem *paſtor* in deſerto curat.
53. Tuto eos duxit, ut nullam timendi cauſam haberent,
Hoſtes vero eorum mare operuit.
54. Perduxit eos ad terminos ſibi ſacros,
Ad montanam hanc regionem, quam ſua ſibi dextra acquiſivit.
55. Atque expulſis propter eos gentibus ſorte diviſit hæreditatem,
Tribubus Iſraeliticis ſua cuique domicilia aſſignans.
56. Verum et ſic tentarunt et rebellarunt contra altiſſimum,
Ejus præceptis non obtemperantes.
57. Sicuti majores eorum averſi,
Et perfidi fallebant ut arcus doloſus.
58. Iram

tiunt interpretes, utrum angeli boni an mali ſint intelligendi. Multi Chaldæum et auctorem libri Sapientiæ Salom. Cap. 17, 3. ſecuti de malis angelis explicant. Equidem aſſentior illis, qui omnino de angelis proprie ſic dictis ſermonem h. l. eſſe negant. Hebræi omnia media, quibus Deus utitur ad aliquid efficiendum, vocant angelos. Sic Pſ. 34, 8. 104, 4.

58. Iram ejus provocarunt locis ſuis excelſis,
Atque æmulationem ſculptis ſimulacris.
59. Quo facto Deus vehementer iratus eſt,
Atque Iſraelitas repudiavit.
60. Deſeruit habitationem, quæ Silunte erat,
Tabernaculum illud, in quo inter homines habitabat.
61. *Signum* illud potentiæ ſuæ *h*) captivitati tradidit,
Majeſtatis ſuæ *ſymbolum* hoſtibus permiſit.
62. Tradidit hoſtili gladio ſuum populum.
Exarſit ira ejus in ſuum peculium.
63. Juvenes ignis *iræ divinæ* conſumſit,
Virgines non laudatæ ſunt *epithalamiis*.
64. Sacerdotes gladio ſunt interfecti,
Nec a viduis defleti. —
65. Sed quaſi e ſomno evigilavit Dominus,
Veluti heros a vino jubilans *i*).
66. Plagam inflixit hoſtibus ſuis in parte corporis poſtica,
Probroque æterno eos affecit.

67. Re-

h) hebr. עֻזּוֹ et in altero membro תִּפְאַרְתּוֹ. Intelligitur *arca legis*, quæ ſic quoque vocatur Pſ. 105, 4. 2 Paral. 6, 41. Hiſtoria legitur 1 Sam. 4, 1 ſeqq.

i) Audacior ſane comparatio genio poeſeos orientalis ignoſcenda. cf. *Michaelis* not. 25. ad *Lowthum* p. m. 133. de imaginibus a vitiis hominum petitis et ad res honeſtas et laudabiles translatis.

67. Rejecta tribu Joſephi atque etiam Ephraimitica repudiata,
68. Tribum Judæ elegit, montem Sionem, quem amat.
69. Exſtruxit in excelſo ſuum ſanctuarium,
Perpetuo, ut terra, duraturum,
70. Atque elegit Davidem cultorem ſuum, quem ex caulis ſumſit,
71. A cura gregis avocavit eum,
Ut paſceret Jacobitas ſuum populum, Iſraelitas ſuum peculium.
72. Is quoque pavit eos animo integro,
Et qua potuit, cura duxit.

PSALMUS LXXIX

Ejusdem argumenti eſt cum Pſ. 74. atque videtur quoque idem fatum deplorare, vaſtationem nempe et deſtructionem urbis et templi Hieroſolymitani per Nebucadnezarem. De aliis hypotheſibus circa tempus aut occaſionem elegiæ compoſitæ vide dicta ad argumentum Pſ. 74.

1. Pſalmus Aſaphi. O Deus! gentes irruperunt in terram tuam,
Profanarunt templum tuum ſanctum, atque Hieroſolymam vaſtarunt.
2. Cadavera cultorum tuorum avibus,
Et corpora dilectorum tuorum beſtiis objecerunt devoranda.
3. Sanguinem eorum quaſi aquam effuderunt,

In-

In toto tractu Hierosolymitano, nemine sepeliente.

4. Vicinis nostris opprobrium facti sumus,
Ludibrium et irrisio eis, qui sunt in confinio nostro.
5. Quousque tandem, o Jova, irasceris?
Quousque ira tua ut ignis ardescit?
6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non colunt,
Atque in regna, quæ te non invocant.
7. Nam perdiderunt *a*) Jacobitas,
Eorumque habitationes vastarunt.
8. Noli in nos animadvertere propter peccata pristina,
Propere succurre nobis pro tua misericordia. Nam valde sumus attenuati.
9. Adjuva nos, o Deus salutis nostræ, propter nominis tui gloriam,
Eripe nos et condona nobis peccata nostra pro tua benignitate.
10. Quare dicant gentes: ubi est Deus eorum?
Innotescat inter eas nobis spectantibus, te ultum esse cædem in cultoribus tuis commissam.
11. Pertingat ad te clamor vinctorum,
Pro magna tua potentia superstites serva morti proximos.

12. Repende

a) Pro אֶכֶל legendum est haud dubie אֶכְלָה. Sic est in loco Jeremiæ, ubi hæc ipsa verba extant Cap. 10, 25. Sic quoque omnes versiones antiquæ et sedecim codices a *Kennicotto* citati.

12. Repende vicinis ſeptuplo opprobrium,
Quo te, o Domine, afficiunt.
13. Etenim tuus populus ſumus, quem ſemper ſingulari cura foviſti *b*).
Te omni tempore, ut et poſteri noſtri, celebrabimus,
Atque laudem tuam prædicabimus.

PSALMUS LXXX

Continet preces pro liberando populo Iſraelitico ex afflictionibus graviſſimis ab hoſte crudeli. — Doederlein conjectat vel de Joſaphati bello cum Ammonitis et Moabitis ſermonem eſſe, 2 Chron. 20, 6. vel de direptionibus et afflictionibus, quas Philiſtæi ſub Joramo terræ intulerunt, 2 Chron. 20, 16. 17.

1. Præfecto chori muſici. In Hexachordo *a*). Inſtructio Aſaphi *b*). Pſalmus.
2. O paſtor Iſraelitarum, audi,
Qui ducis, ut gregem, Joſephi poſteros; qui ſedes ſuper cherubinis, affulge.
3. Inter Ephraimitas et Benjaminitas et Manaſſis poſteros,
Exſere

b) hebr. *oves paſcui tui.*

a) vid. Pſ. 45, 1. 69, 1.

b) עֵדוּת vulgo quidem ab עוּד *teſtari* explicatur per *teſtimonium.* Sed melius derivatur ab עָדָה *ornavit, inſtruxit.* Hinc ſubſtantivum עֵדוּת eſt *inſtructio* et videtur reſpondere מַשְׂכִּיל ſæpe in inſcriptionibus Pſalmorum obvio, e. c. Pſ. 42. 44.

Exſere tuam potentiam atque ad ſalutem noſtram adſis.

4. O Deus! recrea nos,
Illuceſcat vultus tuus ſerenus, et ſalvi erimus.
5. Jova! Deus omnipotens, quamdiu ardebit ira tua populo tuo precante.
6. Facis, ut cibum cum luctu et potum inter continuas lacrimas capiat.
7. Objicis nos vicinis noſtris in contentionem,
Atque hoſtes noſtri nos derident.
8. O Deus omnipotens! recrea nos,
Illuceſcat vultus tuus ſerenus, et ſalvi erimus.
9. Vitem ex Aegypto transtuliſti c),
Atque expulſis gentibus eam plantaſti.
10. Removiſti ante eam omnia impedimenta,
Effeciſti, ut altas radices ageret et late ſe diffunderet.
11. Umbra ejus montes operti ſunt,
Rami ſimiles erant altiſſimis cedris.
12. Palmites ejus usque ad mare,
Propagines usque ad Euphratem extendiſti.
13. Cur maceriem ejus diruiſti,
Ut ab omnibus carpatur viatoribus?
14. Arrodit eam porcus ſilveſtris,
Fera agreſtis eam vaſtavit.

15. O

c) De hac allegoria vid. *Lowthus* de poeſi S. Hebr. p. 216. edit. Gœtting. pr.

15. O Deus omnipotens, de cœlo reſpice et vide,
Atque hujus vitis curam iterum ſuſcipe.
16. Plantæ *d*), quam plantavit dextra tua,
Et filii, quem confirmaſti.
17. Igne comburitur, everritur,
Præ iræ tuæ indignatione pereunt.
18. Defende eum, quem tua potentia tibi aſſeruiſti,
Eum,

d) Vocabulum ἅπαξ λεγ. כְּנָהּ verto *plantam* ex ſententia *Bocharti* (in Phaleg. Lib. 1. Cap. 15. p. 59. edit. Leusd.) qui putat vocem eſſe Aegyptiacam. Nam, auctore Plutarcho in Iſide, hederam Aegyptii χενοσίριν h. e. φυτὸν Οσίριδος, *plantam Oſiridis* vocabant. Quæ explicatio bene convenit antecedentibus, in quibus Pſaltes dixerat, Deum transtuliſſe vitem ex Aegypto. LXX interpretes verterunt ut verbum: κατάρτισαι ἀυτὴν, item Vulgatus: *perfice eam*, derivantes haud dubie a כון quod alias quoque ſic vertunt. *Michaelis* ad Lowthum p. 217. putat eſſe Imperativum cum ה paragogico a כנן *texit*, hinc vertit: *rege id quod plantaſti*. Sed non æque apta videtur ſententia ac ſi כנה vertitur per ſubſtantivum. In conſtructione nulla eſt difficultas, modo repetatur verbum פָּקַד ex antecedenti verſu. — In altero membro eadem illa planta (כנה) *Dei* vocatur בֵּן *filius*, ex uſu hujus vocis, quo *filius* alterius dicitur, qui quamcunque ad eum relationem habet: Jonæ 4, 10. Jeſ. 21, 10.

Eum, cui robur viresque contulisti *e*).
19. Etenim in posterum a te non recedemus,
Serva nos, te tantum invocabimus.
20. Jova Deus omnipotens! recrea nos,
Illucescat vultus tuus serenus, et salvi erimus.

PSALMUS LXXXI

Hortatur ad obedientiam legibus et institutis divinis praestandam, praesertim in rite celebrandis festis diebus in memoriam beneficiorum divinorum, quorum populus saepe immemor fuerit. — Psalmum Davidis temporibus posteriorem esse, ex v. 6. colligitur, ubi totus populus Josephi posteri vocatur, quod post separationem decem tribuum e familia Davidis s. tribu Juda demum obtinuit, cf. Ps. 77, 16. Utrum vero ad Hiskiae, an ad Josaphati tempora referendus sit, incertum est.

1. Praefecto chori musici. Super Gittith *a*). Psalmus Asaphi.
2. Canite Deum, robur nostrum,
Celebrate Deum Israelitarum.
3. Dicite carmen, adhibete tympanum,
Suavem citharam cum nablio.

 4. Clan-

e) Utriusque membri idem sensus esse videtur qui vers. 16. Populus Israeliticus vocatur *vir dextrae Dei*, et *filius hominis quem confirmavit*, quoniam Deus hunc populum dextra h. e. potentia sua sibi vindicarat et tam potentem effecerat.

a) Nomen est instrumenti musici. cf. Ps. 8, 1.

4. Clangite buccina in novilunio,
In plenilunio, tempore nobis festivo.
5. Hæc enim lex est Israelitarum,
Institutum Dei Jacobitarum.
6. Lex lata Josephi posteris,
Quum contra Aegyptum egrederentur *b*),
Sed nescio quam vocem audio *c*):
7. Removi onus ab humero ejus,
Eorum manus cessabant in laterum officina.
8. In adversa fortuna me invocasti atque ego te eripui,
Te exaudivi, tonitru ex occulto emittens,
Te ad aquas Meribæ probavi.
9. Audi, mi populc, tibi leges feram,
Israel! utinam me audires!
10. Deum peregrinum ne colas,
Deum alium ne revereare.
11. Ego sum Deus ille tuus, qui te ex Aegypto eduxit,
Pete

b) Videri posset legendum esse *ex*, ita ut de populo Israelitico sermo sit. Sic quoque ει· ό, Syrus et Vulgatus vel legerunt, vel intellexerunt. Sed potest recepta lectio defendi. Sermo enim est de institutione paschatos. Quod festum Deus instituit, cum Aegyptiorum primogenitos occideret.

c) Subitanea et digna poetico impetu digressio, cum vates sese divino afflatu subito perculsum sentit et oraculum audire sibi persuadet. Nam in sequentibus Deus loquitur. *Doederlein.*

Pete modo, explebo desideria tua omnia. *d*) —
12. Sed non morem mihi gessit meus populus,
Israel non annuit meis votis.
13. Propterea eum obstinatæ suæ menti permisi,
Facerent, quod ipsi vellent. —
14. Utinam populus meus mihi obtemperaret,
Utinam Israelitæ secundum præcepta mea viverent:
15. Facile hostes eorum deprimerem,
Atque in eorum adversarios manum meam converterem.
16. Inimici Dei cogerentur se eis committere,
Ipsi autem fruerentur felicitate diuturna.
17. Tritico optimo eos cibarem,
Et melle ex petra satiarem *e*).

d) hebr. *dilata os tuum et implebo illud.*

e) Lectio recepta utriusque membri suspecta videtur: וַיַּאֲכִילֵהוּ *et cibavit eum* אַשְׂבִּיעֲךָ *te satiarem.* Nimis subita est h. l. personarum mutatio. *oi ó*, Vulgatus et Syrus in utroque membro tertiam personam exprimunt. *Cibavit eos — — et satiavit eos.* Ego in utroque membro primam personam verborum, tertiam vero pronominum affixorum legendam puto: ואאכילהו et אשביעהו. Hanc posteriorem lectionem exhibet quoque codex *Kennicotti* 180.

PSALMUS LXXXII.

Reprehenduntur judices injusti, muneris sui immemores et negligentes. — Loquens introducitur Deus, ut summus judex, qui judices inferiores, quibus munus suum commiserit, visitet.

Tempus carminis scripti prorsus incertum est.

1. Psalmus Asaphi. — Deus adest in suo *a*) consessu,
Inter judices exercet judicium:
2. „Quousque inique judicabitis,
„Atque impiorum causæ favebitis?
3. „Causam agite tenuium et pupillorum,
„Pauperes atque egenos absolvite.
4. „Liberate tenues atque egenos,
„Defendite *eos* ab impiorum injuria. „
5. Sed nihil sciunt, nihil intelligunt, in tenebris incedunt.
Propterea quoque omnia reipublicæ fundamenta *b*) vacillant.
6. „Equidem vos Deos vocavi,
„Filiosque Dei altissimi.
7. „Verum ut alii homines moriemini,
„Peribitis ut tyranni. „
8. Adsis, o Deus! judica terram,
Tu enim omnium gentium dominus es.

PSAL-

a) hebr. בַּעֲדַת־אֵל *in coetu Dei.* Est hebraismus. Nomen ipsum pro pronomine. vid. *Glassius* p. 150. Indicatur autem, Deum magistratum s. judices constituisse.

b) h. e. leges. cf. Ps. 11, 3.

PSALMUS LXXXIII

Imploratur auxilium divinum contra hoſtes, a quibus populus Iſraeliticus ſibi vehementer timebat. — Ex nominibus hoſtium verſ. 7—9. maxime probabile eſt, ſermonem eſſe de bello illo regnante Joſaphato Judæis illato ab Ammonitis et Moabitis, cujus hiſtoria legitur 2 Chron. 20. atque Aſaphus auctor Pſalmi eſt forteſſe ille ipſe Jachaſiel ex poſteris Aſaphi, cujus ibidem mentio fit verſ. 14.

1. Carmen adhibitis inſtrumentis muſicis decantandum, Aſaphi.

2. Deus! ne ſileas! ne taceas!
Ne ſis adeo tranquillus, o Deus *a*)!

3. Nam hoſtes tui fremunt,
Tuique inimici *inſolenter* capita efferunt.

4. Contra populum tuum callida cudunt conſilia,
Et contra *clientes b*) tuos mala machinantur.

5. Agite, inquiunt, exſcindamus eos, ne gens ſint amplius,
Nec memoria ſuperſit nominis Iſraelitici.

6. Summo ſtudio inter ſe conſultant,
Contra te fœdus pangunt:

 7. Edo-

a) Phraſes ſunt ſynonymicæ, quibus nihil aliud rogatur, quam ut Deus ſuum auxilium accelerare, nec diutius differre velit. Retinui vocabula tropica et ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicta ad intelligendum non difficilia.

b) hebr. צְפוּנֶיךָ *abſcondita tua*. Forma loquendi ſumta eſt ex jure hoſpitii orientali. cf. Pſ. 27, 1. Ezech. 7, 22.

7. Edomitæ, Iſmaelitæ, Moabitæ, Hagareni *c*),
8. Giblæi *d*), Ammonitæ, Amalekitæ una cum Tyriis *e*),
9. Aſſur quoque ſe eis adjunxit,
Atque Loti poſteris opem tulerunt. —
10. Fac iis, ut Midianitis,
Ut Siſeræ, ut Jabini ad flumen Kiſchon *f*).
11. Qui Endore proſtrati humum ſtercorarunt.
12. Fac eos eorumque duces ſimiles Orebo et Seebo,
Similes Sebacho et Zalmunæ omnes eorum præfectos *g*).
13. Qui dicunt: occupemus Dei habitationes.
14. Fac, o Deus! ut quaſi gluma et ſtipula vento diſſipentur.
15. Ut

c) Recentiore ætate *Hedſcher*. vid. *Buſchingii* Geographia P. V. Sect. I. p. m. 559. Natio arabica accola ſinus Perſici, cum qua tribus Rubenitarum, Gaditarum et Manaſſitarum cis Jordanum habitantes regnante Saulo bellum geſſerunt. cf. 1 Chron. 5, 9. 10. 18—22.

d) Gibla oppidum Phœniciæ, quo nomine etiamnum inſignitur, a Græcis et Latinis vocatur *Biblus*. cf. Ezech. 27, 9. 1 Reg. 5, 18.

e) Qui cum regnante Davide Iſraelitis eſſent amici et fœdere juncti, non eſt probabile Pſalmum ad illius regis tempora eſſe referendum; cf. *Doederlein* in Scholiis ad h. l.

f) vid. Jud. 4, 15 ſeqq.

g) Jud. 7, 25. 8, 5. 10.

15. Ut ignis ſilvam comburit, ut flamma montes
absumit;
16. Ita tu eos tempeſtate tua perſequere,
Et turbine tuo perterre.
17. Pudorem eis incute,
Ut potentiam tuam agnoſcere cogantur.
18. Pudefiant et vehementer conſternentur,
Rubore ſuffundantur et pereant;
19. Sic intelligetur, te, Jova, eſſe tantum
Summum Deum totius terrarum orbis.

PSALMUS LXXXIV

Deſcribitur felicitas eorum, qui cultui divino vacare poſſunt, et voluptas, quam ipſi ex eo percipiunt. Fortaſſe compoſitus eſt Pſalmus a Davide, poſtquam laboribus multis et moleſtiis feliciter ſuperatis tandem quiete fruebatur et cultui divino inſtituendo et ordinando operam navabat.

1. Præfecto chori muſici, adhibito inſtrumento Gittith. Pſalmus Korachitarum.
2. Quam ſuaves ſunt tuæ habitationes, Jova omnipotens!
3. Vehementer concupiſco et fere deſiderio conſumor atriorum tuorum, Jova!
Totus ego Deum vivum laudo et celebro.
4. Quod paſſeri domus aut hirundini nidus, in quo pullos ſuos deponat *a*),

a) Facilior et minus quæſita mihi videtur hæc loci hujus

Id mihi tua altaria ſunt, o Jova omnipotens, mi rex! mi Deus!

5. O felices homines! qui tuam domum frequentant, Te aſſidue laudantes.

6. O beatum hominem! qui ſpem ſuam in te collocat, Qui perpetuo de viis *ad ædem tuam* cogitat.

7. Tranſituri per vallem Baka *b*) *aridam*, hæc eis irrigua videtur *c*).

Recreat

jus explicatio, quam alia nonnullorum interpretum, qui putant alludi ad aves in aris aut tectis templi nidificantes; quæ quoniam ad numen, cui templum ſacratum erat, confugiſſe gentilibus videbantur, et ipſæ ſacræ et inviolabiles ab hominibus habitæ ſunt. — Particulæ comparativæ, quæ ſæpe omittuntur, ſuppleantur, tunc ſenſus planus eſt et facilis. cf. *Geierus* ad h. l.

b) Vallis *Baka* mentio fit 2 Sam. 5, 23. 24. 2 Chron. 14, 14. 15. ex quibus locis apparet, eam fuiſſe Hieroſolymæ a meridie et occidente, cf. *Bachiene* in Palæſtina P. I. Vol. I. p. 322. Arbor in ea obvia בכא dicta, auctoribus Rabbinis vulgo morus eſſe putatur. Sed aliam eſſe, a moro longe diverſam, probavit *Celſius* in Hierob. P. I. p. 335. Moleſtum haud dubie iter erat per eam vallem Hieroſolymam peregrinantibus. Sed præ deſiderio ſacrorum peragendorum arida iſta loca eis tanquam fontibus rigata videntur.

c) Quanquam conjectura *Michaelis* in Bibl. Orient. P. XII. p. 190. pro יְשִׁיתוּהוּ legendum eſſe יִשְׁתּוּהוּ *bibunt eum*,

quatuor

Recreat eos pluvia autumnalis *d*).

8. Subinde novas vires accipiunt,
Dum coram Deo in Sione comparent.

9. O Deus omnipotens! audi preces meas,
Attende ad orationem meam, o Deus Jacobitarum.

10. O tutor noſter *e*), vide, o Deus!
Reſpice ad unctum tuum.

11. Præ-

quatuor codicibus *Kennicotti* nempe 17. 30. 147. 214. iisque non contemnendis confirmatur et utraque matre lectionis deficiente in codicibus 82. 117. 206. legitur, tamen haud ſcio an Vir Illuſtris multum tribuat conjecturæ, cui nova conjectura addenda eſt, ad ſenſum, ne tunc quidem ſatis aptum, eliciendum.

d) Sic *Faber* ad Harmarum P. I. p. 405. hæc verba difficilia explicat. ברכות *benedictiones* h. l. ſunt pluvia recreans feſſos iſtos et fatigatos viatores in illa valle. עטה h. l. non *ornare*, ſed *dare*, *donare*, ut arab. عطى et מרה alias ירה *pluvia autumnalis*, cujus apte h. l. mentio fit, ſi, quod veriſimile nonnullis videtur, poeta innuat, iter ad feſtum tabernaculorum circa illud tempus celebrandum.

e) hebr. מָגִנֵּנוּ *clipeus noſter*. *Michaelis*, *Knappius*, *Seilerus* exiſtimant מגננו h. l. reſpondere מְשִׁיחֶךָ in ſequenti membro, ideoque *regem* vocari *clipeum* h. e. defenſorem populi. At enim vero obſtare videtur numerus pluralis, cum in toto Pſalmo David de ſe in numero ſingulari loquatur.

11. Præſtat unus dies in atriis tuis, mille aliis,
Malim frequentare domum Dei mei, quam habitare inter impios.
12. Nam ſol meus et clipeus eſt Jova Deus,
Gratiam et honorem mihi tribuit,
Nullo bono carere ſinit eos, qui integre vivunt.
13. O Deus omnipotens! felix eſt, qui omnem ſpem ſuam in te ponit.

PSALMUS LXXXV

Preces populi afflicti pro reſtituenda priſtina felicitate. — Temporibus Davidis Pſalmus non ſatis convenire videtur: neque vaticinium futuræ captivitatis babylonicæ eſſe putem, quamquam initio reditus ex ea compoſitus eſſe poſſit. Venema hunc quoque ut multos alios ad tempora Maccabæorum refert. Non inepta eſt conjectura recentiſſimi Pſalmorum interpretis Thenii, ſcriptum eſſe Pſalmum a Samuele tempore bellorum rerumque Iſraeliticarum valde afflictarum, quarum hiſtoria legitur
1 Sam. IV — VII.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Korachitarum.
2. Benignum te *olim* exhibuiſti, Jova, terræ tuæ,
Captivos reduxiſti Jacobitas.
3. Condonaſti populi tui iniquitatem,
Texiſti peccata ejus omnia.
4. Cohibuiſti indignationem tuam,
Remiſiſti a fervore iræ tuæ. —
5. *Jam quoque* redi ad nos, o Deus, ſervator noſter,

Fac

Fac ut ceſſet ira tua in nos.

6. Num perpetuo nobis iraſceris?
Num iram tuam per complures ætates continuabis?

7. Annon nobis priſtinam felicitatem reddes?
Ut populus tuus de te lætari poſſit.

8. Exhibe nobis favorem illum tuum,
Tuamque ſalutem nobis concede. —

9. Audiam, quid Deus Jova loquetur *a*).
Immo vero promittit fauſta populo ſuo ſuisque fidelibus,
Modo ne ad *peccati* ſtultitiam relabantur!

10. Profecto propinquum eſt ejus auxilium iis, qui eum timent,
Ut ſymbolum illud majeſtatis divinæ *b*) in terra noſtra habitet.

11. Ut benignitas et fides ſibi mutuo occurrant,
Ut juſtitia et pax ſeſe amplectantur.

12. Fides

a) Fingit poeta ſe expectare oraculum, quod ſibi ſuggeratur, cujus ſummam quoque refert in verſ. 10 — fin. Similis locus eſt Pſ. 81, 6.

b) כָּבוֹד ſpecialius h. l. dictum videtur pro *arca legis*, ſymbolo illo majeſtatis divinæ, ut Pſ. 63, 3. et 1 Sam. 4, 21. 22. Qui locus favet hypotheſi, de qua in argumento Pſalmi dictum eſt. — Sequitur elegantiſſima proſopopoeia, qua aureum ſæculum pingitur Iſraelitarum terræ ſperandum, de qua vid. *Lowth* de Poeſi S. Hebr. Prælect. XIII.

12. Fides e ſolo noſtro propullulet,
Et juſtitia ex alto in nos proſpectet.
13. Immo vero hanc felicitatem Deus nobis dabit,
Et terra noſtra edet proventum ſuum.
14. Juſtitia eo ſpectante incedet,
Et perget in via continuo.

PSALMUS LXXXVI

Implorat David auxilium divinum in præſentiſſimo vitæ periculo, in quo propter perſecutiones Sauli verſabatur. Nam ad hæc tempora Pſalmum referendum eſſe dubio caret, quamquam ſpecialius tempus, quoniam illud ſæpe factum eſt, certo non poteſt aſſignari.

1. Preces Davidis — Aurem præbe Jova, audi me,
Miſer enim ſum atque egenus.
2. Tuere me, nam pius ſum,
Serva cultorem tuum, tu enim, mi Deus, is es, in quo ſemper ſperavi.
3. Miſerere mei, o Domine, nam ad te aſſidue precor.
4. Recrea animum cultoris tui, te enim enixe rogo.
5. Etenim tu, o Deus, bonus es et benignus,
Magnaque miſericordia erga omnes, qui ad te precantur.
6. Audi, o Jova, preces meas,
Attende ad vocem meam precantem.
7. In adverſa fortuna ad te clamo,
Nam tu ſoles me exaudire.

8. Nullus

8. Nullus eſt Deus tui ſimilis,
Nec qui eadem poſſit efficere.
9. Omnes gentes, quas tu creaſti, te adoratum venient,
Tuamque, o Domine, majeſtatem venerabuntur.
10. Tu enim prorſus eximius es et mirificus,
Tu ſolus Deus es.
11. Doce me, o Jova, voluntatem tuam,
Vitam meam ſecundum veram tuam doctrinam inſtituam.
Dirige omnes meas cogitationes eo, ut te timeam.
12. Te, o Deus, tota mente laudabo,
Tuumque nomen in æternum celebrabo.
13. Etenim tu magna erga me clementia uſus es,
Meque ex præſentiſſimo mortis periculo eripuiſti.
14. O Deus! ſuperbi contra me inſurgunt,
Homines crudeles vitæ meæ inſidiantur, qui te non timent.
15. Tu vero, o Deus, miſericors es et benignus,
Longanimis, magna gratia et fide.
16. Reſpice me et miſerere mei,
Tuo potenti auxilio adſis ei, qui te colit, ſerva vernam tuum.
17. Documentum ede favoris in me tui eximium,
Quod videant adverſarii mei et pudefiant,
Quando tu, Jova, me adjuvas et conſolaris.

PSAL-

PSALMUS LXXXVII

Canit hic Pſalmus unionem gentilium cum eccleſia Judaica. Mullerus in Sacura Obſervatt. p. 80. exiſtimat, ſcriptum eum eſſe tempore regis Hiskiæ poſt cladem Sancheribi, quum gentes vicinæ legatos mitterent cum muneribus ad templum Jovæ Hieroſolymæ. Cf. 2 Chron. 32, 23. Alii putant, vaticinium eſſe de converſione gentilium ad religionem chriſtianam.

1. Korachitis. Pſalmus ad canendum.
   Fundatam a ſe in montibus ſanctis urbem,
2. Portas Sionis amat Jova.
   Præ omnibus aliis habitationibus Jacobi.
3. Eximias tibi dat *a*) promiſſiones, o civitas Dei!
4. Aegyptum et Babylonem inter cultores meos commemoro,
   Philiſtæi, Tyrii et Aethiopes nati ſunt in ea.
5. De Sione dicetur, homines diverſiſſimarum nationum ei uniri,
   Ipſe enim ſtabiliet eam altiſſimus.
6. Deus conſcribet et colliget ſibi populos,
   Hac formula: etiam hic ibi natus eſt.

7. Et

a) Lectio recepta habet paſſivum מֻדָּרָה pro quo *Michaelis* in Bibl. Or. P. XII. p. 191. legit activum מְדַבֵּר. Placet conjectura, quoniam conſtructio verborum ex ea facilior eſt atque in ſequenti verſu Deus loquens introducitur

7. Et canent tripudiantes *b*):
Omnes *felicitatis meæ* fontes in te ſunt.

PSALMUS LXXXVIII

Totus Pſalmus querelas continet hominis afflictiſſimi mortisque periculo, ex morbo, uti videtur, (coll. v. 9.) expoſiti. Num Hiskiæ, num Uſiæ, incertum. Nolim tamen cum Doederleinio (in Schliis ad libros poet. Vet. Teſt.) carmen mutilum putare, quoniam in querelis deſinit, nec ſpei aut fiduciæ ſenſum, uti Davidici, in fine ſaltem prodit. — Affectum pingit egregie hominis, cui nulla amplius ſpes ſupereſſe videbatur. Uti Jobi cap. III.

1. Pſalmus ad canendum, Korachitarum. Præfecto chori

b) Equidem nolim negare, quod omnes recentiores interpretes confirmant, lectionem hujus verſus receptam mendoſam eſſe. Hinc tot fere conjecturæ de vera lectione allatæ ſunt, quot interpretes textum corruptum eſſe ſtatuunt. In hujusmodi autem locis malim ſequi lectionem vulgarem. Cujus quoque ſenſus dari poteſt, uti arbitror, non prorſus ineptus, aut ab explicatione grammatica abhorrens. Priora verba וְשָׁרִים כְּחֹלְלִים ego conſtruo cum ſubſtantivo proximo עַמִּים *populi* canentes *et* ſ. *tanquam tripudiantes* ſc. ſunt. Formulam carminis exhibent ſequentia: כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ *omnes fontes mei in te.* Fontes pro rebus utiliſſimis et jucundiſſimis dici in vulgus notum eſt.

chori muſici ſuper Machalath *a*). Alternis choris canendus.

Carmen didaſcalicum Hemanis Eſrachitæ.

2. O Jova! Deus ſervator! ad te diu noctuque clamo,
3. Audi tandem preces meas,
Aurem præbe orationi meæ querulæ.
4. Succumbo fere malis,
Et vita mea morti proxima eſt.
5. Habeor pro mortuo,
Similis ſum homini, cui omnes vires deſunt.
6. Ego ut mortui debilis *b*),
Ut interfecti, qui in ſepulcro jacent,
Quorum non amplius meminiſti *c*), a te e vivis ſublati.
7. In profundam foveam, ad denſiſſimas tenebras me detruſiſti.
8. Ira tua mihi incumbit,

Et

a) cf. Pſ. 53, 1. — De auctore Pſalmi, Hemane Eſrachita, qui in inſcriptione perhibetur, vid. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. et *Eichhorn* in Introduct. in Vet. Teſt. P. III. p. 521.

b) hebr. חָפְשִׁי alias *liber*, dicitur de ſervis manumiſſis; ſed h. l. malim cum *Ikenio*, a *Simonio* in Lex. hebr. ſub h. v. citato, in Diſſertat. ad Pſ. 46. derivare ab arab. حفس *debilis, infirmus fuit.* *Golius* p. 732.

c) cf. dicta ad Pſ. 6, 6.

Et omnes fluctos tuos *in me* effundis *d*).

9. Removisti a me amicos meos,
Meque iis abominabilem fecisti,
Ita *miseriarum vinculis* conclusus sum, ut exitus non pateat.

10. Oculi præ miseria langueſcunt.
Assiduis precibus te oro, manibus ad te expansis.

11. Num et inter mortuos mira facis?
Num vita defuncti surgent teque laudabunt?

12. Num in sepulchro laudabitur tua benignitas?
Fidesque tua in corporis corruptione?

13. Num in *sepulchri* tenebris miranda tua potentia cognoscitur?
Tuaque justitia in terra oblivionis?

14. Ego vero ad te clamo,
Mane precibus meis coram te compareo.

15. Cur, o Deus, me deseris,
Tuamque mihi subtrahis gratiam?

16. Miser ego sum et a plagis *e*) exanimor.
Terrores tuos sentio mente exsternatus *f*).

 17. Obru-

d) עִנִּיתִי h. l. non commode per *afflixisti* explicatur, sed melius confertur significatio arabica verbi عنّ *effundere.* vid. *Schultens* ad Job. 3, 2. et *Golius* p. 1660.

e) De vocabulo נַעַר vid. *Schultens* ad Job. 36, 14.

f) hebr. אֶפְוָנָה ἅπαξ λεγόμ non est a פון sed ab אוּן *consilii inops fuit: οἱ ὁ* recte *ἐξηπορήθην.* cf. *Clodius* in Lex. Hebr. selecto et *Castelli* sub h. v.

17. Obrutus ſum ab ira tua,
Terrores tui me perdunt.
18. Circumdant me ut aquæ quotidie,
Me ſimul cingunt.
19. Removiſti a me amicos meos et ſocios,
Familiares meos mihi ſubtraxiſti *g*).

PSALMUS LXXXIX

Preces continet anxias pro conſervatione regni Davidici, cui ſummum periculum imminere videbatur. Nituntur illæ preces promiſſione Davidi facta a Nathane, 2 Sam. 7. quam Deum non poſſe non præſtare ſperant ab ejus fide et veracitate. Tempus, quod huic Pſalmo aſſignatur a multis interpretibus, Michaele, Doederleinio, Knappio, Eichhornio l. l. p. 502, Hiskiæ, quum a Sancheribo regno fere ejectus morbo graviſſimo laboraret, necdum filium regni hæredem haberet, perquam probabile eſt, poſſuntque ei omnia temporis indicia in Pſalmo obvia accommodari.

1. Car-

g) Lectio textus recepta habet מְחֹשֶׁךְ *locum tenebricoſum.* Quæ lectio, quanquam fortaſſe non male defendi poſſit, ſi dicatur: divinum vatem conqueri, quod loco amicorum ſuorum ipſum jam tenebræ circumdent; tamen quoniam codex Caſſelanus et Regiomontanus pro litera Schin habent Sin, et Syrus interpres in hanc lectionem conſentit, qui habet: *et notos meos* יְדִיעַי *removiſti a me*, ego quoque hanc lectionem in verſione expreſſi, quam video etiam recentioribus interpretibus tantum non omnibus probari.

1. Carmen didaſcalicum Ethanis Eſrachitæ.
2. Dei benignitatem æternam *a*) cantabo,
Fidem tuam omnibus poſteris præſtandam celebrabo.
3. Ita enim ſentio: illa tua benignitas in perpetuum durabit,
In cœlo ſtabilies fidem tuam. Dum dixiſti *b*):
4. „Fœdus pepigi cum dilecto meo,
„Juravi Davidi cultori meo:
5. „In æternum prolem tuam ſervabo,

a) עוֹלָם conſtruendum puto cum חַסְדֵי יְהוָה et in ſequenti membro לְדֹר וָדֹר cum אֱמוּנָתְךָ quoniam divinus vates in ſequenti verſu hanc propoſitionem repetit et omnino hoc argumentum maxime urget: Deum Davidi promiſiſſe, regnum ejus *in perpetuum*, *per omnes generationes* duraturum eſſe, verſſ. 5. 29. 30. 34 ſeqq. Sed *Michaelis*, *Knappius*, *Seilerus* utrumque illud de poeta explicant, qui dicat, ſe *in perpetuum* Dei benignitatem et *per ſequentes generationes* divinam fidem celebraturum eſſe.

b) Quod in textu legitur בָּהֶם difficiliorem habet explicationem. Plerique interpretes referunt ad שָׁמַיִם *in coelis ſtabilies iſtud tuum promiſſum.* Quæ conſtructio videtur eſſe paullo durior. Equidem arbitror illud בָּהֶם pertinere ad ſequentia verba Dei, propterea verti: *dum dixiſti*, ſ. *his uſus verbis.* Attamen fateor hujus formæ loquendi alia exempla mihi non ſuppetere.

„Et ſtabiliam thronum tuum in perpetuas ætates.„

6. Celebrabit cœlum admirabilem tuam benignitatem,
Tuamque fidem in cœtu ſanctorum.
7. Quis enim in cœlo Jovæ eſt comparandus *c*)?
Quis ei ſimilis inter filios Dei *d*)?
8. Deus admodum *e*) formidabilis in cœtu ſanctorum,
Atque verendus omnibus, qui circa eum ſunt.
9. O Deus omnipotens, quis tui ſimilis? Deus validus,
Tuæque fidei ubique documenta extant.
10. Tu ſuperbo mari imperas,
Fluctusque ejus, quum ſe extollunt, coerces.

11. Tu

c) Pro יַעֲרֹךְ legendum eſſe in paſſivo יֵעָרֵךְ recte a *Michaele* in Biblioth. Or. P. XIX. obſervatum eſt. Sic quoque legerunt *οἱ ὁ*, Vulgatus et Chaldæus.

d) Pro בְּנֵי אֵלִים legendum eſſe בְּנֵי אֱלֹהִים probatur partim ex teſtimoniis verſionum antiquarum, *τῶν ὁ*, Vulgati, Chaldæi, Syri, Symmachi, Hieronymi; partim ex ſenſu incommodo lectionis receptæ; ſive vertatur: *inter filios Deorum*, ſive: *inter filios angelorum*. His enim Hebræi filios non tribuunt, atque unius veri Dei filii, *angeli* vocantur. vid. *Kennicotti* Notæ criticæ in Pſalmos 42. 43. 48. 89. a *Brunſio* et *Schulzio* editæ et *Michaelis* l. c.

e) Ego non hæreo in vocabulo רַבָּה uti nonnulli interpretes. vid. *Kennicottus* et *Michaelis* l. c. ſed puto eſſe adverbialiter uſurpatum ut Pſ. 62, 3. 65, 10.

11. Tu Aegyptum quaſi confoſſum *f*) contriviſti,
Brachio tuo forti diſſipaſti hoſtes tuos.
12. Tuum eſt cœlum, tua eſt terra,
Totum hoc univerſum et quidquid in eo eſt condidiſti.
13. Tu ſeptemtrionem et meridiem creaſti,
Tabor et Hermon de te lætantur *g*).
14. Brachium tibi eſt validum,
Manus invicta, elata dextra.
15. Jus et juſtitia fundamenta ſunt throni tui,
Benignitas et fides te præcedunt.
16. O beatum populum, qui novit clangorem tubæ *h*).
In lumine tuæ, Jova, faciei incedunt.
17. De te lætantur quotidie,
Tua benignitate gloriantur.
18. Roboris ſui ornamenta a te accipiunt,
Tuo beneficio augentur nobis vires.
19. Jova eſt clipeus noſter,

f) h. e. facili negotio. Nam qui jam vulneratus eſt, facile vincitur.

g) Propter duplicem victoriam, quam Iſraelitæ circa hos montes ab hoſtibus ſuis reportarant, Joſ. 11, 5. Jud. 4, 6.

h) Iſraelitis dies ſolemnes et feſtivi clangore tubæ annunciabantur Levit. 23, 24. qui deinde ad eos peragendos in loco ſacro conveniebant. Laudat igitur poeta felicitatem populi ex eo, quod hæc ſacra ex præſcripto Dei peragere poſſit.

Numen Iſraelitarum eſt rex noſter. —

20. Olim in viſione *i*) ita ad clientem tuum *k*) es locutus:

Viri-

i) In hac promiſſione Davidi a Nathane propheta data 2 Sam. 7. quam h. l. urget divinus vates, repetitur inprimis, quod familiæ Davidis regnum in perpetuum duraturum ſit promiſſum. Ille quidem hoc argumento utebatur pro conſervatione vitæ Hiskiæ; (ſi ex hypotheſi quorundam interpretum Pſalmus ejus temporibus compoſitus ſit, aut ſi alio tempore, pro conſervatione regni in familia Davidis;) nos vero eo recte utimur ad regnum Chriſti ſpirituale in æternum duraturum probandum. Nam promiſſio hæc ſine ulla conditione familiæ Davidis facta, non niſi in Jeſu Nazareno ſuum implementum habet et habere poteſt, poſtquam genealogia Davidis inter Judæos prorſus interiit.

k) Pro numero ſingulari textus vulgaris לחסידך in verſionibus antiquis multisque codicibus a *Kennicotto* citatis legitur pluralis לחסידיך *ſanctis tuis*. Quam lectionem præferendam cenſent *Kennicottus* in notis ad Pſalmum a *Brunſio* auctis et a *Schulzio* editis in libro ſupra citato; *Michaelis* in Biblioth. Or. Tom. XIX. p. 141. *Knappius* et alii. — At enim vero quamvis numerus teſtium pro hac lectione ſatis magnus eſt, qui poſſit in alio loco ſufficere ad eam recipiendam: tamen mihi h. l. minime apta videtur. Nam ſi ſub חסידים *Iſraelitæ* ſive univerſus populus eſt intelligendus, in quo omnes

Viribus inſtruxi heroa, proveham ex populo electum.

21. Inveni cultorem meum Davidem,
Hunc ſancto oléo ungam,
22. Hunc manu mea confirmabo,
Meoque brachio corroborabo.
23. Hoſtis ſibi eum non obnoxium faciet,
Neque adverſarius eum affliget.
24. Confringam ejus hoſtes,
Ejusque inimicos percutiam.
25. Fides mea et gratia ei aderunt,
Per me evehetur ejus potentia *l*).
26. Extendam ad mare usque manum ejus,
Atque ad flumina ejus dextram.
27. Me patrem vocabit, Deum defenſorem et tutorem ſuum.
28. Primogenitum *m*) eum conſtituam,

omnes conſentiunt, ſententia, ſi ſubtiliter loqui velimus, vera non eſt. Conſtat enim Davidi tantum, non omnibus Iſraelitis, datam eſſe hanc promiſſionem. Atque totus Pſalmus preces continet tantum pro rege aut familia Davidis, nullas pro univerſo populo. Minime igitur probabile videtur, divinum vatem in hac una voce omnes Iſraelitas innuere.

l) hebr. *in nomine meo extolletur cornu ejus.*

m) Reges Hebræi vocant *filios Dei* Pſ. 82, 6. Rex maximus

Omnium regum principem.
29. Semper ei gratiam meam ſervabo,
Fœdusque meum erit firmum,
30. Nunquam ei poſteri deerunt,
Thronumque ejus, dum cœlum durabit, ſtabiliam.
31. Si ejus filii legem meam deſeruerint,
Neque ex voluntate mea ſe geſſerint;
32. Si ſtatuta mea violaverint,
Neque præcepta mea ſervarint:
33. Caſtigabo quidem eos ob delicta ſua,
Puniam eos ob peccata ſua.
34. Sed benevolentiam meam ei non ſubtraham,
Neque fidem ei datam fallam.
35. Non violabo fœdus meum,
Neque mutabo, quod ei promiſi.
36. Quod ſemel per ſanctitatem meam juravi,
Davidi non mentiar.
37. Poſteros ejus ſemper ſuperſtites fore,
Thronum ejus ut ſolem coram me.
38. Ut luna ſtabilis erit in æternum,
Ut teſtis in nubibus perpetuus. *n*) —
39. Jam vero deſeruiſti et neglexiſti unctum tuum,
Immo

ximus videtur eſſe primogenitus horum filiorum Dei. *Michaelis.*

n) Innuit iridem, teſtem illum gratiæ divinæ in perpetuum humano generi promiſſæ. Geneſ. 9, 9.

Immo vehementer ei irascēris.
40. Detestaris jam fœdus cum cultore tuo initum,
Diadema ejus ignominiose ad terram abjecisti.
41. Muros ejus diruisti,
Urbes munitas destruxisti.
42. Prædæ est omnibus viatoribus,
Vicinis suis opprobrium.
43. Adversariorum potentiam auges,
Facis, ut lætari possint ejus hostes.
44. Retundis aciem gladii ejus,
Nec adjuvas eum in bello.
45. Privasti eum sua dignitate,
Ejusque thronum ad terram dejecisti.
46. Præcidisti annos juventutis suæ,
Ignominia eum operuisti.
47. Quousque, o Jova, tuum auxilium subtrahes?
Quousque ira tua ut ignis ardebit?
48. Recordare quæso *o)*, quam parum duret hujus vitæ felicitas *p)*,
Quanta

o) Si lectio recepta זְכָר־ אֲנִי sana est, pronomen separatim positum est pro affixo זָכְרֵנִי uti legitur Ps. 106, 4. Sed fateor, mihi pronomen h. l. suspectum videri, quoniam divinus vates in sequentibus non de se loquitur, sed omnino de vitæ humanæ brevitate. *Hubigantius* putat excidisse literam ד et legendum esse אדני coll. vers. 51. Ingenioſe. Sed posset quoque literarum trans-

Quanta ſit pro tua voluntate humanæ vitæ
brevitas!

49. Ubi eſt homo, cui non moriendum ſit?
Qui ſepulcro poſſit effugere?

50. Ubinam eſt priſtina illa tua gratia, o Domine,
Quam Davidi per fidem tuam adjuraſti?

51. Memor ſis, Domine, opprobrii cultorum tuorum,
Meque tot populorum convicia patienter ferre *q*).

52. Si

transpoſitione erratum eſſe pro זְכֹר־נָא. Quam lectionem exhibet codex *Kennicotti* 607. Ex antiquioribus interpretibus affixum primæ perſonæ exprimunt Syrus et Chaldæus. Sed pro מָה legerunt מִן hinc חֶלֶד longe aliter explicant, quam debebat. Ille quidem: *Memento mei ex fovea* (cf. dicta ad Pſalterium Syriacum); hic: *recordare quod creatus ſim de pulvere.* Quid οἱ ὁ et qui eos ſequuntur Vulgatus et Arabs legerint, non liquet: μνήσθητι τὶς ἡ ὑπόστασίς μου. *Memorare quæ mea ſubſtantia.* Videri poſſunt legiſſe חֶלְדִּי ſed fortaſſe אֲנִי conſtruxerunt cum חֶלֶד. Illud tamen probabilius videtur.

p) חֶלֶד non ſimpliciter eſt *ævum* ſ. *tempus*, multo minus præſentis miſeriæ, ſed tempus felicius vitæ jucundæ ſine incommodis, docente *Schultenſio* ad Job. 11, 17.

q) Non obſtante diſſenſu interpretum quorundam in lectione hujus verſus, equidem arbitror lectionem receptam defendi poſſe, modo poſt בְּחֵיקִי repetatur חֶרְפַּת. In una tantum voce עִבְרִיךְ malim legere numerum

ſingu-

52. Siquidem laceſſunt hoſtes tui, o Jova!
Conviciis proſcindunt omnes conatus uncti tui.
(Laudetur Jova in æternum. Amen, Amen.) *r*)

LIBER QUARTUS

PSALMUS XC

Moſen autorem eſſe carminis elegantiſſimi, tam parum dubitari poteſt, quam probabile eſt, ſcriptum illud eſſe a viro divino ſub finem oberrationis illius funeſtiſſimæ quadraginta annorum in deſerto, quum videret minas divinas abunde impletas, maximamque populi partem, quam ex Aegypto eduxerat, e medio ſublatam.

1. Preces Moſis prophetæ.
Tu, Domine, refugium noſtrum fuiſti per omnes ætates.

2. Antequam montes eſſent producti, terra et mundus crearentur,
Tu, Deus, ab æternitate in æternitatem es.

3. Redi-

ſingularem עבדך *ſervi tui*, qui cum membro poſteriori hujus verſus, tum ſequenti verſui convenientior videtur et de Hiskia convicia Sancheribi ægerrime ferente apte poteſt explicari. Nec deſunt teſtes hujus lectionis. Exhibent eam undeviginti codices *Kennicotti*, Syrus et Chaldæus. cf. *Michaelis* in Biblioth. Or. P. XIX. p. 142.

r) Clauſula eſt libri tertii Pſalmorum. Similis eſt in fine libri primi Pſ. 41. et ſecundi Pſ. 72.

3. Redigis homines in pulverem,
Et dicis: revertimini, homine nati *a*)!
4. Mille enim anni ſunt ut dies heſternus, qui præteriit,
Ut vigilia nocturna.
5. Abripis eos, inſtar ſomni ſunt,
Quaſi gramen, quod ſubito immutatur.
6. Mane floret, ſed mox mutatur.
Veſpere ſucciſum exareſcit.
7. Tua ira conſumti ſumus,
Tuaque indignatione vehementer territi.
8. In tuo conſpectu ſunt peccata noſtra,
Atque etiam occultiſſima noſtra in luce tua conſpiciuntur.
9. Dies enim vitæ noſtræ evaneſcunt *b*),
Per iram tuam conſumimur,
Anni noſtri ſunt uti vapor æſtuans *c*).
10. Vivi-

a) Idem quod dicitur Geneſ. 3, 19. *pulvis es et ad pulverem redibis.*

b) Accentus h. l. non ſatis accurate poſiti. Verbum פָּנָה *faciem vertere* de die dicitur inclinante Jer. 6, 4. Deinde etiam eſt *evaneſcere*, *perire facie averſa.* cf. *Schultenſius* ad Harir. III. p. 153.

c) דֹּנֵא *vapor æſtuans* ſ. *bulla aquæ innatans*, ab דָּנָא *exæſtuavit.* ἅπαξ λεγομ. cf. *Schultenſius* ad Prov. 25, 4. et ad Job. 37, 2. — *Michaelis* in Supplem. ad Lex. Hebr. p. 493. aliis punctis ſubjectis legi vult דֻּגָּה quod ex

ſigni-

10. Vivimus annos ſeptuaginta,
Et ſi viribus valemus, octoginta.
Id, in quo ſuperbimus, labor eſt et moleſtia,
Et tandem abrupimur cito et avolamus.
11. At quis attendit ad hanc iræ tuæ gravitatem,
Aut indignationem tuam ita, ut religio poſtulat, timet?
12. Doce nos vitæ noſtræ dies ita numerare,
Ut ſapientes reddamur.
13. Redi, o Jova, ad nos! quam diu iraſceris?
Miſerere cultorum tuorum.
14. Exhibe nobis mature tuam gratiam *d*),
Celebrabimus eam et lætabimur de ea, quam diu vivimus.
15. Exhilara nos, poſtquam tam graviter nos afflixiſti,
Poſtquam tot mala ſumus experti.
16. Videant cultores tui opus tuum *e*),
Et gloriam tuam eorum poſteri.
17. Oſtendat ſeſe nobis Dei noſtri favor,
Noſtris-

ſignificatione verbi ﬠﬠ in lingua Syriaca, *imaginatus eſt*, ſit *phantaſma*. Sed non opus videtur illa mutatione, quoniam Schultenſiana originatio apta eſt formæ nominis et ſignificatio contextui.

d) hebr. *ſatia nos mane gratia tua.*

e) Intelligit haud dubie introductionem in terram promiſſam.

Noſtrisque conatibus proſperos largiatur ſucceſſus,
Immo quidquid ſuſcipimus, eo juvante feliciter
procedat.

PSALMUS XCI

Agit de providentia Dei ſpecialiſſima, quam is certo expectare poſſit, qui ſe ſuaque omnia in omnibus omnis generis periculis firma fiducia Deo committat. — Sunt, qui hujus quoque Pſalmi auctorem putent Moſen. Quod tamen æque ac omnes aliæ hypotheſes de tempore aut occaſione carminis ſcripti incertum eſt, quum nulla inſint criteria, ex quibus auctor, tempus aut occaſio certo poſſint definiri.

1. Qui latet ſub præſidio Altiſſimi,
In hoſpitio *a*) Dei ſummi pernoctabit.
2. Jova, inquit, meum refugium es loeusque munitus.
Mi Deus! cui confido.
3. Profecto te *b*) a laqueo aucupis,

A

a) hebr. *in umbra*. Sic צֵל alias quoque dicitur, e. c. Geneſ. 19, 8. Jeſ. 34, 15. Imago poetica ſumta eſt a jure hoſpitii, quod in Oriente inprimis ſummæ ſanctitatis putatur. Is qui Deo confidit ſiſtitur tanquam ab eo hoſpitio exceptus, a quo propterea defenſionem contra omnia pericula tuto poſſit expectare. vid. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. h. l. et ad *Lowthum* de S. poeſi hebr. Prælect. XXVI. ab initio.

b) Elegantiſſima eſt in hoc Pſalmo perſonarum loquentium mutatio. Ad verba in verſu præcedente hominis,

qui

A peſte lethali ſervabit.

4. Te pennis ſuis proteget, ſub alis ejus tutus eris,
Clipeus et parma erit ejus fides.

5. Ne timeas nocturnos terrores,
Non ſagittas interdiu volantes.

6. Non peſtem in tenebris ſerpentem,
Neque luem meridie graſſantem.

7. Cadant ad ſiniſtram tuam millia,
Atque ad dextram myriades, te non attinget.

8. Tu tantum oculis tuis videbis,
Et aſpicies pœnas ab improbis ſumtas. —

9. Immo tu, o Jova, meum es refugium c).
Altiſſimus eſt aſylum tuum.

10. Nihil tibi mali eveniet,
Nec ulla calamitas ad domum tuam pertinget.

11. Nam angelis ſuis de te præcipiet,

Qui

qui ad Deum confugit et de defenſione, quam ab eo expectat, lætatur, reſpondet inde ab hoc verſu usque ad verſum nonum alia perſona, quæ illam in hac ſua fiducia in Deo poſita confirmat, docetque, nulla, ne maxima quidem, mala ei eſſe metuenda.

c) Interlocutio eſt hominis illius Deo confidentis, affectum lætæ fiduciæ egregie exprimens. Sed pergit ſtatim in altero membro eadem illa perſona in prædicanda ſecuritate, quam Dei amor et cura pro ſuis cultoribus præſtet.

Noſtrisque conatibus proſperos largiatur ſucceſſus,
Immo quidquid ſuſcipimus, eo juvante feliciter
procedat.

PSALMUS XCI

Agit de providentia Dei ſpecialiſſima, quam is certo expectare poſſit, qui ſe ſuaque omnia in omnibus omnis generis periculis firma fiducia Deo committat. — Sunt, qui hujus quoque Pſalmi auctorem putent Moſen. Quod tamen æque ac omnes aliæ hypotheſes de tempore aut occaſione carminis ſcripti incertum eſt, quum nulla inſint criteria, ex quibus auctor, tempus aut occaſio certo poſſint definiri.

1. Qui latet ſub præſidio Altiſſimi,
In hoſpitio *a*) Dei ſummi pernoctabit.
2. Jova, inquit, meum refugium es loeusque munitus.
Mi Deus! cui confido.
3. Profecto te *b*) a laqueo aucupis,

A

a) hebr. *in umbra*. Sic צֵל alias quoque dicitur, e. c. Geneſ. 19, 8. Jeſ. 34, 15. Imago poetica ſumta eſt a jure hoſpitii, quod in Oriente inprimis ſummæ ſanctitatis putatur. Is qui Deo confidit ſiſtitur tanquam ab eo hoſpitio exceptus, a quo propterea defenſionem contra omnia pericula tuto poſſit expectare. vid. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. h. l. et ad *Lowthum* de S. poeſi hebr. Prælect. XXVI. ab initio.

b) Elegantiſſima eſt in hoc Pſalmo perſonarum loquentium mutatio. Ad verba in verſu præcedente hominis,

qui

A peſte lethali ſervabit.

4. Te pennis ſuis proteget, ſub alis ejus tutus eris,
Clipeus et parma erit ejus fides.

5. Ne timeas nocturnos terrores,
Non ſagittas interdiu volantes.

6. Non peſtem in tenebris ſerpentem,
Neque luem meridie graſſantem.

7. Cadant ad ſiniſtram tuam millia,
Atque ad dextram myriades, te non attinget.

8. Tu tantum oculis tuis videbis,
Et aſpicies pœnas ab improbis ſumtas. —

9. Immo tu, o Jova, meum es refugium c).
Altiſſimus eſt aſylum tuum.

10. Nihil tibi mali eveniet,
Nec ulla calamitas ad domum tuam pertinget.

11. Nam angelis ſuis de te præcipiet,

Qui

qui ad Deum confugit et de defenſione, quam ab eo expectat, lætatur, reſpondet inde ab hoc verſu usque ad verſum nonum alia perſona, quæ illam in hac ſua fiducia in Deo poſita confirmat, docetque, nulla, ne maxima quidem, mala ei eſſe metuenda.

c) Interlocutio eſt hominis illius Deo confidentis, affectum lætæ fiduciæ egregie exprimens. Sed pergit ſtatim in altero membro eadem illa perſona in prædicanda ſecuritate, quam Dei amor et cura pro ſuis cultoribus præſtet.

Qui te in omnibus viis tuis tueantur.
12. Manibus te geſtabunt,
Ne pes tuus forte in lapide offendat.
13. Super leone et aſpide incedes,
Leones et dracones conculcabis. — *d)*
14. Mei deſiderio tenetur, ideo quoque eum ex omni periculo eripiam,
Tutum eum præſtabo, quoniam me amat.
15. Invocat me, ego eum exaudiam,
Adſum ei in omni calamitate,
Liberabo eum, immo ad honores proveham.
16. Vitam longævam ei dabo,
Maximamque ex præſtita a me ſalute lætitiam percipiet.

PSALMUS XCII

Aptiſſimum eſt argumentum diei, cujus ſolennitati hic Pſalmus ſecundum inſcriptionem deſtinatus fuit. Sabbathi enim finis erat laudare Dei ſapientiam, potentiam, benignitatem tam in creatione hujus univerſi, quam in conſervatione conſpicuam. Quæ omnia auctor carminis incertus (nam commentum Judæorum: Adamum, qui,

d) Hactenus ille divinæ providentiæ commendator. In ultimis tribus verſibus Deus ipſe loquitur, qui idem confirmat, novasque promiſſiones addit magnæ felicitatis, quam ei, qui ipſum amet et colat, conferre velit.

qui, quum in fine hebdomadis creatus eſſet, mane Sabbathi hunc Pſalmum dixiſſe, merito repudiatur,) eleganter cecinit.

1. Pſalmus canendus die Sabbathi.
2. Magna eſt felicitas, Deum laudare,
   Tuumque nomen celebrare, Altiſſime!
3. Mane tuam benevolentiam,
   Atque nocte tuam fidem commemorare,
4. In Decachordo, in nablio,
   Cum carmine in cithara.
5. Nam exhilaras me, Jova, operum tuorum conſideratione,
   Canam hæc tua opera.
6. Quanta illa ſunt, o Jova!
   Perquam profunda ſunt tua conſilia.
7. Homo ſtupidus hæc non cognoſcit,
   Et ſtultus hæc non intelligit.
8. Quamquam impii germinant ut herba,
   Quamquam florent facinoroſi, ut in perpetuum exſcindantur:
9. Tu tamen, Altiſſimus es in æternum.
10. Hoſtes vero tui, o Jova, hoſtes tui peribunt,
    Diſſipabuntur omnes malefici.
11. Sublime erit inſtar bovis feri cornu meum,
    Perfuſus ſum oleo viridi *a*).

a) In utroque membro retinui in verſione tropos orientales

12. Video hoſtium meorum pœnam,
Audio de ſuppliciis impiorum mihi adverſantium.
13. Pii ut palma florebunt,
Inſtar cedri in Libano creſcent.
14. Plantati ſunt in æde Dei *b*),
In atriis Dei efflorescent.
15. Atque adeo in ſenectute germinabunt,
Succidi et virentes erunt.
16. Sanctitatem Dei commemorantes:
Mi tutor! a quo omnis iniquitas longe abeſt.

PSALMUS XCIII

Celebratur Deus ut rex et defenſor terræ ſuæ, non præſentis tantum, ſed futuri etiam temporis. — Num Davidicus ſit, poſt regnum recuperatum compoſitus, an ad Maccabæorum ætatem referendus,

tales in multis aliis locis obvios, neque difficiles intellectu. Senſus prioris membri eſt: *potentia, virtute et dignitate eminebo.* cf. Deut. 33, 17. Pſ. 75, 6. 11. 89, 18. 25. 112, 9. Poſterioris: *habeo de quo lætor.* Ex uſu olei in conviviis ad animi lætitiam indicandam. Pſ. 23, 5. 52, 11. Jeſ. 61, 3.

b) Equidem non putem alludi ad arbores in atriis tabernaculi plantatas, cujus conſuetudinis, ab iis qui locum ſic explicant, non affertur probatio. Sed dicuntur pii, plantati in æde Dei, propter aſſiduitatem qua locum ſacrum frequentant; quæ metaphora deinde in ſequentibus continuatur.

ferendus, ſacris per Judam Maccabæum reſtitutis; an propheticus, regnum Meſſiæ in æternum duraturum celebrans, equidem nolo definire.

1. Jova regnat excellentia indutus,
Indutus, inquam, eſt Jova et robore cinctus,
Terram ſtabilivit *a*), non movebitur.
2. Tuus thronus a primis rerum initiis firmus eſt,
Tu es ab æterno.
3. Edant flumina, o Deus, edant flumina ſonitum,
Strepant flumina ſuo fragore.
4. Præ omni aquarum ſtrepitu,
Fluctuumque fragore terribili,
Tu, Jova, in excelſo longe es excellentior.
5. Verbum tuum eſt veriſſimum;
Domus tuæ ſanctitas eſt eximia, a Jova, in æternum.

a) Lectioni receptæ אַף תִּכֹּן תֵּבֵל *etiam terra firma eſt* ſ. *immota ſtat*, præferendam puto lectionem, quam verſiones antiquæ omnes exhibent תִּקֵּן. Chaldæus habet: תַּקִּיף תֵּבֵל, Syrus: ܐܦ ܬܩܝܦ ܐܪܥܐ, οἱ ὁ, καὶ γὰρ ἐστερέωσε τὴν οἰκουμένην. Vulgatus: *etenim firmavit orbem terræ.* Sic quoque in priori membro melius reſpondet verbum activum לְבַשׁ. *Hubigantius* quidem legi vult תִּכֵּן *libravit terram.* Non male quoad ſenſum. Sed venit in mentem, an non litera ו vulgaris lectionis תכון orta ſit ex linea illa longius producenda literæ ק cf. dicta ad Pſ. 96, 10. a).

PSALMUS XCIV

Preces continet ardentiſſimas, ut Deus tandem poenas ſumat ab omnibus hominibus, qui populum crudeliter tractent et jus et juſtitiam perverſant. His quoque iram Dei minatur atque ad patienter expectandam illam Dei ultionem hortatur. — Nihil repugnat, quo minus Davidis ſit, cui etiam in verſione graeca tribuitur, atque ad exilium ejus propter Abſolomi ſeditionem referatur. — Alii eum Sauli temporibus, alii perſecutionibus Epiphanicis accommodant.

1. Deus ultor, o Jova,
   Deus ultor appare,
2. Effer te, terrarum judex,
   Atque rependе ſuperbis.
3. Quousque impii, o Jova,
   Quousque impii exultabunt?
4. Quousque crepabit dicta ferocia,
   Inſolenter ſe jactans impiorum coetus?
5. Tuum, o Jova, populum vexant,
   Populum tibi carum affligunt.
6. Viduam et peregrinum occidunt,
   Et pupillos interficiunt.
7. Non videt Deus, inquiunt,
   Non intelligit Deus Jacobitarum.
8. Attendite, ſtultiſſimi hominum,
   O vos fatui! quando intelligetis?
9. Num is, qui aurem paravit, non audiet?
   Qui oculum formavit, non videat?

10. Num

10. Num is, qui gentes caſtigat, non *vos* reprehendat?
Is, qui docet homines ſapere.
11. Jova novit hominum conſilia,
Quod vana ſint.
12. O beatum virum, quem Deus corrigit,
Et lege ſua inſtruit.
13. Ut tutum eum præſtet temporibus adverſis,
Donec impii pœnas dare cogantur.
14. Deus enim populum ſuum non deſeret,
Neque relinquet ſuum peculium.
15. Tandem tamen juſtitia redibit,
Eamque omnes pii ſequentur. —
16. Quis me adjuvabit adverſus impios?
Quis ſe mecum opponet facinoroſis?
17. Niſi Deus mihi auxilio fuiſſet,
Parum aberat, quin morti occubuiſſem.
18. Quando exiſtimabam, actum eſſe mecum,
Tua benignitas me ſuſtentavit.
19. In multis iisque anxiis cogitationibus meis,
Tuæ conſolationes me recreant. —
20. Num tu favere potes iſtis tyrannis,
Qui nil niſi noxia conſilia cudunt, legibus omnibus poſthabitis?
21. Turmatim irruunt in vitam probórum,
Innocentes ut impios damnant.
22. Deus vero mihi aſylum præſtat,
Deus petra mihi eſt, ad quam confugiam.

23. Rependet illis iniquitatem eorum,
Propter ſcelera eos perdet, immo perdet eos
Jova, Deus noſter.

PSALMUS XCV.

In prima parte loquuntur Iſraelitæ, qui ſe excitant ad ſtudium religionis alacriter exhibendum propter eximia Dei in ſe merita 1 — 7. In altera parte Deus ipſe loquens inducitur, qui eos hortatur, ne peſſimos majorum ſuorum mores imitentur, propter contumaciam ſevere a ſe punitorum 8 — 11. Verſio græca et Paulus Ebr. 4, 7. Pſalmum Davidi tribuunt, ſine dubio ex traditione, cui cur conjecturas de alio auctore ſubſtituamus, non video.

1. Agite, canamus in honorem Jovæ,
Jubilemus in honorem tutoris noſtri.
2. Alacriter coram eo compareamus cum gratiarum actione,
Canticis eum celebremus.
3. Deus magnus eſt Jova,
Rex magnus eſt ſuper omnes deos *a*).
4. Cujus in manu ſunt terræ penetralia,
Cujus ſunt altiſſimi montes *b*).

5. Cujus

a) ſc. qui a gentilibus habentur pro diis: principes, angeli, idola. Sic Pſ. 96, 4. 97, 7.

b) hebr. מְחְקְרֵי־אָרֶץ וְתוֹעֲפוֹת הָרִים לוֹ q. d. *perſcrutationes terræ et caligationes montium*, h. e. ad quorum cacu-

5. Cujus mare eſt, quod paravit;
Et terra continens, quam manus ejus formarunt.
6. Agite adoremus, incurvemus nos,
Genua flectamus, ante Deum creatorem noſtrum.
7. Etenim ille eſt Deus noſter, nos populus, quem paſcit,
Grex, quem ipſe ducit.
Hodie obſecro, voci ejus obtemperate. —
8. Ne obduretis corda veſtra, ſicut Meribæ *c*) factum eſt,
Sicuti Maſſæ accidit in deſerto.
9. Ubi me majores veſtri tentarunt
Atque explorarunt, quamquam opera mea viderant.
10. Per quadraginta annos faſtidivi iſtam generationem,
Et dixi: populus eſt inconſtans legumque mearum negligens.
11. Quibus tandem juravi iratus *d*):
Nunquam eos in terram promiſſam venturos eſſe.

cacumina altiſſima ſ. fundamenta profundiſſima oculi caligant, a עָיַף *viſu caligavit.* cf. *Schultenſius* ad Jobum, Cap. 22, 25. Antiquiores interpretes omnes de montibus altiſſimis explicant. *Michaelis* et *Knappius* de metallis et aurifodinis.

c) Hiſtoria legitur Exod. 17, 7.

d) Num. 14, 21. 22. et 32, 10.

PSALMUS XCVI

Hic Pſalmus pars eſt carminis longioris, quod David compoſuit, quum arcam legis ex ædibus Obededomi ſolenni pompa deduceret et in arce ſua Sionitica in ſede ei parata collocaret. Legitur hoc carmen 1 Chron XVI. 8—36. et particula, quæ hunc Pſalmum conſtituit verſ. 23—34. in qua tamen nonnulla mutata ſunt et accommodata ſolennitati, cui fuit deſtinata. — Non enim videtur contemnenda traditio, quæ legitur in verſione græca, adhibitum fuiſſe hunc Pſalmum in dedicatione templi poſt captivitatem ſc. Babylonicam, ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδομήθη μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. Recte quoque ibidem additur: ᾠδὴ τῷ Δαυίδ. Quippe David vere auctor ejus dicitur, cujus verba ſunt omnia, uti ex loco citato Chronicorum conſtat. Præſules modo Judæorum reducum ex exilio Babylonico quædam in iis ſcopo et conſilio ſuo accommodate immutarunt.

1. Canite Jovæ canticum novum,
   Canat Jovam totus terrarum orbis.
2. Canite Jovam, celebrate nomen ejus,
   Indeſinenter prædicate ejus ſalutem.
3. Nuntiate gentibus ejus gloriam,
   Inter omnes populos ejus miracula.
4. Magnus eſt Jova et valde celebrandus,
   Magis formidabilis, quam omnes alii dii.
5. Aliarum enim gentium dii figmenta ſunt,
   Jova vero cœlum condidit.
6. Majeſtas glorioſa eſt in loco ei ſacro,
   Potentia inſignis in ſede ejus ſancta.

7. Ve-

7. Veneramini Deum omnes nationes,
Veneramini Deum agnoſcentes glorioſam ejus potentiam.
8. Celebrate nomen Jovæ,
Munera offerte, ſic comparentes in ejus atriis.
9. Adorate eum in ornatu ſancto,
Timeat eum totus terrarum orbis.
10. Dicite inter gentes: Jova rex eſt.
Terram ſtabilivit *a*), non dimovebitur, gentes recte judicabit.
11. Lætetur cœlum, exultet terra,
Mare moveatur et quidquid illud replet.
12. Exultent agri cum fructibus ſuis,
Omnes ſilvæ arbores canant.
13. Ob Jovæ præſentiam, qui venit,
Venit, ut imperet univerſæ terræ,
Juſte reget orbem terrarum, fidem præſtabit populis.

PSAL-

a) Eadem verba leguntur etiam Pſ. 93, 1. Idem quoque eſt conſenſus antiquorum interpretum in lectione verbi תִּכּוֹן pro תִּכּוֹן lectionis vulgatæ, de quo ad illum locum dictum eſt. Teſtibus citatis addere poſſum h. l. Symmachum, qui habet: καὶ ἥδρασε τὴν οἰκουμένην ἀκλινῆ ποιήσει, *firmavit terram immobilem.*

PSALMUS XCVII

Idem argumentum tractat, quod præcedens, neque improbabile dixerim eadem occasione esse scriptum. Celebrat Dei potentiam et majestatem agnoscendam ab omnibus gentibus, quæ abjectis idolis hunc unum verum Deum colere deberent et adorare. Veris Dei cultoribus promittitur magna felicitas, de qua lætari possint.

1. Jova rex est, exultet terra.
   Lætentur regiones exteræ *a*) omnes.
2. Nubibus caliginosis circumfunditur *b*),
   Exactissima justitia throni ejus est fundamentum.
3. Ignis eum præcedit,
   Hostes ejus absumens.
4. Lucent per orbem fulgura ejus,
   Videt et contremiscit terra.
5. Montes ut cera liquescunt ante Jovam,
   Ante dominum totius terræ.
6. Annunciat cœlum ejus justitiam,

Vident

a) De אִיִּים non *insulis*, sed *regionibus habitatis* ab אוּי *habitare*, in oppositione ad Palæstinam, vid. *Michaelis* in Spicilegio Geogr. exteræ Hebr. P. I. p. 139 seqq.

b) Locus hic perquam similis est quoad imagines poeticas Ps. 18, 10. quæ alludunt ad apparitionem Dei in monte Sinai, quam lubenter solent poetæ hebræi commemorare in describendo adventu Dei ad potentiam suam quocunque modo manifestandam. cf. *Lowth* de Poesi S. Hebr. Prælect. IX. p. 168. edit. Goett. pr.

Vident gentes ejus majeſtatem.

7. Erubeſcent omnes idololatræ, de idolis ſuis ſibi gratulantes.
Adorate eum omnes dii *c*).

8. Audit hoc Sion et, exultat,
Lætantur Judææ oppida ob hæc tua, o Jova! judicia.

9. Tu enim, o Jova! ſummus es in toto terrarum orbe,
Omnibus diis longe præſtantior.

10. Jovæ reverentes fugite *d*) malum,
Servat ſuos clientes, ab impiis eos defendit.

11. Lux ſpargitur *e*) piis,

Et

c) cf. Pſ. 95, 3.

d) Equidem nolim negare lectionem codicis Caſſelani שנאי־רע aptum ſenſum præbere, ſi, quod *Michaelis* vult (in Bibl. Or. Tom. III. p. 217.), ſit participium paſſivum שְׂנוּאֵי *Jovæ reverentes malis exoſi ſunt.* Syrus in lectione literarum conſentit ܣܢܝܐ ܠܒܝܫܐ *odio habent mala.* Sed Chaldæus et *ei ó* receptam lectionem exprimunt, cui propterea illud unius codicis teſtimonium idque dubium præferre auſus non ſum.

e) Quanquam interpretes antiquiores omnes pro זֹרַע videntur legiſſe זָרַח atque in Pſ. 112, 4. ubi eadem ſententia legitur, illud ipſum verbum reperitur, tamen non poſſum aſſentiri Viris Doctiſſimis *Michaeli, Doederleinio,*

Et probis lætitia.

12. Gaudete, o boni, de Jova,
Et celebrate memoriam ejus ſanctam.

PSALMUS XCVIII

Eundem Deum Jovam et regem omnibus gentibus adorandum celebrat, cujus adventus in antecedentibus 96. 97. 98. jam eſt annunciatus. — Quæ omnia de rege Meſſia jam ab antiqua eccleſia Judaica eſſe intellecta, docent loca Nov. Teſt. in quibus citantur.

1. Pſalmus. Canite Jovæ canticum novum, nam mira fecit.
Servavit eum dextra ſua et brachium ſuum ſanctum.
2. Manifeſtavit Deus ſalutem ſuam,
Spectantibus gentibus revelavit juſtitiam ſuam.
3. Memor fuit promiſſionum Iſraelitis datarum,
Vident omnes regiones ſalutem Dei noſtri.
4. Læto jubilo in honorem Jovæ reſonet tota terra,
Erumpite omnes in gaudium cantantes.
5. Canite

leinio, *Knappio*, *Seilero*, qui hoc quoque loco זרח legi volunt, idque אור aptius judicant quam זרע. Necdum poenitet me eorum, quæ ad Pſalterium Syriacum ſcripſi, verbi זרע ut cognatorum זרח et זרה ſignificationem primariam eſſe *ſpargere*, quod, uti in aliis linguis, etiam de *lumine* dici poteſt. Lectionem vero rariorem et difficiliorem faciliori præferendam eſſe, regula eſt criticorum.

5. Canite Jovam cum cithara,
Cum cithara adhibito cantu.
6. Cum tubis et buccinis
Jubilate coram rege Jova.
7. Mare resonet et quæ illud replent,
Terrarum orbis ejusque incolæ.
8. Applaudant flumina,
Lætentur montes simul,
9. Jova apparente, qui venit ad regendam terram,
Rex erit terræ et populorum justus et æquus.

PSALMUS XCIX

Laudes Dei celebrat, maxime misericordiam in audiendis precibus.

1. Jova rex est, contremiscant gentes.
Cherubis vehitur, moveatur terra.
2. Jova in Sione magnus est,
Et elatus super omnes gentes.
3. Celebrant nomen tuum magnum et verendum,
— Sanctus est. — *a)*
4. Et potentiam regis, qui æquitatem amat.
Tu jus constituisti et summam justitiam inter Jacobitas exerces.
5. Ex-

a) Verba קָדוֹשׁ הוּא versu quinto et nono repetita, interlocutio sunt alterius chori. Quod ex initio versus sequentis apparet, in quo וְעֹז מֶלֶךְ pendet a verbo יְדַרְּ hujus versus.

5. Extollite Jovam Deum noſtrum,
Abjicite vos ad ſcabellum pedum ejus *b*).
— Sanctus eſt. —
6. Moſes et Aaron, miniſtrorum ejus principes *c*),
Et Samuel, qui ardentiſſime precabatur,
Invocarunt Jovam, atque hic eos exaudivit.
7. Ex columna nubis locutus eſt cum eis,
Servarunt leges ejus et ſtatuta, quæ eis dederat.
8. O Jova Deus noſter! Tu eos exaudiſti,
Tu illis condonaſti, verum etiam animadvertiſti
in eorum peccata.
9. Extollite Jovam Deum noſtrum, adorate in monte
ejus ſancto.
— Immo ſanctus eſt Jova Deus noſter —.

PSAL-

b) h. e. arca legis, quæ alias quoque ſic dicitur Pſ. 132, 7. Thren. 2, 1. 1 Chron. 28, 2.

c) Vocabulum כֹּהֵן h. l. non ſacerdotem ſtricte ſic dictum indicare, ſed miniſtrum Dei, apparet ex eo, quod Moſes ſacerdotis munere, quoad partes ejus fuerunt in victimis offerendis, functus non eſt. Sed latius quoque dici כֹּהֵן apparet ex 2 Sam. 8, 18. coll. 1 Chron. 18, 17. — Præpoſitio autem בְּ ante כֹּהֲנָיו et קְרֹאֵי non eſt vertenda per *inter*, quod quo dicatur non apparet, ſed inſervit periphraſi ſuperlativi, ut Pſ. 94, 8. בְּעָרִים בָּעָם *ſtulti in populo*, h. e. ſtultiſſimi hominum. Plura exempla ſunt in *Glaſſii* Philol. S. p. 41, edit. noſtræ.

PSALMUS C

Pſalmi hujus uſum fuiſſe maxime in ſacrificiis euchariſticis, de quibus agitur Levit. 7, 12., tradit Paraphraſtes Chaldæus, qui habet תּוֹדָתָא עַל קוּרְבָּן. *Cui opinioni argumentum quoque bene convenit.*

1. Pſalmus euchariſticus.
Celebret Jovam totus terrarum orbis.
2. Colite Jovam cum lætitia,
Comparete coram eo cum cantu.
3. Agnoſcite, Jovam eſſe Deum.
Ille nos fecit, ejus *a*) ſumus,
Populus ejus et grex, quem paſcit.
4. Ingredimini portas ejus gratias agentes,
Venite ad atria ejus laudantes,
Gratias agite, celebrate nomen ejus.

5. Nam

a) Lectio textualis habet לֹא quam etiam exprimunt οἱ ὁ, καὶ οὐχ ἡμεῖς. Symmachus: αὐτὸς ἐποίησεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας. Syrus et Vulgatus: *et non ipſi nos.* Sed Chaldæus, Hieronymus et quatuordecim codices *Kennicotti* exhibent lectionem marginalem: *et ipſius ſumus*, quæ quoque haud dubie alteri præferenda eſt. Nam cum præcedat: *Jova fecit nos*, nimis tenuis eſſet ſententia illi reſpondens: *et non nos*, ut taceam phraſin eſſe inſolentiorem: *ſe ipſe facere.* Cæterum *facere* h. l. eodem ſenſu dicitur, quo Pſ. 95, 6. et ſæpe in prophetis, de natura et conſtitutione reip. Iſraeliticæ, per Jovam eorum Deum.

5. Nam Jova benignus eſt, gratia æterna,
Per omnes generationes fides ejus ſibi conſtat.

PSALMUS CI

In hoc Pſalmo David pia vota facit, aut animi ſui propoſita exponit, qualis rex et ipſe futurus ſit, et quales etiam ſuos eſſe ſit præſtiturus. Quod argumentum Pſalmi quanquam videtur convenire vel tempori, quo primum in tribum Judam tantum Hebrone regnabat, vel quum deinceps a reliquis quoque tribubus rex erat creatus; tamen propter verba verſ. 2. quando venies ad me, placet præ aliis hypotheſis Venemæ, quam Seilero quoque video probari, Davidem Pſalmum hunc compoſuiſſe, quum arcam legis ex ædibus Obededomi in arcem ſuam Sioniticam transferret, 2 Sam. 6. 1 Chron. 15, 16. Quis dubitet Davidem, ſi unquam, tunc profecto maxime ſerio ſibi propoſuiſſe, talem omnino vitam vivere, qualem in hoc Pſalmo promittit?

1. Pſalmus Davidis. — Benignitatem et juſtitiam canam.
Tibi, Jova, *hymnum* pſallam.
2. Equidem vitæ integræ ſtudioſus ero;
(Quando tandem ad me venies?) *a*)
Etiam

a) Interrogationem hanc *optative* explico: (vid. *Glaſſius* in Tract. de Verbo Can. 42. p. 295.) Utinam ego quam primum hujus felicitatis particeps fiam, ut ad me venias. Sic enim David ſuum deſiderium indicat ſymboli illius gratiæ divinæ, arcæ fœderis, in ædibus ſuis poſſi-

Etiam inter meos pie me geram.

3. Nunquam animo mihi proponam factum impium,
Scelera patrantem *b*) odio habebo,
Nec tale quid mihi adhærebit.

4. Hominem perversum a me removebo,
Nec malis favebo.

5. Delatorem severe puniam,
Fastuosum et superbum non feram *c*).

6. Oculi mei observabunt probos, ut mihi adsint,

possidendi. Durius mihi videtur, hunc Dei adventum vel de occupatione regni, vel de inhabitatione spirituali explicare.

b) Assentior *Michaeli*, qui loco infinitivi עֲשֹׂה participium legi vult עֹשֶׂה. Sic quoque Syrus: עָבֵד בִּישְׁתָּא, οἱ ὁ et Vulgatus etiam participium exprimunt, sed in numero plurali: ποιοῦντες παραβάσεις, *facientes prævaricationes.*

c) Verba textus אֹתוֹ לֹא אוּכַל οἱ ὁ, Syrus et Vulgatus aliis punctis subjectis legerunt: אֶתּוֹ לֹא אוּכַל τούτῳ οὐ συνήσθιον, *cum hoc non edebam.* Quæ lectio quanquam vulgari facilior est, tamen ellipsis verbi שְׂאֵת ad illam supplenda, non nimis dura videtur. Exemplum simillimum extat Jes. 1, 13. — *Venemæ* derivatio τοῦ אוּכַל a כוּל *capere*, quod idem sit cum יָכַל, aliena est ab usu hujus verbi alias obvio. Aliud est, *aliquid non capere*, aliud: *aliquid non ferre.*

Viris vitæ inculpatæ miniſtris utar.
7. Non patiar locum in familia mea reperire hominem fraudulentum,
Mendaci non concedam, ut ſedem apud me figat.
8. Singulis matutinis *d*) ſevere animadvertam in impios,
Atque maleficos ex Dei civitate exſcindam.

PSALMUS CII

Preces continet ardentiſſimas pro liberatione populi ex ſtatu afflictiſſimo, in quo gemat, et pro reſtauratione urbis Hieroſolymæ et templi, cujus Deus ipſe ſpem fecerit. Tempus ab eo promiſſum jam adeſſe 1—14. Glorioſum quam maxime apud omnes gentes hoc Deo ipſi futurum eſſe et apud poſteros perpetuo celebrandum. — Plerique interpretes arbitrantur ſub finem exilii Babylonici Pſalmum ſcriptum eſſe. Quibus et ego aſſentior. Omnes enim temporis notæ ex hac hypotheſi facillime poſſunt explicari.

1. Preces afflicti triſtitia fere oppreſſi, qui animi ſui ſenſus apud Deum effundit.
2. Audi, o Jova, preces meas,
Clamor meus ad te veniat.
3. Ne faciem tuam a me abſcondas tempore calamitatis meæ,
Aurem mihi præbe, quando te invoco,
Propere mihi reſponde.

4. Vita

d) Reſpicitur ad tempus matutinum, quo judicia habebantur, 2 Sam. 15, 2. Jer. 21, 12.

4. Vita enim mea ut fumus evaneſcit,
Atque oſſa mea uti cremia *a*) ardent.
5. Cor meum ut herba æſtu tacta exaruit,
Obliviſcor cibi capiendi.
6. Ob vocem meam gementem
Adhærent oſſa pelli meæ.
7. Similis ſum pelicano *b*) deſerti,
Aut nyctieoraci *c*) in ſolitudine.
8. Vigilo et ſum *d*)
Ut avis ſolitaria *e*) ſuper tecto.

 9. Quo-

a) מוקד *οἱ ὁ* recte per *φρύγιον*, Vulgatus *cremium* vertunt, h. e. lignum torridum. Præter h. l. tantum Jeſ. 33, 14. et fœmininum Levit. 6, 2. Significatio *foci*, quæ ei a nonnullis tribuitur, nititur tantum auctoritate Kimchii.

b) De קָאַת quod antiqui interpretes omnes per *pelicanum* explicant, vid. *Michaelis* in quæſt. arab. p. 330. qui antiquorum pelicanum dicit eſſe *onocrotalum* (die Kropfgans). *Doederlein* auctore *Forskael* in deſcript. animal. p. 1. intelligit *viverram* ſ. *felem feram*, coll. arabico nomine قط بر *Kot el bar*.

c) De כּוֹס vid. *Michaelis* l. l. p. 314.

d) *Venema* h. l. elegantem habet conjecturam, pro אהיה legi poſſe אהגה *gemo*, ut Jeſ. 38, 14. quam reciperem in textum, ſi ulla interpretis antiqui, aut codicis auctoritate firmaretur, ſed omnes in lectione recepta conſentiunt.

e) Vocabulum צִפּוֹר h. l. non *paſſerem* ſignificare poſſe, adje-

9. Quotidie me conviciis proſcindunt hoſtes mei,
Qui mihi inſultant, formulam imprecandi a me
ſumunt *f*).
10. Cinerem pro pane *g*) edo,
Et potui meo lacrimæ immiſcentur,
11. Propter iræ tuæ vehementiam,
Qua me ſublatum abjeciſti.
12. Vita mea ſimilis eſt umbræ inclinatæ,
Inſtar fruticis ego exareſco. —
13. Tu vero Jova, manes in æternum,
Tuique memoria erit perpetua.
14. Tu Sionis mox miſereberis,
Tempus enim adeſt gratiæ exhibendæ,
Venit tempus promiſſum *h*).
15. Tui cultores vel ejus ruderibus delectantur,
Atque

adjectum בּוֹדֵד ſatis probat, cum conſtet paſſerem nil minus quam ſolitarium eſſe. Sed videtur צִפּוֹר vocabulum generis fuiſſe. vid. *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. II. Cap. 22. et de noſtro loco in ſpecie p. 153. edit. Leusd.

f) Similis locus eſt Jeſ. 65, 15. Jer. 29, 22.

g) Codices *Kennicotti* 97. 156. 264. et forte 99. habent non כ, ut eſt in textu recepto, ſed כ, בלחם.

h) Finem exilii Babylonici finitis ſeptuaginta annis Jeremias diſertis verbis prædixit Cap. 25, 11. 12. 29, 10.

Atque adeo pulveri favent. — *i*)

16. Sic omnes gentes nomen Jovæ reverebuntur,
Omnes reges tuam gloriam.
17. Quando Jova Sionem reſtaurabit,
In majeſtate ſua glorioſa apparebit.
18. Reſpicit preces moribundi *k*),

i) Magnum πάθος habet hic verſus, affectum piorum egregie pingens.

k) Vocabulum עֻרְעָר quod præter h. l. tantum Jer. 17, 6. legitur, *Celſius* in Hierob. P. II. p. 195. *juniperum* ſignificare probavit. Quæ ſignificatio Jeremiæ quidem loco ſatis apta eſt, ſed minus huic noſtro, ubi τῷ עֻרְעָר preces tribuuntur. Viri docti varias conjecturas attulerunt ad vocabulum raro obvium explicandum. *Venema* quidem, ut et *Simonis* in Lexico, formatum eſſe putant ab עָרָה *nudavit*, ut hominem ſignificet *plane nudum*, h. e. omni auxilio deſtitutum. Quod miror factum eſſe a Viris doctiſſimis, qui ignorare non poterant, nomina hujusmodi geminata formari tantum a verbis, quorum ſecunda radicalis vel gemina eſt, vel quieſcens. *Funckius* in Symbolis ad Interpret. S. Cod. P. I. p. 11. deduxit ab עָרַר arab. عَرَّ *hiſcere*, quod in conjugationibus tranſitivis ſit *perrumpere*, *diruere*, quæ notio a noſtro loco minime eſt aliena, quam etiam antiqui interpretes ſubindicarunt, niſi potius ex contextu divinarunt; οἱ ὁ habent: ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν προσευχὴν τῶν ταπεινῶν. Vulgatus:

Nec contemnit ejus rogationem.

19. Hoc literis mandabitur generationi ſuccedenti,
Et populus futurus Deum laudabit.

20. Proſpicit ex alto, ſede ſua ſanctiſſima,
Jova e cœlo terram intuetur.

21. Ut audiat gemitus vinctorum,
Ut ſolvat vincula morti traditorum.

22. Ut nomen Jovæ in Sione celebretur,
Et laus ejus Hieroſolymæ.

23. Quan-

tus: *humilium.* Syrus: ܡܣܟ̈ܝܢ *pauperum.* Chaldæus: דְּמִצְטַעֲרִין *deſolatorum.* *Michaelis* exiſtimat nomen eſſe avis naturæ perquam timidæ et in ſolitudine vagantis غُرْغُر *meleagris*, cum qua populus in exilio vivens anxius et liberationis cupidus comparetur. Novam conjecturam his addidit *Schnurrerus* Faſc. II. Animadv. in Pſalmos. Nempe arabicum verbum غَرْغَرَ obſervante *Schultenſio* (ad Conſeſſ. Harir. V. p. 169.) onomatopœeticum eſt, ut Græcorum γαργαρίζειν et ſignificat *reciprocare ſpiritum* in gutture inſtar moribundi. Quod verbum raro obvium etiam ex ſcriptore arabico illuſtravit, ut dubium non ſit, quin עֵרְעָר habere poſſit ſignificationem *moribundi;* quam aptiſſimam eſſe ad exprimendam ſortem populi languentis in exilio redactique ad incitas, Viro Doctiſſimo facile largior, et propterea quoque in verſione mea poſui.

23. Quando gentes convenient,
Et regna ad Jovam colendum. —
24. Debilitantur in itinere vires meæ,
Abbreviantur dies mei *l*):
25. Precor: noli, mi Deus, in vitæ meæ dimidio me auferre,
Tu, cujus anni æterni sunt.
26. Qui olim terram fundasti,
Et cœlum condidisti.
27. Utrumque quidem peribit, tu vero manebis;
Veterascent omnia sicuti vestis,
Ut tegumentum a te conversa mutabuntur.
28. Tu vero idem manes,
Anni tui non absolvuntur.
29. *Igitur etiam* cultores tui manebunt,
Eorumque posteri sub tua cura stabilientur.

PSALMUS CIII

Argumentum est excitatio primo poetæ ipsius, deinde populi, tandem universæ naturæ ad Deum laudandum et celebrandum, pro eximiis beneficiis sibi omnibusque hominibus exhibitis. Quod argumentum quamquam generale est, omnibusque temporibus regni Davidici aptum, tamen quoniam in primis versibus valetudinis

l) Timet vates, ne forte molestiis itineris succumbat et ante reditum in patriam moriatur. Rogat igitur, ut Deus pro veracitate sua eum una cum aliis piis salvum et incolumem esse jubeat.

recuperatæ et remiſſionis peccatorum mentionem facit, non improbabile videtur, ſcriptum eſſe hymnum hunc euchariſticum poſt mortem pueri ex Barhſeba nati,
2 Sam. 12, 20.

1. Davidis. Celebra, o anima mea, Jovam,
Et quidquid in me eſt, nomen ejus ſanctum.
2. Gratias age, o anima mea, Deo,
Nunquam immemor beneficiorum tibi collatorum.
3. Qui tibi ignoſcit peccata tua,
Et omnes morbos tuos ſanat.
4. Qui vitam tuam ab interitu ſervat,
Teque benignitate et miſericordia ornat.
5. Qui tempus matutinum *a)* vitæ tuæ bonis replet,
Tuamque juventutem inſtar aquilæ innovat.
6. Jus præſtat Jova,

Et

a) Admodum variant interpretes antiquiores et recentiores in explicando vocabulo עֲדִיֵּךְ. οἱ ὁ vertunt: τὴν ἐπιθυμίαν σου. Vulgatus: *deſiderium tuum.* Chaldæus: *dies ſenectutis tuæ*, (fortaſſe ex עַד *tempus diu durans*). Syrus: *corpus tuum. Venema:* vel *ornatum tuum*, vel *usque ad capacitatem tuam* ſ. *ſufficientiam*, h. e. quantum capere poſſis, ut עָרִיךְ ſcriptum ſit pro עַד דַּיִךְ. *Michaelis: tempus matutinum* ex arab. غدو (*Golius* p. 1691.) quæ explicatio, ut *Doederleinio* et *Knappio*, ita mihi quoque in tanta vocis ambiguitate probatur atque נְעוּרַיִם τῷ in altero membro bene reſpondet. *Seilerus: quam diu vives*, cum Chaldæo fortaſſe ab עַד derivavit.

Et juſtitiam iis, qui vi opprimuntur.
7. Manifeſtavit Moſi vias ſuas *b*),
Iſraelitis ſuam potentiam,
8. Miſericors et propitius eſt Jova,
Longanimis magnaque benignitate.
9. Non ſemper contendit,
Nec in perpetuum ſervat iram ſuam.
10. Non agit nobiscum ſecundum peccata noſtra,
Nec ſecundum iniquitates noſtras nobis rependit.
11. Quantum eminet cœlum ſuper terras,
Tantum ſuperat ejus benignitas erga omnes, qui eum reverentur.
12. Quantum diſtat Oriens ab Occidente,
Tam longe removet a nobis culpam noſtram.
13. Ut pater liberorum miſeretur,
Sic Jova miſeretur eorum, qui eum timent.
14. Novit enim conditionem noſtram,
Memor eſt *c*) nos pulverem eſſe.
15. Hominis vita gramini ſimilis eſt,

Ut

b) ſc. in apparitione illa, qua Moſen dignatus eſt. Cujus hiſtoria legitur Exod. 34. in qua etiam verba ſequentis verſus eadem leguntur verſ. 6.

c) Non placent puncta ſubjecta participii paſſivi זָכוּר ſed vel forma infinitivi זְכֹר vel participii זֹכֵר quod Syrus legit. Verſio græca in Cod. Alex. habet. ἐμνήσθη in Vat. μνησθητι.

Ut flos in campis viret.
16. Qui, ſi vento *orientali* afflatur, concidit,
Nec, quem tenuit locum, agnoſcit. —
17. Benignitas vero Jovæ erga cultores ejus perpetuo durat,
Et fides ejus per omnes ætates.
18. Erga eos, qui promiſſionum conditiones implent,
Et præceptorum ejus ſic meminerint, ut ea præſtent.
19. Jova quidem in cœlo thronum ſuum conſtituit,
Sed imperio ejus omnia ſubjecta ſunt.
20. Celebrate Jovam, vos ejus angeli,
Heroes fortes, qui ejus mandata exequimini,
Et dicto audientes eſtis.
21. Celebrate Jovam omnes exercitus ejus,
Qui quæ ei placent, promte exequimini.
22. Celebrate Jovam omnia ejus opera, in omnibus regni ejus locis,
Celebra, o anima mea, Jovam.

PSALMUS CIV

Celebrat potentiam, ſapientiam et benevolentiam Dei erga homines in creatione mundi et conſervatione rerum omnium conſpicuam.

1. Celebra, anima mea, Jovam,
Summus es, Jova mi Deus,
Decore et majeſtate præditus. —
2. Lucem induit tamquam veſtem,

Exten-

Extendit cœlum tamquam aulæum *a*).
3. Contignat aqua partem ſuperiorem domus ſuæ *b*),
Nubibus utitur pro curru,
Incedit ventorum alis.
4. Venti inſerviunt ei ut legati,
Miniſtri ejus ſunt ignes flammantes *c*).
5. Terram fundavit in baſi ſua,
Quæ nunquam movebitur. —
6. Mari tamquam veſte eum texiſti,
In montibus ſtant aquæ *d*).
7. Ab increpatione tua fugiunt,

A

a) Alludit ad morem, quo area domus velo aut aulæo obducitur. *Shaw* Itinerar. p. 183. verſ. germ.

b) De עליה parte ſuperiore domus vid. *Faber* in Archæologia Hebr. p. 442. et *Shaw* l. l. p. 188.

c) Jam a compluribus obſervatum eſt, hunc locum non agere de angelis, ſpiritibus illis inviſibilibus. Laudat divinus vates in toto carmine opera Dei viſibilia. Igitur hæc quoque verba nihil aliud dicunt, quam Deum uti vento et igne tanquam legatis aut miniſtris ad voluntatem ſuam in hac terra exequendam.

d) Loquitur de prima terræ noſtræ immutatione et productione. Ab initio tota ejus ſuperficies aqua erat tecta. Qua partim vento disjecta, partim ad alia loca translata montes quaſi emerſerunt et valles conſpiciebantur. Valde favet hic locus hypotheſi, ex qua hiſtoriam moſaicam de creatione terræ explicavi in notis ad Geneſ. 1, 1. pag. 3.

A ſonitu tonitru tui diſſipantur.

8. Montes ſe efferunt, valles ſubſident
In locis a te adaptatis.

9. Terminum conſtituiſti, quem non transeunt,
Non revertentur ad inundandam terram,

10. Fontes emittis in flumina,
Quæ inter montes promanant.

11. Potum præbent feris agreſtibus,
Sitim reſtinguunt onagris.

12. Habitant juxta eos aves aëreæ,
Inter arbores frondoſas cantantes.

13. Irrigas montes ex ædibus tuis ſuperioribus,
Frugibus a te productis terra ſatiatur.

14. Per te germinat gramen animalibus et herba
opera hominis.

Per te omnia, quæ victui inſerviunt, e terra
creſcunt *e*).

15. Vinum exhilarat animum hominis,

Ex

e) Obſervent tirones idiotiſmum linguæ in conſtructione infinitivi לְהוֹצִיא. Ellipſis eſt verbi ſubſtantivi הָיָה cum quo alias infinitivus conſtruitur et periphraſin facit verbi finiti, e. c. Geneſ. 15, 12. Num. 8, 11. Job. 5, 11. Referendus eſt hujusmodi infinitivus ad verbum finitum quod præcedit. Igitur in noſtro loco reſpondet רְוֵּה מַצְמִיחַ et רְוֵּה תִשְׂבַּע in præcedenti verſu, et de Deo eſt explicandus.

Ex oleo facies ejus ſplendet *f*),
Et panis cor ejus roborat. —
16. Saturantur arbores Jovæ,
Cedri Libani, quas plantavit.
17. Ubi aves nidificant,
Ciconia *g*), cujus domus eſt abies.
18. Montes altiſſimi damis *h*),
Petræ refugium præbent muribus *i*).

19. Lu-

f) Nonnulli interpretes vocabulum מִשְׁמָן comparative dictum volunt: *ſplendet facies magis quam ex unguentis.* Concedo equidem verba admittere hanc explicationem. Attamen contextui videtur aptius eſſe, ſi *oleum* quoque tanquam novum beneficium commemoratur, quo Deus homines recreet. Non obſtat conſtructio infinitivi לְהַצְהִיל quæ eadem ratione explicanda eſt, qua in præcedente nota jam eſt obſervatum.

g) De חֲסִידָה *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. II. Cap. 28. et 29. p. 321 ſeqq. pluribus egit atque *ciconiam* eſſe aſſeruit; contra quem *Michaelis* in quæſtionibus arab. p. 337. diſputavit atque *accipitrem* eſſe contendit.

h) De יְעֵלִים cf. *Bochartus* l. c. P. I. Lib. III. Cap. 23. p. 915. et *Michaelis* l. c. p. 221.

i) De שְׁפַנִּים egerunt *Bochartus* l. c. P. I. Lib. III. Cap. 33. p. 1002. *Michaelis* l. c. p. 260. *Shaw* in Itinerar. p. 156. verſ. germ. *Haſſelquiſt* in Itinerar. Palæſt. p. 209. et *Niebuhr* in Deſcript. Arab. p. 167.

19. Lunam fecit ad ſtata tempora,
Novit ſolis occaſum. — *k*)
20. Tenebras inducis et nox ingruit,
Tum progrediuntur ſilveſtria animalia.
21. Leones rugiunt ad prædam,
Ad petendum a Deo cibum ſuum.
22. Exorto ſole ſe recipiunt,
Et in luſtris ſuis recubant.
23. Egreditur homo ad laborem ſuum,
Ad agriculturam usque ad veſperam. —
24. Quam multa ſunt tua opera, o Jova!
Omnia ſapienter inſtituiſti,
Repleta eſt terra bonis tuis. —
25. Mare illud magnum et late patens,
Ubi natant animalia innumera, parva et magna.
26. Ibi

k) Plerique interpretes hoc membrum de ſole ipſo explicant: *ſol novit occaſum ſuum.* Sed recte, uti arbitror, *Venema* objicit, non apparere cur ſanctus vates a Deo tanquam cauſa ad ſolem agentem ſtilum flecteret, cum ante et poſt de Deo loquatur: *facit lunam et ponit tenebras.* Deus quoque rectius *noſſe* dicitur ſolis occaſum, quam ſol ſui ipſius; modo illud *noſſe* practice pro *curare* ſumatur, uti alias e. c. Deut. 33, 9. Prov. 5, 6. 9, 13. Deus igitur *ſolis occaſum noſſe* dicitur, quatenus cura ſua efficit, ut ſicuti oriatur, ita etiam *occidat* ſol, noctisque ac diei viciſſitudines conſtanter durent. Hactenus *Venema.*

26. Ibi naves eunt —
Balæna, quam condidiſti, ut ludat in eo *l*).
27. Omnia te expectant, ut cibum eis ſuo tempore præbeas.
28. Præbes eis et colligunt,
Aperta manu eis largiris et bonis ſatiantur.
29. Benignitate tua eis ſubtracta terrentur,
Si ſpiritum eis eripis, exanimantur,
Et rediguntur in id, quod erant, in pulverem.
30. Te jubente exiſtunt, novamque terræ faciem inducis. —
31. Dei majeſtas perpetua eſt,
Lætatur Jova de ſuis operibus.
32. Aſpicit terram et tremit,
Tangit montes et fumant. —
33. Canam Jovam, quamdiu vivam,
Pſallam Deo meo, dum ſuperero.
34. Placeat ei meus ſermo, gaudeo de Jova.
35. Tollantur e medio peccatores,
Non amplius exiſtant impii. —
Celebra, anima mea, Jovam, laudate Deum!

PSAL-

l) h. e. ut ſe pro lubitu moveat et divagetur per aquas. Similis locus eſt Job. 40, 15: *omnes beſtiæ agreſtes ludunt ibi*, ſc. in montibus.

PSALMUS CV.

Primi ſedecim verſus hujus Pſalmi partem conſtituunt carminis illius, quod David compoſuit, quum arcam Dei ex ædibus Obededomi in ſuam arcem transferret, quod legitur 1 Chron. 16, 8-36. Quoniam autem tantum particula hujus Pſalmi ibi exſtat, et reliqua, quæ inde a verſ. 17. usque ad finem leguntur, materiam illam, quam David ibi attigerat, plenius tractant: minus probabile videtur, quod Michaelis arbitratur, Pſalmum integrum ſic a Davide eſſe compoſitum et occaſione illa ſolenni decantatum, modo non totum libro Chronicorum inſertum. Etenim non appareret, cur media hæc carminis particula in libro Chronicorum omiſſa ſit, quum poſtremam partem a verſ. 23—36. inſeruerit. Equidem arbitror, hunc Pſalmum eadem occaſione compoſitum eſſe, qua Pſalmum ſextum et nonageſimum, qui alteram particulam continet carminis illius longioris Davidici, quod l. c. Chronicorum legitur, ſcriptum eſſe conjectavi; nempe in conſecratione templi ſecundi poſt reditum ex exilio Babylonico, et virum ſanctum illius temporis priorem illius carminis Davidici partem peculiari carmini deſtinaſſe, uti poſteriorem vel ipſe, vel alius eidem ſolennitati adhibendam curavit, quæ ſextum et nonageſimum noſtræ collectionis conſtituit. Illi autem reliquam hiſtoriæ partem attexuit usque ad ingreſſum populi in terram promiſſam, quum David tantum beneficia in Abrahamum, Iſaacum et Jacobum collata breviter commemoraſſet.

1. Laudate Jovam, celebrate nomen ejus,
Prædicate inter gentes *a*) ejus facta.

2. Canite

a) Equidem non video cur ſub gentibus h. l. non gentiles,

2. Canite eum, pſallite ei,
Narrate tot ejus facta mirabilia.
3. Gloriamini de nomine ejus ſancto,
Lætetur animus eorum, qui Jovæ ſtudent.
4. Hunc implorate ejusque potentiam,
Ad eum vos *precibus veſtris* convertite.
5. Recordamini rerum mirabilium, quas fecit,
Prodigiorum et judiciorum ejus.
6. O poſteri Abrahami, cultoris ejus,
O filii Jacobi, quem ſuum eſſe voluit *b*).
7. Hic Jova eſt Deus noſter,
Qui toti terrarum orbi imperat.
8. Recordatur in perpetuum fœderis ſui,
Promiſſionis in mille ætates datæ.

les, ſive nationes exteræ, ſed tribus Iſraeliticæ poſſint intelligi, quæ ſententia eſt *Michaelis* et *Knappii*. Excitantur Iſraelitæ de factis Dei ſui mirandis jam ſatis edocti et perſuaſi, etiam inter gentes vicinas hujus Dei gloriam et potentiam prædicare et celebrare.

b) In textu legitur numerus pluralis בחיריו. Sic Jacobitæ *electi* Dei ſ. ab eo amati dicerentur. Quanquam hanc lectionem etiam οἱ ὁ, Vulgatus et Chaldæus exprimunt, nec non locus parallelus 1 Chron. 16, 13; tamen numerus ſingularis בחירו videtur præferendus ob parallelismum membrorum. Sic quoque legit Syrus interpres et habent duo codices *Kennicotti* 39. et 142. nec tamen magnæ auctoritatis ex ſententia *Brunſii*.

9. *Fœderis,* quod cum Abrahamo pepigit,
Et jurisjurandi Isaaco repetiti.
10. Quod confirmavit Jacobo, ut decreti instar esset,
Israelitis in perpetuum sancitum.
11. Tibi dabo, inquiebat, terram Cananæam,
Portionem jure hæreditario possidendam,
12. Quum essent numero pauci,
Exigui, peregrini in ea.
13. Ab alia gente ad aliam migrantes,
Ex alio regno ad nationem aliam.
14. Nec tamen permisit ulli, eos opprimere,
In reges adeo propter eos animadvertit.
15. Ne offendatis, *ajebat,* unctos meos *c*),
Ne noceatis meis prophetis.
16. Deinde quum famem in terram adduxisset,
Sublato omnis generis alimento,
17. Misit ante eos hominem,
In servitutem venditum Josephum.
18. Quem compedibus afflixerunt *d*),
Et ferreis instrumentis constrinxerunt.
19. Usque ad illud tempus, quo Jovæ promissum evenit,
Ejusque dictum, qui eum exploraverat.
20. Misit

c) cf. observat. ad 1 Chron. 16, 22.

d) In historia mosaica hæc non leguntur. Igitur ex traditione hæc nota fuerunt et initio captivitatis suæ durius fortasse habitus est Josephus.

20. Miſit rex, eumque expediri juſſit,
Solvit eum vinculis populi dominator.
21. Conſtituit eum dominum domus ſuæ,
Omniumque facultatum ſuarum gubernatorem,
22. Ut pro arbitrio ageret cum ſuis principibus,
Et ſenatores inſtrueret.
23. Tum venit Iſrael in Aegyptum,
Jacobus peregrinatus eſt in terra Chami.
24. *Jova vero* populum vehementer auxit,
Eumque hoſtibus ſuis fecit potentiorem.
25. Hinc mente mutati odio perſequebantur ejus populum,
Et dolos nectebant contra ejus cultores.
26. Tum miſit Moſen miniſtrum ſuum,
Aaronem, quem elegerat.
27. Qui inter eos varia ſigna ederent,
Et prodigia in terra Chami.
28. Tenebras eis induxit,
Nec tamen morem geſſerunt *e*).

e) Verba textus ולא מרו את־דבריו minus commode ad Moſen et Aaronem a nonnullis interpretibus referuntur, qui fidem habuiſſent promiſſioni divinæ de liberandis Iſraelitis atque plagas inſtantes Aegyptiis prædixiſſent. Nam, ut taceam, plagam tenebrarum ultimam fuiſſe ante primogenitos occiſos Exod. 10, 21. (auctor Pſalmi ordinem, quo Moſes hæc mala immiſſa narra-

29. Mutavit aquam in ſanguinem,

Eorum-

narravit, non tenuit) igitur Moſes et Aaron non tum demum coeperunt fidem habere dictis Dei: contextus docet divinum vatem recenſere plagas illas, quibus Aegyptii a Deo afflicti fuerunt, cui minus apte hæc laus Moſis et Aaronis interſeritur. — *Hubigantius* conjectat legendum eſſe Hophal הוּמְרוּ a מוּר *mutare*, vertit: *et non immutata ſunt verba ejus*, i. e. ea quæ mandarat, ut fierent, facta ſunt. Quam præter hanc addit conjecturam; niſi forte legendum יִמְרוּ; non intelligo. *Venema* ellipſi particulæ עוֹד *amplius*, difficultatem removere tentavit: *non amplius detrectarunt*, ſc. Aegyptii, populum dimittere, ſed ad libertatem ei concedendam cœperunt inclinare; quod factum eſſe a Pharaone legimus Exod. 10, 24. — At vereor ne utraque explicatio nimis quæſita videatur viris doctis, qui facilitatem in interpretationibus deſiderant. Lectio recepta, omiſſione particulæ negativæ ולא (qua admiſſa omnis difficultas eſſet remota) non videtur ſollicitanda, quanquam eam omittunt οἱ ὁ et Syrus. Habent enim eam Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotio, Quinta, Vulgatus et Hieronymus. Atque fortaſſe illi quoque interpretes eam legerunt, ſi ſumatur, eos hæc verba eadem ratione intellexiſſe, qua ego ea jam in notis ad Pſalterium Syriacum explicavi, ut לא poſitum ſit pro הֲלֹא *nonne rebellarunt?* cujusmodi interrogationes, uti conſtat, eo fortius affirmant. — Sed ingenue fateor, me in hac quoque explicatione facilitatem illam deſiderare, quam ſupra aliis deeſſe judicabam.

Eorumque piſces interfecit.
30. Scatuit terra eorum ranis,
Quæ ad conclavia regia penetrarent.
31. Juſſit et venerunt muſcæ caninæ,
Culices in tota eorum regione *f*).
32. Dedit eis grandinem loco pluviæ,
Ignem flammantem eorum terræ immiſit.
33. Contudit eorum vites et ficus,
Confregit finium eorum arbores.
34. Juſſit et venerunt locuſtæ,
Bruchi innumerabiles.
35. Qui abſumſerunt omnes terræ herbas,
Et fructus agrorum conſumſerunt.
36. Percuſſit omnes terræ primogenitos,
Primitias *paternæ* virtutis ſ. roboris.
37. Eduxit eos argento et auro *onuſtos*,
Nemine in eorum tribubus infirmo.
38. Lætabantur Aegyptii ob eorum exitum,
Nam terrore erant ob eos perculſi.
39. Expandit nubem in *eorum* tegumentum,
Ignem noctu præbuit, qui luceret.
40. Petentibus coturnices adduxit,
Pane cœleſti eos ſatiavit.
41. Aperuit petram et fluxit aqua,
Manarunt in locis aridis flumina.

 42. Me-

f) cf. obſervata ad Exod. 8. not. a. c.

42. Memor enim erat promiſſi ſui ſancti,
Abrahami cultoris ſui.
43. Eduxit populum ſuum cum lætitia,
Cum cantu ſuos delectos.
44. Dedit eis terram gentium,
Opibus g) populorum potiti ſunt.
45. Ut obſervarent ejus ſtatuta,
Atque ex legibus ejus viverent. Laudate Deum!

PSALMUS CVI

Continet enarrationem continuæ ingratitudinis et rebellionis Iſraelitarum erga Deum et hujus ſummæ indulgentiæ et clementiæ, qua poenas ſuas in populum adeo rebellem per multos annos temperavit, donec tandem eum in captivitatem abduci permitteret, in qua tamen etiam benignitatem Dei experti ſunt. Hanc grati et poenitentes agnoſcunt et laudant. — Mihi quidem hic quoque Pſalmus, uti præcedens et aliquot alii, in ſolennitatem conſecrationis templi ſecundi poſt reditum ex exilio Babylonico videtur compoſitus.

1. Laudate Deum, celebrate Jovam,
Nam bonus eſt et gratia ejus æterna.
2. Quis verbis eloqui poteſt Jovæ virtutes?
Quis commemorare omnes ejus laudes?
3. Beati, qui integre vivunt,

Qui

g) hebr. עָמָל *labore* h. l. metonym. pro: labore partis.

Qui præſtant *a*) omni tempore, quod juſtum eſt.

4. Memento noſtri pro benevolentia in populum tuum,
Præſta nobis *b*) ſalutem tuam.

5. Ut voluptatem capiam ex felicitate electorum tuorum,
Ut læter de lætitia gentis tuæ,
Et glorier cum peculio tuo.

6. Peccavimus cum majoribus noſtris,
Inique et impie egimus.

7. Majores noſtri in Aegypto non ſatis conſiderarunt miracula tua,
Immemores multorum tuorum beneficiorum,
Rebellarunt aſcendentes *c*) ad ſinum Arabicum. —

a) Pro עֹשֵׂה legendum eſt ſine dubio עֹשֵׂי. Sic οἱ ὁ, ποιοῦντες δικαιοσύνην, Syrus עָבְדִין, duodecim codices *Kennicotti*, et probat paralleliſmus membrorum. Reſpondet enim τοῖς שֹׁמְרֵי in priore membro.

b) οἱ ὁ et Syrus legerunt numerum pluralem זכרנו et פקדנו. Sic quoque eſt in verſ. 6. et 7. et in tribus codicibus *Kennicotti*.

c) Verba textus ſunt: וַיָּמְרוּ עַל־יָם בְּיַם־סוּף *rebellarunt juxta mare in mari algoſo*. Repetitio verborum *juxta mare* et *in mari*, cum perquam redundans ſit, nec ullam vim addat contexto ſermoni, facile ſuſpicionem erroris a ſcribis admiſſi movere poteſt. Quæ eo major

et

8. Sed ſervabat eos propter nomen ſuum,
Ut manifeſtaret ſuam potentiam.

9. Juſſit

et juſtior videri debet, quo elegantiorem lectionem οἱ ὁ exhibent, loco illius minus commodæ et aptæ. Hi enim vertunt: καὶ παρεπίκραναν ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Plane apparet eos pro duabus vocibus יַם עַל legiſſe unam עֲלִים *aſcendentes*. Quam lectionem parum perite et tantum contradicendi ſtudio *valde incommodam* judicavit *Buxtorfius* in Anticrit. p. 619, cum *Cappellus* ſenſum illius lectionis *percommodum* dixiſſet (in Critica S. p. 687. edit. Halenſ.) quoniam Iſraelitæ non *aſcendentes in mare*, ſed *deſcendentes* potius dici debuiſſent. Ex uſu verbi עָלָה perpetuo in codice hebræo, quo illi qui ex Aegypto in Cananæam iter faciunt, *aſcendere* dicuntur, uti contra, qui ex Cananæa in Aegyptum proficiſcuntur, *deſcendere* dicuntur, *Buxtorfius* facile poterat intelligere, ἀναβαίνοντες non cum verbis ἐν τῇ θαλάσσῃ ſed cum παρεπίκραναν conſtruendum eſſe: *rebellarunt aſcendentes* ſc. ex Aegypto, cujus etiam initio hujus ipſius verſus mentio facta eſt. At *Hubigantius* acute vidit non bene cohærere hæc verba ex illa lectione cum ſequentibus: *ſervavit eos propter nomen ſuum*, quod ille *qui ſervavit* in antecedentibus non eſt nominatus. Propterea עֲלִים mutat in אֱלֹהִים, *Deum* irritarunt ad mare rubrum, qui tamen eos ſervavit etc. Approbat conjecturam *Venema*, ita tamen ut eam emendet et faciliorem reddat. Nimirum mavult legere עֶלְיוֹן *altiſſimus*, quod utique minus in literis diſcrepat ab עלים

quam

9. Juſſit et mare exaruit,
Duxit eos per aquarum voragines tamquam per deſertum.
10. Defendit eos ab adverſariis,
Liberavit eos ab hoſtibus.
11. Obruit aqua eorum hoſtes,
Ne uno quidem relicto.
12. Tum fidem habebant ejus dictis,
Et laudes ejus canebant.
13. Sed mox factorum ejus obliti,
Non expectarunt, quid præſtiturus ſit *d*).
14. Sed

quam אלהים et non parum firmatur ex ſimili loco Pſ. 78, 17. לַמְרוֹת עֶלְיוֹן. Quam elegans ſit hæc conjectura, periti facile intelligent. Equidem fateor optionem inter utramque difficilem videri, ſed alterutram veram eſſe, quovis pignore certarem. In verſione poſui lectionem *τῶν ὁ*, quoniam horum auctoritas, cum in codice ſuo haud dubie עליהם legerint, major videri debeat, quam pura puta conjectura, quamvis probabilis. Dubitatio, quam contra hanc lectionem movet *Venema:* Iſraelitas tam abſolute, nulla addita voce, vix commode appellari poſſe *aſcendentes*, non magni momenti videtur. Nam legitur nominativus in hoc ipſo verſu אֲבוֹתֵינוּ ad quem verbum וימרו facillime refertur; *majores noſtri non intellexerunt — — et rebellarunt aſcendentes.*

d) hebr. לַעֲצָתוֹ *conſilium ejus.* Metonymice cauſa efficiens

14. Sed vehementi desiderio impulsi in deserto,
Tentarunt Deum in solitudine.
15. Dedit quod petierant,
Sed pestem quoque eis immisit *e*).
16. Inviderunt Mosi in castris,
Aaroni Jovæ consecrato *f*).
17. Terra hians devoravit Datanem,
Obtexit cœtum Abirami.
18. Ignis exarsit in eorum cœtum,
Flamma incendit impios.
19. Fecerunt vitulum ad Horebum,
Adorarunt fusum simulacrum.
20. Mutarunt Deum suum *g*)
In imaginem bovis, qui gramine pascitur.
21. Obliti sunt Dei, defensoris sui,
Qui res maximas fecerat in Aegypto.
22. Mira in terra Chami,
Tremenda ad sinum Arabicum.

23. Mina-

ciens pro effectu ponitur, et sensus est: tempus et modum auxilii divini non expectarunt, ut Ps. 103, 4. gratia et misericordia cingi dicitur, qui variis beneficiis afficitur. — Respicitur ad historiam Exod. 15, 24.

e) Historia legitur Num. 11, 1 seqq.

f) cf. Num. 16, 1 seqq.

g) hebr. כְּבוֹדָם *gloriam suam*, h. e. de quo gloriari poterant et debebant, cf. Ps. 3, 4. Historia legitur Exod. 32, 2 seqq. coll. Deut. 9, 16.

23. Minabatur eos perdere, nisi Moses dilectus ejus
interceſſiſſet,
Avertendo iram ejus, quominus eos perderet. —
24. Contemnebant terram deſiderabilem *h*),
Non fidem habebant ejus dictis.
25. Et in tentoriis ſuis murmurantes
Morem ei non geſſerunt.
26. Tum ſublata manu juravit,
Eos proſternere in deſerto.
27. Diſſipare eorum poſteros inter gentes,
Diſpergere per regiones. —
28. Faſciis ſeſe ornarunt *i*) in honorem Baal Peoris,
Et comederunt ſacrificia idolis mortuis oblata.
29. Adeo eum irritarunt ſuis facinoribus,
Ut plaga inter eos graſſaretur.
30. Sed obſtitit Pineas et vindicavit ſcelus,
Et coercita eſt plaga.
31. Quo facto dignus habitus eſt præmio,
Per omnes generationes in æternum duraturo. —
32. Irritarunt eum ad aquas Meribæ,
Quæ res propter ipſos Moſi quoque male ceſſit *k*).
33. Nam eum exacerbarunt,
Ut inconſiderate loqueretur. —

34. Non

h) vid. Num. 13, 25 ſeqq. et 14, 1—34.
i) cf. Num. 25, 1 ſeqq. et not. b).
k) cf. Num. 20, 2 ſeqq. et not. c).

34. Non perdiderunt gentes,
Quod tamen Jova eis præceperat.
35. Admiſcebant ſe iſtis gentibus,
Et diſcebant eorum facinora.
36. Coluerunt eorum idola,
Quæ ipſis fuerunt pernicioſa.
37. Sacrificarunt filios filiasque ſuas dæmonibus *l*).
38. Effuderunt ſanguinem innocentem,
Sanguinem liberorum ſuorum, quos idolis Cananitarum immolabant,
Quo facto terra cædibus contaminabatur.
39. Polluebant ſeſe factis ſuis,
Scortantes cum idolis ab ipſis factis.
40. Propterea ira Jovæ exarſit in populum ſuum,
Abo-

l) hebr. שֵׁדִים. In origine hujus vocis explicanda viri docti diſſentiunt. Aſſentior *Lud. de Dieu*, qui (in Critica S. ad Matth. 10, 32.) confert Syr. ̣ ̣ et utrumque deducit ab arab. سأد *dominatus eſt.* Hinc שֵׁדִים ex origine ſunt gentilium *dæmones*, qui erant heroes, principes, qui aliis dominabantur et deinde in divorum numerum referebantur. At *Michaelis* idem quidem verbum arabicum confert, ſed ex alia ejus ſignificatione nomen explicat. Nempe سأد media Keſrata (vid. *Golius* p. 1233.) eſt *niger fuit, nigricavit.* Hinc putat שדים ſignificare Deos malos, q. d. nigri Dii, quod eis ſacrificia humana crudeliſſimo cultu offerebantur.

Abominabatur ſuum peculium.
41. Tradidit eos gentibus,
Dominabantur eis eorum adverſarii.
42. Vexabant eos hoſtes,
A quibus ſubjugati tenebantur.
43. Sæpe quidem eos liberabat,
Sed rebellabant conſiliis ſuis *contrariis*,
Ut tandem propter perverſitatem ſuum conficerentur.
44. Et tamen reſpexit eos in his ſuis anguſtiis,
Quum audiret eorum querelas.
45. Recordatus eſt fœderis cum eis initi,
Eorum miſertus pro magna ſua benignitate.
46. Conciliabat eis miſericordiam,
Apud quos captivi tenebantur. —
47. Serva nos, Jova Deus noſter! collige nos ex gentibus,
Ut nomen tuum ſanctum prædicemus,
Laudesque tuas celebremus.
48. Laudetur Jova Deus Iſraelitarum ab æterno in æternum,
Et omnis populus dicat Amen! Laudetur Deus *m*)!

LIBER

m) Leguntur quidem hi duo verſus extremi 1 Chron. 16, 34. 35. Sed hæc non probant, Davidem eſſe hujus Pſalmi auctorem. Potuerunt enim reduces ex exilio id ipſum

LIBER QUINTUS

PSALMUS CVII

Hic Pſalmus continet laudes providentiæ divinæ generalioris, quæ ſe erga omnes homines exſerit. Quod argumentum ita tractatur, ut exempla quædam commemorentur, ex quibus ſingularis illa Dei benignitas, potentia et ſapientia in gubernatione hujus univerſi cognoſci poſſit. Primo exules 2—9, deinde captivi 10—16, vere tio ægroti 17—22, quarto navigantes 23—32. tandem aliæ regionum et populorum mutationes, ex quibus Dei potentia et juſtitia cognoſci poteſt, 33—43. Quo tempore aut qua occaſione ſcriptum carmen ſit, incertum eſt. Sed nihil impedit, quo minus etiam, uti præcedentes, ad prima tempora reditus ex exilio Babylonico referatur, de quo ſaltem prima pars commode poteſt explicari.

1. Laudate Jovam, nam bonus eſt,
Et gratia ejus eſt æterna.
2. Ita dicant a Jova redemti,
Quos ex calamitate liberavit.
3. Quos ex variis regionibus congregavit,
Ex oriente et occidente, ex ſeptentrione et auſtro *a*).

4. Erra-

ipſum petere pro populatibus ſuis adhuc diſperſis inter gentes. Conſtat enim non uno eodemque tempore omnes dimiſſos eſſe, aut rediiſſe quoque in patriam — .

a) hebr. מִיָּם *a mari.* Contextus requirit plagam meridionalem. Igitur *mare* h. l. non mare mediterraneum eſſe poteſt, uti alias ſæpe, ſed mare rubrum ſ. arabicum,

4. Errabant in deſerto et ſolitudine,
Nusquam oppidum habitatum inveniebant.
5. Fame et ſiti laborantes,
Animi fere deliquium patiebantur.
6. Qui in his anguſtiis conſtituti ad Jovam clamabant,
Ab eo ex calamitatibus ſuis ſunt liberati.
7. Duxit eos via recta ad oppidum habitatum.
8. Hi celebrent Jovæ benignitatem,
Ejusque admiranda beneficia inter homines.
9. Nam ſitientibus explevit ſitim,
Atque eſurientes abunde ſatiavit. —
10. Qui in caligine et tenebris verſantes
Miſeria et ferro conſtricti tenentur,
11. Quod rebellarunt contra Deum,
Et voluntatem altiſſimi contemſerunt.
12. Quorum faſtum depreſſit calamitate,
Ut nemine auxiliante corruerent.
13. Hi clamabant ad Jovam in hac ſua calamitate,
Qui eos ex anguſtiis ſuis liberavit.
14. Edu-

cum, quod *verſus meridiem* protenditur atque etiam mare abſolute dicitur Pſ. 114, 3. 5. *Michaelis* ex conjectura, quæ jam *Clerico* in mentem venerat, legi vult: מימין *a dextra*, h. e. meridie. Sed non opus eſt mutare lectionem, in qua omnes verſiones antiquæ conſentiunt. Chaldæus interpres eandem, quam ſupra poſui, explicationem dedit: מן ימא דרומא *de mari auſtrali.*

14. Eduxit eos ex tenebris et mortis præſentiſſimo
periculo,
Rupit eorum vincula.
15. Hi laudent Jovæ benignitatem,
Ejusque admiranda beneficia inter homines.
16. Quod fores æneas effregerit,
Et clauſtra ferrea avulſerit. —
17. Stulti, qui propter vitæ ſuæ improbitatem
Peccatorum ſuorum poenas luunt.
18. Qui cibum omnem faſtidiunt,
Et non multum a mortis limine abſunt,
19. Clamant ad Jovam in his ſuis angoribus,
Liberat eos ex eorum calamitatibus.
20. Jubet et convaleſcunt,
Et ſic efficit, ut ſepulcro evadant.
21. Hi laudent Jovæ benignitatem,
Et quæ inter homines edit miranda.
22. Offerant Deo ſacrificia eucharistica,
Et læti enarrent, quæ fecit. —
23. Qui naves conſcendunt
Per vaſtum pelagus negotiantes.
24. Hi vident Jovæ opera,
Miranda ejus in abyſſo.
25. Jubet et oritur tempeſtas,
Quæ fluctus maris attollit.
26. Ad cœlum usque adſcendunt, ad imas voragines
deſcendunt,

In

In quo tanto periculo animus eis deficit.
27. Titubant et vacillant ut ebrius,
Omni consilio aut peritia destituti.
28. Tunc clamant ad Jovam in tanta angustia,
Qui eos ex periculis liberat.
29. Tranquillat tempestatem ut sileat,
Sedat fluctus.
30. Qua illi tranquillitate læti
Ducuntur ab eo ad portum optatum.
31. Hi laudent Jovæ benignitatem,
Et quæ hominibus confert eximia beneficia.
32. Extollant eum in conventu solenni,
Celebrent eum in consessu seniorum. —
33. Mutat loca irrigua in deserta,
Aquarum scaturigines in loca arida.
34. Terram frugiferam mutat in sterilem,
Propter incolarum improbitatem.
35. Desertum *contra* mutat in terram aquosam,
Et in terra arida producit aquarum scaturigines.
36. Habitandam eam tradit famelicis,
Qui oppida ibi condant,
37. Agros colant, vineas conserant,
Et frugum proventus percipiant.
38. Et sic eo benedicente valde augescunt,
Neque minus eorum pecudes.
39. *Alii contra* decrescunt et deprimuntur,
Calamitate et miseria confecti.

40. Effundit contemtum in principes,
Eosque per loca invia facit divagari.
41. Inopem e ſtatu afflicto extollit,
Et auget ejus familiam ad inſtar gregis.
42. Quæ quum vident probi lætantur,
Impii vero coguntur obmuteſcere. —
43. Sapiens ad hæc attendit,
Et conſiderat multiplicem Dei benignitatem.

PSALMUS CVIII

Hic Pſalmus ex duobus, qui jam in hac collectione extant, eſt compoſitus. Nempe ex Pſalmo 57, 8 ſeqq. atque ex 60, 7 ſeqq. Num hæc duorum carminum repetitio ab ipſo David facta ſit, an ab alio, prorſus incertum eſt. Attamen fieri potuit, ut ipſe David votorum ſuorum compos factus omiſſis querelis illis, in quibus illi Pſalmi incipiunt, ex utroque unum tantum idque totum triumphale et euchariſticum carmen componeret. — Venema ſerius hoc factum eſſe putat, temporibus Maccabæorum, fortaſſe ſub Hyrcano, cujus victoriis carmina hæc Davidica eſſent accommodata.

1. Canticum. Pſalmus Davidis.
2. Paratus eſt animus meus, o Deus,
Canam et pſallam, *paratus eſt* animus meus *a*).
3. Ex-

a) Verba textus אַף כְּבֹדִי duplicem in modum poſſunt explicari; vel ut repetatur נכון ex priori membro; vel ut ſumatur excidiſſe עורה ante כבודי quod in Pſ.

57,

3. Expergiſcere nablium et cithara,
Excitabo auroram *b*).
4. Te laudabo inter gentes, Jova,
Te inter nationes canam.
5. Cœlum ſuperat tua benignitas,
Summas nubes tua fides.
6. Attolle te ſuper cœlum, o Deus,
Per omnem terram *oſtende* tuam gloriam.
7. Ut eripiantur dilecti tui *c*),
Serva nos pro tua potentia et exaudi nos.
8. Deus ſuas mihi dedit promiſſiones. Exſulto.
Dividam Sichemum, vallemque Succoth dimetiar.
9. Mea eſt Gilead, mea Manaſſes,
Ephraim tribus validiſſima mea eſt,
Ut et tribus Juda princeps.
10. Moab labrum mihi eſt eluacrum,
In Edomitas projicio calceum meum,
Super Philiſtæis triumphum cano.
11. Quis me ducet ad urbem munitam?
Quis me comitabitur adverſus Edomitas?

 12. Non-

57, 9. legitur. Illud, utpote facilius, in verſione ſecutus ſum. Cæterum כבוד nomen poeticum eſt *animi*. cf. Pſ. 16, 19. 30, 13.

b) cf. not. ad Pſ. 57, 9.

c) Incipit locus ex Pſalmo 60. a verſu ejus ſeptimo; ex quo transferantur notæ et explicationes textus et verſionis meæ.

12. Nonne tu, o Deus, qui nos deſerueras?
Nonne tu, o Deus, cum exercitu noſtro egredieris?
13. Præſta nobis auxilium poſt tanta mala,
Hominum enim auxilium parum prodeſt.
14. Deo juvante magna præſtabimus,
Ille enim hoſtes noſtros ſubiget.

PSALMUS CIX

Implorat David auxilium divinum et defenſionem ab hoſtibus infenſiſſimis, quibus propter odium eorum immeritum poenas graviſſimas imprecatur a Deo infligendas. — Fuerunt, qui has imprecationes utpote nimis atroces, Davidis perſonæ indignas judicarent, et dicerent eas non eſſe Davidis, ſed hoſtium, quos ille loquentes et tanta mala ei imprecantes induceret, idque ex verſſ. 4. 5. 28. 31. clarum eſſe contenderent. — At enim vero fateor, mihi hanc rationem excuſandi harum imprecationum duritiem non probari. Atque haud ſcio, an ſatis excuſetur David, ſi ex ſententia eorum in verſ. 20. optat, ut omnia illa mala hoſtibus ſuis a Deo immittantur. Nonne hoc idem eſt, ac ſi illas diras exſecrationes totidem verbis ipſe dixiſſet? Verſus autem citatos minime pugnare cum ea ſententia, quæ omnes illas imprecationes a Davide ipſo dictas eſſe concedit, ex verſione patebit. — Alia ratione Doederlein (in Scholiis ad libros poet. Veſt. Teſt.) excuſavit nimium illum animi fervorem Davidis aut commotionem in hoſtes ſuos. Dicit nempe, leges Moſaicas jam minari mala illa omnia ſ. poenas divinas, quæ in Pſalmo leguntur, impiis hominibus. Igitur ſi homines pii ab illis injuriam, vim, odium experti eſſent, eos, certiſſime perſuaſos, legislatoris comminationes non eſſe vanas, non potuiſſe non mala malis augurari et infauſta prædicere.

cere. — Jam ingenium poetæ — — exagitatum atque injuriæ domeſticæ ſenſu exæſtuans minas divinæ legis repetere, idque pro fervore ſuo animique vehementia formulis atrocioribus et vehementioribus. — Recte illa quidem a Viro Doctiſſimo dicta ſunt; tamen exiſtimo aliam obſervationem addendam eſſe, ex qua hic locus, ut alia in Pſalmis paſſim obvia, e. c. Pſ. 18, 38 — 41. 54, 1. 7. 9. 69, 24 — 29. ſit dijudicandus. Nondum erat hominibus illorum temporum ea perfectio virtutis, et omnium minime amoris erga hoſtes, ad quam Chriſti demum diſcipuli ejus exemplo et præceptis excitati adſpirare poſſunt et debent, Matth. 5, 43. 44. (Niemeyer in Characteriſt. Bibl. P. IV. p. 166. qui tamen de noſtro Pſalmo aliter judicat). Cæterum aſſentior illis interpretibus, qui ſtatuunt, Davidem hunc Pſalmum in fuga ab Abſolomo filio ſuo feciſſe, atque conqueri maxime de perfidia Ahitophelis amici quondam ſui, quem tanto honore et favore dignatus fuerat, 2 Sam. 16, 23. fortaſſe etiam de injuria, qua a Simei in fuga ex urbe afficiebatur, l. c. verſ. 5 — 13. Petrus autem Act. 1, 16. verba verſus octavi accommodavit tantum ad Judam Chriſti proditorem: æquum eſſe, ei evenire, quod Ahitopheli evenerat, cujus perfidiam eſſet imitatus. — Vid. S. R. Roſenmulleri Scholia in N. T. ad h. l.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
O Deus, quo glorior, noli mihi deeſſe.
2. Impii enim et fraudulenti homines ore aperto
Loquuntur adverſus me mendacia.
3. Verbis maledicis me aggrediuntur,
Meque impugnant immerito.
4. Amorem meum odio rependunt,

Sed ego precor *a*).

5. Rependunt mihi malum pro bono,
Odium pro amore. —
6. Trade eum impio judici,
Accuſator ſtet ad dextram ejus *b*).
7. In judicio damnetur,
Et deprecatio ejus habeatur pro crimine.
8. Vita ei ſit brevis,
Munus ejus accipiat alius.
9. Sint liberi ejus orphani,
Et conjux vidua.
10. Incertis ſedibus liberi ejus oberrent,
Panem mendicantes adverſa fortuna coacti.
11. Auferat creditor omnia, quæ habet,
Peregrini diripiant, quæ ſibi acquiſivit.
12. Non ſit ipſi, cujus benevolentiam experiatur,
Neque pupillis ejus quisquam faveat.
13. Poſteri excidio ſint addicti,
Atque in ſequenti generatione nomen eorum deleatur.
14. Me-

a) Non neceſſarium eſt, ut hæc verba tantum ad preces hujus Pſalmi reſtringantur; ſed innuunt illud ipſum tempus, quo hoſtes Davidis eum inſectabantur. Illo tempore, dicit, ſe tantum precibus ſuis ad Deum confugiſſe.

b) Videtur hoc moris fuiſſe in judiciis Hebræorum, ut accuſator reo ad dextram ſtaret. Zach. 3, 1.

14. Memor ſit Jova iniquitatis majorum ipſius,
Nec aboleantur peccata matris ejus.
15. Sint Jovæ ſemper præſentia,
Deleatur memoria ex orbe terrarum. —
16. Propterea *c*) quod immemor humanitatis
Perſequitur miſerum et auxilio deſtitutum,
Hominem animo ægrum, quem interficiat.
17. Delectatus maledictis; eveniant ei.
Abhorrens felicitatem; fugiat ipſum.
18. Induat tamquam veſtem maledictionem,
Quæ ut aqua viſcera ejus, ut oleum oſſa penetret.
19. Sit ipſi pro veſte, qua ſe amiciat,
Pro zona, qua ſemper cinctus ſit. —
20. Hæc merces erit adverſariorum meorum a Jova,
Qui mala conſilia contra vitam meam ineunt.
21. Tu vero, Jova, mi domine, benignum te mihi
præbe propter nomen tuum,

c) Quoniam David in ſequentibus de perſecutione ſibi facta loquitur, dum in ſumma miſeria fuiſſet; et de maledictis et conviciis in ſe conjectis queritur verſ. 17. 18. hic locus aptiſſime de facinore Simei poteſt explicari, cujus hiſtoria legitur 2 Sam. 16, 5—13. Non obſtat huic ſententiæ particula cauſalis יען אשר quæ æque facile cum ſequentibus, quam cum antecedentibus connecti poteſt. Et ſicuti David antea primum adverſarium, Ahitophelem, non nominavit, ita neque in hoc loco alterum, Simei.

Pro insigni tua clementia me libera.

22. Miser enim sum et egenus,
Cor meum saucium est ægritudine.

23. Ut umbra declinans abire cogor,
Exagitor ut locusta *d*).

24. Genua mea labant præ inedia,
Et corpus omni pinguedine destituitur *e*).

25. Ludibriis eorum expositus;
Aspiciunt me et nutant capitibus.

26. Adjuva me, o Jova, mi Deus!
Serva me pro tua benignitate.

27. Agno-

d) Agmina locustarum a vento sæpe huc et illuc agitantur et propelluntur, auctore *Shawio* in Itinerar. p. 165. edit. germ. Vel ab hominibus clamore sublato arcentur, aut aliis remediis prohibentur, quo minus subsidant, teste *Niebuhrio* in Descript. Arab. p. 174.

e) Verba textus sunt: וּבְשָׂרִי כָּחַשׁ מִשֶּׁמֶן. In quibus hærent nonnulli interpretes. כחש *mentitus est* in conjugatione Kal tantum h. l. extat. In Piel vero in specie significat, *abnegare officium*, *spem fallere*, sequens מ est in significatione negandi. cf. *Schultensius* ad Job. 16, 8. p. 398. qui tamen et aliam explicationem dedit non contemnendam, quæ *Venemæ* probatur, quoniam כחש in Kal alias non obvium est: כחש nempe potest etiam esse vox composita ex חש *stipula* ut חששׁ Jes. 5, 24. 33, 11. et כ comparativo, *sicuti stipula* s. *foenum aridum.*

27. Agnoſcant tuæ potentiæ hoc eſſe,
Te Jovam *hanc ſalutem* præſtare.
28. Iſti maledicant, tu benedices,
Invadant me, ſed turpiter excidant ſuis conatibus.
Cultor autem tuus habebit, de quo gaudeat.
29. Tegantur ignominia adverſarii mei,
Turpitudine tamquam pallio involvantur.
30. Celebrabo Jovam ore meo ſummo ſtudio,
In cœtu frequenti eum laudabo.
31. Adeſt enim ad defenſionem afflicti,
Ut eum ſervet ab iis, qui morti eum addicunt.

PSALMUS CX

vulg. 109

Argumentum, quo Chriſtus ex hoc Pſalmo adverſus Phariſæos utitur Matth. 22, 42. ſatis probat, Davidem in hoc carmine Meſſiam canere ut regem ſe longe majorem et ſublimiorem; cujus regno in Sione h. e. inter Iſraelitas orituro Deus, devictis omnibus hoſtibus, totum terrarum orbem ſit ſubjecturus.

1. Pſalmus Davidis — Dixit Jova Domino meo, ſede ad dextram meam *a*), Donec

a) Phraſis *ſedere ad dextram alicujus* alias indicat ſingularem honorem et dignitatem alicui exhibere. e. c. 1 Reg. 2, 19. Matth. 20, 21. Hoc loco igitur ſignificat regni et imperii ſocietatem, quæ Meſſiæ ex promiſſione ipſius Dei datur. Sic Paulus h. l. explicat 1 Cor. 15, 25. ubi phraſin, ſedere ad dextram, permutat cum βασιλεύειν,

Donec hoſtes tuos tibi ſubjecero, ut ſcabellum pedum tuorum.

2. Sceptrum tuum potens extendit Jova e Sione *b*), Dominare hoſtibus tuis.

3. Populus tuus ſpontaneus die potentiæ tuæ veſtitu ſolenni procedet *c*).

Præ

λέων. Ebr. 1, 13. 14. opponit λειτουργεῖν et καθίζειν ἐκ δεξιῶν θεοῦ, pro quo Cap. 8, 1. dixit: ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

b) Deus ipſe efficiet ut regnum Meſſianum, cujus prima initia in Sione h. e. inter Judæos eſſe deberent, deinde alia quoque regna ſibi ſubjiciat.

c) Tantus eſt interpretum antiquiorum et recentiorum circa hujus verſus lectionem et explicationem diſſenſus, ut optio ex tot conjecturis, quarum nonnullæ perquam ſpecioſæ ſunt, admodum difficilis videatur. Sumunt critici recentiores, lectionem textus vulgarem in mendo cubare; haud dubie non tam difficultate ejus nimia, quam potius diſſenſu verſionum antiquarum permoti. Qui cum varius ſit, quisque fere qui ad hujus verſus explicationem acceſſit, ex illis antiquis interpretibus unam alteramve lectionem excerpſit, quam deinde ſuis conjecturis auxit et tandem ex his lectionem textus effinxit, quæ ingenio cujusque reſponderet. — Equidem minime diffiteor ſenſum verborum hujus verſus eſſe impeditiorem; neque tamen tanta verborum difficultas eſſe videtur, ut nullam prorſus explicationem commodam admittant. In hujusmodi autem locis arbitror,

Præ rore, qui ex utero auroræ prodit, ros tibi erit prolis tuæ, *copiosior d)*.

4. Jurabitror, verſionibus antiquis non ſatis tuto fidi poſſe, cum ſuſpicio ſit, earum auctores in ſenſu verborum difficiliorum reddendo divinaſſe. Horum igitur conjecturas novis conjecturis augere nolim, et ſenſum efficere, facilem illum quidem, ſed qui Davidi fortaſſe nulla ex parte in mentem venit. Sed ſequor in verſione lectionem textus receptam, neglecta tantum diſtinctione judaica accentuum, qui dicuntur; ſecundum quam verba בהדרי קדש cum ſequentibus מרחם משחר legenda ſunt, quæ ego prioribus junxi. Sub *populo*, qui ſe ſponte huic regi offeret, intelligo primos Chriſti profeſſores, qui ſine ſpe lucri ſe ei jungebant, immo ſuis commodis et propriæ utilitati renunciabant. — Sequentia verba ביום חילך verto: *die potentiæ tuæ*, atque hunc diem intelligo de eo, quo poſt Petri admonitionem tria millia Chriſti nomen profitebantur Act. 2, 41; de quo inſigni incremento ſubditorum hujus regis ſequens membrum commode poteſt explicari, quanquam non ad unam illam temporis periodum tantum referendum. — In verbis בהדרי קדש *in veſtibus ſplendidis*, videtur eſſe alluſio ad veſtes ſacerdotales, quales ſubditis hujus regis tribuerentur, quoniam ex interpretatione Petri 1 Epiſt. 3, 5. 9. omnes ſacerdotes ſunt, ſive eorum jure gaudent. Hic enim verſus magis cum ſequente, quam cum antecedente videtur cohærere.

d) Hæc quoque verba ſine lectionis mutatione verto et explico

4. Juravit Jova, nec eum pœnitebit,
Tu es ſacerdos æternus ex ordine Melchiſedeki *e*).
5. Jova *f*), qui te adjuvat ſ. defendit,
Cædet reges, quando ira ejus exardeſcet.
6. Supplicium ſumet de gentibus, omnia cadaveribus implebit,
Calcabit capita *hoſtium* per multas terras *proſtratorum*.
7. E torrente in via bibet *g*),
Erecto capite *procedens*.

PSAL-

explico per ellipſin vocis טַל quæ in altero membro eſt, ante רַחַם. Sic *Lowthus* hunc locum explicavit (de Poeſi S. Hebr. Prælect. X. p. 207. edit. Goett. pr.) et alia hujus conſtructionis et ellipſeos exempla attulit: Pſ. 4, 8. Jeſ. 10, 10. Job. 35, 2. De ſenſu comparationis antea dictum eſt.

e) Geneſ. 14, 8. Quæ fuerit inter ſacerdotium Melchiſedeki et Chriſti ſimilitudo, docet Paulus in epiſtola ad Hebr. 7. tot.

f) Pro אדני ſeptemdecim codices *Kennicotti* habent יהוה Recte. Nam pergit poeta in ſermone ad illum regem et dicit, Deum eſſe eum defenſurum, quod jam promiſſum erat verſ. 1. Phraſis horum verborum *eſſe ad dextram* diverſa eſt ab ea verſ. 1. *ſedere ad dextram*. Illa alias quoque ſic legitur Pſ. 16, 8. 109, 3.

g) Non poſſum aſſentiri *Michaeli* et *Doederleinio*, qui torrentem intelligunt ex ſanguine hoſtili ortum, ex quo victor ille bibat. Quanquam poeta in deſcriptione magnarum

PSALMUS CXI

Breviter commemorat beneficia divina populo Israelitico collata. — Psalmus est ita constructus, ut singula hemistichia singulis literis ex ordine alphabeti incipiant præter duos versus extremos, qui sex literas continent. — Ad usus sacrorum publice peragendorum compositus videtur; num a Davide, an posterioribus temporibus Salomonis, aut templi secundi, incertum est.

1. Laudate Deum. Celebrabo Jovam toto pectore, 110
In cœtu et conventu piorum.
2. Magna sunt Jovæ facta,
Amabilia *a*) omnibus, qui lubenter in ea inquirunt.
3. Glo-

gnarum cladium et hostium occisorum, flumen quoque cruentum fingere potest, in quo victores pedes intingant et lavent, ut Ps. 68, 24; tamen *bibere* hunc *sanguinem* nunquam dicuntur; nimis abhorrens est hæc idea a natura humana et multo magis dixerim Israelitæ, cui esus sanguinis lege mosaica severe erat interdictus. — Sed sistit divinus vates heroa suum tanquam ex cæde hostium fatigatum, qui se aqua ex rivo forte obvio hausta recreet et alacriter viam suam persequatur. Cui non in mentem veniat exemplum Simsonis Jud. 15, 18?

a) Sic verto דְּרוּשִׁים ex idiotismo linguæ, quo participia passiva nonnunquam respondent adjectivis in *bilis*, e. c. desideratus pro desiderabilis Prov. 21, 20. fractus pro *fragilis* 2 Reg. 18, 21. Indicatur suavitas, quam diligentes operum divinorum in hoc suo labore sentiunt.

3. Glorioſa ſunt et illuſtria, quæ facit,
Benignitas ejus ſibi ſemper conſtat.
4. Monumenta extant factorum mirabilium,
Benignus et miſericors eſt Jová.
5. Alimenta dedit eum colentibus,
Promiſſionum ſuarum ſemper memor.
6. Potentiæ ſuæ magnitudinem declaravit ſuo populo,
Dum ei aliarum gentium terram dedit poſſidendam.
7. Quidquid agit, ſummam fidem et æquitatem *oſtendit*,
Præcepta ejus omnia ſunt rectiſſima.
8. Immota manent in perpetuum,
Data ſunt ex fide et rectitudine.
9. Redimendum curavit ſuum populum,
Promiſſiones ei datas confirmavit in æternum,
Sanctus ille et Verendus.
10. Summa ſapientia eſt, Jovam revereri.
Vere ſapiunt, qui leges ejus implent,
Eorum laus conſtans erit et perpetua.

PSALMUS CXII

Docetur, tantum timore Dei et pietatis ſtudio vitam hominis beatam eſſe. Pſalmus eſt alphabeticus eadem ratione qua præcedens conſtructus.

1. Laudate Deum! O beatum hominem! qui Jovam colit,
Atque præceptis ejus maxime delectatur.
2. Ejus poſteri potentes erunt,

Genus

Genus enim piorum fortunatur.

3. Opes et divitiæ ſunt in ejus ædibus,
Præmia ſuæ pietatis conſtabunt ei in perpetuum.

4. Lux oritur pio in tenebris,
Benigno, miſericordi et juſto *a*).

5. Felix et benignus eſt, qui mutuo dat,
Qui in adminiſtratione rerum ſuarum æquitati ſtudet.

6. Pius nunquam nutabit,
Memoria ejus inter alios eſt immortalis.

7. Non timet ullos famæ terrores,
Imperterrito animo Deo confidit.

8. Placide expectat ſine timore,
Dum videat, puniri inimicos ſuos.

9. Large diſtribuit egentibus,
Liberalitatis ſuæ præmia certa ei manent.
Dignitas ejus glorioſe augeſcit *b*).

10. Quod

a) In textu leguntur nominativi חַנּוּן וְרַחוּם וְצַדִּיק quos nonnulli interpretes de Deo explicant, cujus nomen ſupplendum ſit. Sed durior videtur illa ellipſis, cum Dei in toto contextu mentio non fiat, hæ ipſæ virtutes autem in ſequentibus tribuantur piis. Igitur aſſentior illis interpretibus, qui hæc verba connectunt cum præcedenti לישרים per appoſitionem. Litera ל vero ex antecedenti facile repetenda, omiſſa forſan eſt propter alphabetici ordinem, quoniam hoc membrum cum Chet incipere debebat.

b) hebr. *cornu ejus exaltatur cum gloria.* cf. Pſ. 89, 18. 25, 92, 11.

10. Quod quum videbit impius, iraſcetur,
Frendebit dentibus et invidia contabeſcet.
Spes enim impiorum perit.

PSALMUS CXIII

Hic Pſalmus celebrat providentiam Dei ſpecialem erga pauperes et afflictos; quos nempe Deus cura ſua et amore non indignos cenſeat.

1. Laudate Deum! Laudate, cultores Jovæ,
Laudate nomen Jovæ.
2. Celebretur nomen Jovæ,
Nunc et in omnem æternitatem.
3. Ab ortu ſolis usque ad occaſum ejus,
Laudetur nomen Jovæ.
4. Omnibus gentibus Jova longe eſt elatior,
Cœlum ipſum ſuperat ejus majeſtas.
5. Quis ſimilis eſt Jovæ Deo noſtro?
Qui locum adeo ſublimem inhabitat,
6. Et tamen non dedignatur,
Reſpicere cœlum et terram.
7. Qui tenuem e pulvere erigit,
Ex ſtatu humili *a*) evehit egenum,
8. Ut

a) hebr. מֵאַשְׁפֹּת *e ſtercore.* De hoc vocabulo accurate egit *Michaelis* in Supplementis ad Lexica Hebr. p. 137. et probavit eſſe Arabicum أَشْفِيَّة quod *Golius* p. 21.

et

8. Ut inter magnates ſedeat,
Inter principes populi ſui.
9. Qui ſterilem fœminam ſobole exhilarat,
Ut læta mater ſit liberorum. Laudate Deum!

PSALMUS CXIV

Vulg. 113

Laudes continet miraculorum in exitu populi Iſraelitici ex Aegypto patratorum.

1. Quum Iſraelitæ ex Aegypto egrediebantur,

et 432. ſic explicat: *Tripus ſeu in genere Chytropus, ollæ ſuſtentaculum, inprimis lapis ſaxumve ei rei inſerviens — — Tres lapides fere æquales quoſcunque ad eam rem componunt Arabes Scenitæ.* — Ejusmodi ergo lapidibus, inquit *Michaelis*, et in Palæſtina ad coquendum utebantur, cum tripodes ferreæ deeſſent, in his et, cum ſellas non haberent, ſedebant. Notionem *ſtercoris* aut *fimi congeſti*, quam unanimi conſenſu antiqui interpretes vocabulo tribuunt, derivat Vir Doctiſſimus ex eo, quod materia ignis in Oriente plerumque, apud pauperes maxime, non ſit lignum, ſed fimus ſiccatus; qui quoniam inter lapides illos ponebatur, cum ignis accendebatur, fortaſſe אשפות *fimi* quoque aut *ſtercoris collecti* ſignificationem acceperit. — *Knappius* h. l. apte obſervat, alludi ad Davidem, coll. verſ. 8. qui ſine dubio in vita ſua paſtoritia ſæpe hujusmodi tripode uſus ſit — ſed Deus eum e ſtatu illo humili tenuique conditione ad honores et dignitatem regiam evexit.

Jacobi posteri e populo barbaro *a*),
2. Factus es *b*), Juda, populus Jovæ consecratus,
Tu, Israel, ejus regnum.
3. Mare videbat et fugiebat,
Jordanus retro se convertebat.
4. Montes subsiliebant sicuti arietes,
Colles ut foetus ovium.
5. Quid fuit, mare, cur fugeres?
Et tibi, Jordane, ut retro cederes?
6. Quid subsaltabatis montes instar arietum?
Et vos colles, sicuti agni?
7. Ob domini præsentiam contremisce, terra!
Ob Dei Jacobitarum præsentiam.
8. Qui petram convertit in lacum,
Et silicem in fontis scaturiginem.

PSAL-

a) לֹעֵז ἄπαξ λεγ. sed in linguis chaldaica, syriaca et arabica obvium, *peregrina et exotica lingua loqui.* Recte ita *populus Aegyptiacus* vocatur, qui sua lingua utebatur, valde diversa ab hebraica, cf. Genes. 42, 23.

b) Placet conjectura *Michaelis* (Biblioth. Or. P. XIX. p. 152.) pro הָיְתָה legendam esse secundam personam generis masculini הָיִתָה, quoniam lectio recepta repugnat usui loquendi Hebræorum, quo nomina gentium in genere masculino construuntur, neque opus est supplere substantivum omissum v. c. עֵדָה *coetum* ad excusandam illam

PSALMUS CXV

Preces continet, ne Deus populum, qui ipſum colat, propter honorem ſuum deſerat, ne nempe gentiles victoriam ſuis diis tribuerent. Hinc verus Deus Jova laudatur in oppoſitione ad idola gentium, cum excitatione ad fiduciam in Deo collocandam. — Non improbabilis eſt conjectura (vid. Symbolæ literar. Tom. III. p. 544.) Pſalmum hunc et ſequentem referendum eſſe ad tempora Hiskiæ et fortaſſe ab ipſo pio rege compoſitum, quum Sancheribus rex Aſſyriæ per legatos ſuos deditionem additis multis in Deum Jovam blaſphemis comminationibus ſuaſiſſet, 2 Reg. 18. et 19. 2 Chron. 32, 1—2. Jeſ. 36. et 37.

1. Non noſtra cauſa, o Jova, non noſtra cauſa,
Sed propter te oſtende majeſtatem tuam *a*).
Pro benignitate et veritate tua.
2. Quid gentes dicant: ubi eſt Deus eorum?
3. At enim vero Deus noſter eſt in cœlo,
Quæcunque vult, ea poteſt efficere.
4. Idola contra eorum argentea ſunt et aurea,
Hominum manibus elaborata.
5. Os habent, ſed non loquuntur,
Oculos — ſed non vident.
6. Aures habent, ſed non audiunt,
Nares — ſed nihil olfaciunt.

illam anomaliam. Non contemnendum eſt teſtimonium codicis 498 *Kennicotti* (de anno 1420, qui Romæ ſervatur) in quo הייתה ſcriptum extat.

a) Victoria nempe de hoſtibus.

7. Habent manus et nihil prehendunt,
Pedes — ſed non incedunt,
Nec de gutture ſonum edere poſſunt.
8. His ſimiles ſunt, qui ea elaborarunt,
Et omnes, qui eis confidunt. —
9. Iſraelitæ vero Jovæ confidunt *b*),
Is auxiliator eorum eſt et defenſor.
10. Aaronitæ Jovæ confidunt,
Is auxiliator eorum eſt et defenſor.
11. Omnes Jovæ cultores *c*) ei confidunt,
Is auxiliator eorum eſt et defenſor.
12. Jova curam noſtram gerat, nobisque benedicat,
Benedicat Iſraelitis, faveat Aaronis poſteris.
13. Faveat omnibus, qui eum timent,
Tam parvis, quam magnis.
14. Augeat vos Jova, vos et liberos veſtros *d*).
15. Vobis Jova faveat, qui cœlum creavit et terram.
16. Cœlum Jovæ eſt, terram hominibus dedit incolendam. —
17. Mor-

b) Pro imperativis in hoc et duobus ſequentibus verſibus antiquiores interpretes omnes legerunt præterita בָּטַח et בָּטְחוּ quod plerique recentiores ſecuti ſunt. Sane imperativi in hoc contextu apoſtrophen faciunt minus concinnam.

c) h. e. Proſelyti ex gentibus, qui etiam in Nov. Teſt. φοβούμενοι τὸν Θεὸν vocantur. Act. 10, 2. 22. 13, 16.

d) ſc. Proſelytos illos ex gentibus.

17. Mortui Deum non laudant *e*),
Nec qui ad ſepulcrum deſcenderunt.
18. Nos vero Deum celebrabimus,
Nunc et deinceps in æternum. — Laudate Deum.

PSALMUS CXVI

Carmen eſt euchariſticum pro præſtito auxilio ſ. liberatione ex morbo, aut alia gravi calamitate, cum promiſſione hujus beneficii ſemper commemorandi et deprædicandi. Fortaſſe ſcriptum eſt (ex hypotheſi, de qua ad præcedentem Pſalmum dictum,) a rege Hiskia poſt miraculoſam e morbo lethali ſanationem Jeſ. 38.

1. Diligo Jovam, nam audit vocem meam ſupplicem.
2. Aurem mihi præbet, ideo ſemper eum invocabo.
3. Mortis funibus jam irretitus tenebar,
Sepulcri anguſtiis fere eram concluſus,
Dolore et ægritudine angebar:
4. Tum Jovam invocavi: o Jova, ſerva me.
5. Benignus eſt Jova et juſtus,
Miſericors eſt Deus noſter.
6. Cuſtodit Jova ingenuos,
Viribus fere exhauſtus *a*) eram, ſed me ſervavit.

 7. Redi,

e) cf. loca parallela Pſ. 6, 6. 30, 10. 88, 11. Jeſ. 38, 18.

a) Sic verto hebr. דַּלּוֹתִי ex ſignificatione verbi דלל aliquoties obvia et minime dubia. *Michaelis* quidem et

7. Redi, o anima mea, ad quietem tuam,
Jovam enim benefacientem experieris.
8. Tu eripuisti vitam meam e morte,
Oculos *liberasti* a fletu,
Avertisti a pedibus meis lapsum.
9. Ad Dei voluntatem vitam meam instituam *b*),
Quamdiu in vivis ero.

10. Fidem

et *Knappius* conferunt arabicum لَ (*Golius* p. 850.) *limis oculis aliquem aspicere*, quod deinde de amore et desiderio usurpatur, hinc vertunt: cupide ad eum adspicio (auf ihn blick ich sehnsuchtsvoll). Sed quo minus assentiar Viris Doctissimis, non solum in hoc, sed etiam in duobus aliis Psalmorum locis, in quibus occurrit, nempe Ps. 79, 8. et 142, 7. impedit constructio hujus verbi a *Golio* l. c. observata: *cum accusativo rei aut personæ, aut Lamed sequente*, qui prorsus deest in locis citatis atque propterea a Doctissimis interpretibus additur. In unico loco Jesaiæ Cap. 38, 14. a *Michaele* quoque citato in Supplementis ad Lexica Hebr. p. 442. apta est hæc significatio, sequitur enim Lamed; quam h. l. explicationem malim jam præferre ei, quam dedi ad versionem meam Jesaiæ ex sententia *Schultensii*.

b) Sic phrasin hebraicam, *ambulabo coram Jova*, explicandam esse, jam antiquiores interpretes viderunt: οἱ ὁ, ἐυαρεστήσω ἐνώπιον Κυρίου, Vulgatus et Syrus: *placebo Deo* etc. cf. Genes. 5, 22. 24. 6, 9. 17, 1.

10. Fidem Deo habui *c*), quamvis dicerem, Ego vehementer affligor.
11. In trepidatione mea dicebam, Vanum eſt omne auxilium humanum. *d*)
12. Quid igitur rependam Jovæ, Pro tot et tantis ejus in me collatis beneficiis?
13. Libabo poculum gratiarum actionis *e*), Et nomen Jovæ invocabo.
14. Vota mea ei ſolvam, In cœtu populi ejus univerſi.
15. Magni æſtimatur apud Jovam, Vita eorum, qui eum colunt.
16. O Jova! mihi quoque, cultori tuo tibique prorſus dedito, Vincula *mortis* ſolviſti.
17. Tibi *propterea* ſacrificia euchariſtica offeram, Nomen Jovæ invocabo.

c) Objectum fidei non indicatur, ſed ex antecedentibus clarum, providentia Dei omnipotentis et benigni.

d) hebr. *omnis homo mendax.* Sed alias quoque כזב dicitur de omni eo quod ſpem aliorum fallit, Pſ. 4, 3. 62, 10.

e) hebr. כוס־ישועות *calix ſalutaris.* Quoniam in ſequenti verſu ſacrificia euchariſtica promittuntur, ſermo eſt haud dubie de epulis ſacrificalibus, in quibus paterfamilias vini calicem ſuis propinabat cum gratiarum actione ob præſtitum auxilium. cf. *Grotius* ad Matth. 26, 27.

18. Vota mea Jovæ ſolvam,
Præſente populo ejus univerſo.
19. In atriis templi Jovæ,
In te, o Hieroſolyma! Laudate Deum!

PSALMUS CXVII

Adhortationem continet Judæorum et gentilium ad Deum Jovam propter ſummam ejus benignitatem et fidem laudandum et celebrandum. — Brevitas carminis probabilem facit conjecturam, adhibitum illud eſſe, maxime poſt inſtauratum templum ſecundum, quum populus finitis ſacris dimitteretur.

1. Laudate Jovam omnes gentes,
Celebrate eum omnes nationes.
2. Nam exundavit ſuper nos ejus gratia,
Fidesque Jovæ eſt æterna. Laudate Deum!

PSALMUS CXVIII

Carmen eſt euchariſticum in ſolenni pompa ad locum ſacrum a diverſis choris decantatum. Continet gratiarum actionem regis, primo propter liberationem e magno periculo poſt victoriam inſignem ab hoſtibus reportatam 5—13. deinde propter collatam, non obſtante multorum odio et invidia, dignitatem regiam 14—22. Hæ hymni partes mihi probabilem faciunt conjecturam antiquioribus interpretibus jam probatam, Davidem ejus auctorem eſſe, atque eo in feſtivitate ſolenni, tum ob victorias conceſſas, tum ob dignitatem regiam poſt tot inimicitias et perſecutiones ſibi collatam, Deo gratias egiſſe. — Doederlein Hiskiæ carmen eucha-

riſticum

riſticum eſſe putat, poſt cladem Sancheribi et recuperatam valetudinem dictum. At quamquam pleraque huic temporis periodo accommodari poſſent, tamen verſ. 22. non niſi perquam coacte de Hiskia explicatur. — Michaelis Davide quidem poſteriorem Pſalmum cenſet, ſed ſtante adhuc templo Salomoneo, ſolennitati feſti tabernaculorum deſtinatum, et ſubjectum inde a verſ. 5. putat eſſe populum Judaicum. Quam hypotheſin Knappius paullulum mutatam accommodavit temporibus templi ſecundi poſt reditum ex exilio Babylonico. Sed hæreut tunc maxime in verſ. 22. de quo deinceps. Venema hunc quoque Pſalmum, ut complures alios, ad tempora Maccabæorum refert, et Simeonem Ethnarcham ſubjectum precum 5 — 22. ſtatuit. — In re plane incerta, certi quid definire quis audeat?

1. Celebrate Jovam, nam bonus eſt,
Gratia ejus eſt æterna.
2. Omnes Iſraelitæ dicant:
Gratia ejus eſt æterna.
3. Familia Aaronis dicat:
Gratia ejus eſt æterna.
4. Omnes Jovam colentes *a*) dicant:
Gratia ejus eſt æterna. —
5. Rebus anguſtis Deum invocavi,
Exaudivit me et liberavit *b*).
6. Jova mihi adeſt, nihil timeo,
Quid homines contra me efficere poſſunt?
7. Jo-

a) vid. Pſ. 115, 11. c).

b) hebr. בַּמֶּרְחָב *in locum late patentem* ſc. הֵרְחִיבַנִי. cf. Pſ. 18, 20. 31, 9.

7. Jova eſt meus auxiliator.
Ego lætus inimicorum meorum pœnam videbo.
8. Melius eſt ad Deum confugere,
Quam confidere hominibus.
9. Melius eſt ad Deum confugere,
Quam confidere principibus.
10. Multæ gentes me obſident,
Deo juvante eos repellam *c*).
11. Ab omnibus partibus me cingunt,
Deo juvante eos repellam.
12. Cingunt me ut apes,
Ut ſpinæ ardentes extinguuntur,
Deo juvante eos repellam.
13. Impulerunt me ut caderem,
Sed Jova me ſuſtinuit.
14. Auxilium meum, quod celebrem, eſt Deus *d*),
Cui omnem debeo ſalutem,

15. Læ-

c) In textu eſt אֲמִילֵם quod vulgo derivatur a מול *circumcidere*. Sed quoniam conjugatio Hiphil ſignificationem tranſitivam requirit, conferri poteſt arab. مال *declinavit, deflexit*, quod in Conjugat. IV. h. l. de fuga hoſtium diceretur. Sic quoque οἱ ὁ, ἠμυνάμην αὐτούς.

d) Verba textus עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ ſumta ſunt ex cantico Iſraelitarum Exod. 15, 2. *Robur meum et canticum eſt Deus.* In quibus eſt Hendiadys: *roboris mei canticum.* Litera Jod, quæ deeſt in voce זמרת errore ſcribarum,

legitur

15. Lætis clamoribus resonant ob præstitum auxilium piorum ædes.
Dextra Jovæ edidit virtutis facinora.
16. Dextra Jovæ sese exseruit,
Dextra Jovæ edidit virtutis facinora.
17. Non moriar, sed vivam,
Et celebrabo Dei facta.
18. Deus quidem graviter me afflixit,
Sed morti me non tradidit. —
19. Aperite portas sanctas *e*),
Per quas introeam Deum laudaturus. —
20. Hæc porta Jovæ est,
Per quam pii ingrediuntur.
21. Te laudabo, quod me exaudisti,
Mihique fuisti auxilio.
22. Lapis, quem architecti rejecerunt,

Factus

legitur in codice *Kennicotti* 153. (Commentarius in biblia Raschianus, cujus possessor est *Tychsen.* Scriptus A. C. 1211. vid. Dissertat. gen. *Kennicotti* ex edit. *Brunsii* p. 399.) cf. dicta ad Exod. 15, 2.

e) Verba hebraica שערי־צדק non vertenda sunt *portæ justitiæ*, sed *portæ sanctæ*, h. e. quæ ad locum sacrum, ubi Deus colitur, ducunt. Sic צדיקים non sunt *justi*, sed *pii* et *religiosi*, uti צֶדֶק de tota religione dicitur. — Cæterum ex hoc versu plane apparet a diversis choris psalmum esse cantatum. Nam in hoc versu alter petit apertionem portarum, in sequenti respondet alter chorus.

Factus est lapis angularis *f*).

23. Jovæ

f) Verba ipsa non videntur difficilia, si tropice explicantur de persona a principibus reprobata, deinde vero ad dignitatem eo majorem evecta. At *Michaelis*, qui secundum literam hæc intelligit, miram fingit historiam de lapide in exstructione templi Salomonei ab architectis reprobato et tanquam inepto rejecto, qui vero deinceps, jussu Dei per prophetam, ut lapis angularis sit adhibitus; cujus rei causam ostendere loca Novi Test. in quibus hæc verba de Jesu Messia explicentur. Hunc vero lapidem indicari in his verbis, quem populus pompa solemni circumierit. — Quæ vereor ut multis probabilia videantur. *Knappius* quidem hæc non probavit. Sed haud scio an probabiliora sint, quæ ipse dedit. Existimat enim verba posse proprie explicari de lapidibus prioris templi destructi, qui ab architectis reprobati essent, sed jussu Dei ut lapides angulares adhibiti; atque hanc subitam mutationem populum in his verbis mirari. — Sane fuisset quoque res admiratione digna, materiam corruptam et ineptam subito esse mutatam, ut structuræ posset adhiberi. — At enim vero plerique interpretes consentiunt in allegorica verborum explicatione, et variant tantum in determinatione subjecti, de quo agant. Si, quod mihi videtur, Psalmus est Davidis, facillime possunt de odio Sauli et aulicorum ejus explicari, quo non obstante tandem tamen David ad dignitatem regiam a Deo est evectus. — Quam vere autem hæc verba quoque de Jesu Messia

dici

23. Jovæ hoc opus eſt,
Quod nobis mirum videtur.
24. Hic eſt dies, quem Deus fecit,
Læti exultemus in eo.
25. Serva nos, Jova, quæſumus,
Fortuna, o Jova, res noſtras. —
26. Felix ſit is, qui venit juſſu Dei,
Bene precamur vobis, qui eſtis de familia Jovæ,
27. Jova Deus nobis faveat,
Adducite ſacrificia funibus ligata ad aram *g*).
28. Tu es Deus meus, te celebrabo,
Te Deum meum laudibus extollam.
29. Laudate Jovam, nam bonus eſt,
Gratia ejus eſt æterna.

PSAL-

dici potuerint, tum ipſe docuit Matth. 21, 42. Marc. 12, 10. Luc. 20, 17. tum apoſtoli Act. 4, 11. 1 Petr. 2, 6. 7. obſervarunt. Neque tamen propterea totus Pſalmus pro prophetico eſt habendus.

g) Miſſis explicationibus variis horum verborum paullo difficiliorum, dicam tantum de ea quam in verſione poſui. Verbum אִסְרוּ *ligate* eſt h. l. in ſignificatione prægnante, pro *ligatum adducite*, ex idiotiſmo linguæ notiſſimo, (*Glaſſius* p. 185.) quem produnt h. l. reliqua adjuncta hujus membri. — חַג *dies feſtus* pro ſacrificio feſtivali, alias quoque ſic dictum, Exod. 23, 18. Eſ. 29, 1. Maleachi 2, 3. *Cornua altaris* ſynecdochice pro *toto altari* dicuntur.

PSALMUS CXIX

Teſtatur in hoc Pſalmo ejus auctor amorem ſuum verbi divini, deſiderium, quo continuo in illud feratur, et delectationem, quam ex ejus meditatione percipiat; quibus continuæ preces interſeruntur, ut Deus ei auxilio ſuo adſit ad obedientiam perfectiſſimam præſtandam et ad majorem cognitionem, qua Deo placere poſſit. Rogat etiam ſubinde conſervationem, conſolationem et liberationem ex ſtatu afflicto, ex exilio, in quo verſetur. Quæ dum precatur, teſtatur ſimul ſuam innocentiam et puritatem a criminibus, quorum ab hoſtibus accuſabatur, atque ſe commendat Dei favori et defenſioni in omnibus vitæ ſuæ periculis, argumento ſæpe repetito ab amore et ſtudio ſuo erga legem divinam, a vitæ ſuæ innocentia et pietate, hoſtium improbitate, Dei veracitate etc. Quod Pſalmi argumentum cum aliis ſimilibus comparatum dubitari vix ſinit, Davidem ejus auctorem eſſe, eumque in exilio compoſuiſſe, quum poſt varias afflictiones et perſecutiones Sauli inter Philiſtæos degeret, 1 Sam. 27, 1 ſeqq. Quam hypotheſin pluribus ornavit Venema. — Structura Pſalmi ſingularis eſt. Duo et viginti ſectiones habet pro numero literarum hebraicarum. Singulæ ſectiones ſunt octonorum verſuum ad ſingulas alphabeti literas. — Cæterum ex hoc quoque Pſalmo, ut ex threnis Jeremiæ et Jobo diſcere poſſunt tirones inſignes copias linguæ hebrææ, quum una ſententia tot modis variari et diverſis verbis et formis efferri potuerit.

Aleph.

1. Beati, qui vita integra ſunt,
   Qui ex lege Jovæ vivunt.
2. Beati, qui ejus inſtitutionem obſervant,

Qui

Qui toto corde eum quærunt.

3. Qui nullum ſcelus committunt,
Sed ad normam ejus vivunt.

4. Tu inſtituta tradidiſti diligenter ſervanda.

5. Utinam vitam meam ad ſervanda decreta tua inſtituerem.

6. Tunc nullius rei me pudebit,
Si ad præcepta tua ſemper ſum intentus *a*).

7. Gratias tibi agam ſincera mente,
Quum præcepta tua juſtiſſima didicero.

8. Decreta tua ſervabo, noli me prorſus deſerere *b*).

Beth.

9. Qua ratione adoleſcens caſtis moribus eſſe poteſt?
Dictis tuis accurate obſervandis.

10. Ego quidem toto corde te quæro,
Noli permittere, ut a præceptis tuis aberrem.

11. Recondita in animo meo habeo dicta tua,
Ut ne contra te peccem.

12. Gratias tibi ago, o Jova, doce me ſtatuta tua,

13. Labiis meis enarro omnia oris tui decreta.

14. Dum

a) Egregia ſententia! Tutiſſimum remedium, quo partim aliorum reprehenſiones, partim conſcientiæ noſtræ a nobis avertere poſſumus, eſt *religionis ſtudium*.

b) Auxilium divinum implorat ad obedientiam legi divinæ præſtandam. cf. verſ. 10. 145. 146.

14. Dum ſecundum leges tuas vivo,
Aeque gaudeo ac de ſumma opulentia.
15. De præceptis tuis meditor,
Atque vias a te præſcriptas intueor.
16. Statutis tuis vehementer delector,
Nec obliviſcar verborum tuorum.

Gimel.

17. Fac ut ego cultor tuus tuo beneficio vivam,
Dictis tuis morem geram.
18. Revela oculos meos, ut ad legis tuæ ſecreta *c*)
penetrare poſſim.
19. Peregrinus ego ſum in terra,
Noli mihi tua præcepta ſubtrahere *d*).
20. Animo ego agitor præ deſiderio perpetuo legum
tuarum.
21. Ar-

c) פְּלָאִ non ſolum *admiranda*, ſed etiam *occulta* ſignificat, Pſ. 131, 1. 139, 6. Jeſ. 28, 29. Sic h. l. intelliguntur ſecreta religionis, quæ ſane in religione Iſraelitarum multa erant.

d) Legis divinæ præſtantia eleganti comparatione demonſtratur. Homo peregrinus multis periculis eſt expoſitus ſine notitia eorum quæ facere, quæ omittere debeat. Igitur magnum ei eſt beneficium, ſi amicum habet, qui eum de omnibus admonet. — Talis eſt homini amicus verbum Dei. Docet eum quæ in hac vitæ ſuæ peregrinatione facere, a quibus ſibi cavere debeat. *Michaelis.*

21. Arguis contumaces, maledictos,
Qui a præceptis tuis aberrant.
22. Remove a me opprobrium et contemtum,
Leges tuas obſervo.
23. Quamquam principes contra me deliberant,
Tamen ego, cultor tuus, de tuis ſtatutis loquor *e*).
24. Inſtitutiones tuæ me oblectant,
Conſiliarii mei ſunt.

Dalet.

25. Humi proſtratus jaceo *f*),
Serva me ſecundum promiſſa tua.
26. Inquiro in vitam meam et tu me inſtruis,
Doce me ſtatuta tua.
27. Fac, ut intelligam rationem præceptorum tuorum,
De ſecretis tuis meditabor.
28. Incurvus ego incedo *g*) præ mœrore,

e) Senſus hujus et ſequentis verſus eſt: Si hoſtes mei conſilia inter ſe ineunt ad me perdendum, ego meditor et cogito legem tuam. Hæc me docet vitam meam ita inſtituere, ut ne hoſtis quidem habeat, quod in me reprehendere, aut in perniciem meam convertere poſſit.

f) hebr. *Adhæret pulveri anima mea.* Sine tropo: ſumma triſtitia ſum affectus.

g) Verba textus ſunt: דָּלְפָה נַפְשִׁי מִתּוּגָה. Verbum דלף in lingua hebraica æque ac in cognatis, chaldaica, ſyriaca et arabica, *ſtillandi* ſignificationem habere dubio caret.

Erige me ſecundum promiſſiones tuas.

29. Re-

caret. Quoniam autem Job. 16, 20. legitur דָּלְפָה עֵינִי *ſtillat oculus meus*, h. e. lacrimatur, plerique interpretes etiam noſtrum locum ſic explicant, quanquam forma loquendi ſit admodum diverſa, neque in altero membro קַיְּמֵנִי *erige me* huic ſenſui faveat. Hinc mihi non diſplicet interpretatio h. l. *Anton. Drieſſen* in Specimine obſervatt. philolol. et crit. in quædam loca Vet. Teſt. (legitur in Collectione Diſſertatt. Schultenſſ. et Schroederi p. 1097.) quanquam *Michaelis* in Supplementis ad Lexica hebr. ſub h. v. eam perquam coactam et languentem vocat. Nimirum ille locum ſic vertit: *incurvus lente incedo præ dolore*, quoniam idem illud verbum דלף Arabes etiam de *inceſſu ſenis lento et contracto gradu* uſurpant, nec non de *jumento quod præ nimio onere vix pergere poteſt*, cui ſe comparet David afflictionis graviſſimæ onere depreſſus. Cui comparationi in altero membro aptiſſime reſpondet קַיְּמֵנִי *erige me.* — Video eandem explicationem etiam *Knappio* et *Scilero* probari, cujus tamen ille alium auctorem laudat. Neque ſatis mirari poſſum ſeverum judicium quo Vir Illuſtris eam condemnavit. Dubitationem, quæ contra eam afferri poteſt, ſatis remotam eſſe arbitror a *Drieſſenio.* Nimirum „quanquam hæc ſignificatio verbi דלף nullo alio „exemplo ex reliquiis linguæ hebraicæ probari poteſt, „iniquum foret in tanta literarum hebraicarum penu„ria, nihil admittere, niſi quod ſimilium locorum ex„emplis probetur. — Si in dialectis ſubjiciatur cuidam

„themati

29. Remove me a via ſeductrice,
Indulge mihi legem tuam.
30. Veram viam elegi, tua ſtatuta ſervanda mihi propono.
31. Inhæreo tuæ doctrinæ,
Ne ſpe mea falli patiare.
32. Curram viam præceptorum tuorum,
Si me ex anguſtiis meis liberaveris.

He.

33. Doce me, Jova, rationem præceptorum tuorum,
Ut conſtanter ea teneam.
34. Inſtitue me, ut obſervem legem tuam,
Ut eam ex animo exſequar.
35. Fac, ut incedam in via præceptorum tuorum,
Nam ea delector.
36. Animum meum inclina ad leges tuas,
Non ad avaritiam.
37. Averte oculos meos, ne vana reſpiciant,
Felicem me redde ratione a te præſcripta.
38. Præſta tuo cultori promiſſiones tuas,
Quas dediſti tui reverentibus.
39. Averte a me ignominiam, quam timeo,

„themati notio, quæ recentioris non ſit originis, eandem, linguam antiquam ſub eadem radice habere „potuiſſe, certum eſt; habuiſſe autem probabile ſit, ſi „ſermonis contextus eam requirit.„ — Hæc ille.

Tua enim voluntas bona eſt.

40. En! cupide deſidero tua præcepta,
Serva me pro benignitate tua.

Vau.

41. Obveniat mihi tua benignitas, Jova,
Salus tua ſecundum promiſſionem tuam.

42. Ut reſpondere poſſim conviciatori meo,
Nam verbo tuo confido.

43. Noli permittere, ut juſta defenſio mihi eripiatur *h*),
Jus tuum expecto *i*).

44. Servabo legem tuam ſemper,
Usque ad extremum vitæ terminum.

45. Utique ego tutus ero *k*),
Dum præceptorum tuorum ſum ſtudioſus.

46. Loquar de legibus tuis etiam coram regibus *l*),
Neque me earum pudebit.

47. Ma-

h) Verbum activum אַל תַּצֵּל non ipſam Dei actionem h. l. indicat, ſed conceſſionem ſ. permiſſionem ejus. Cohæret verſus cum antecedente. *Verbum veritatis* eſt juſta et vera Davidis defenſio, ut innocentiam ſuam et puritatem a criminibus, quorum accuſabatur, hoſtibus ſuis probare poſſet; idque עַד מְאֹד h. e. fortiter ſ. cum efficacia, ut hoſtes ſe refutatos eſſe intelligerent.

i) Sive, *juſtitiam tuam*, qua nempe cauſam meam ages et in hoſtes meos animadvertes.

k) hebr. אֶתְהַלְּכָה בָּרְחָבָה cf. Pſ. 118, 5.

l) Innuit haud dubie Saulum.

47. Magnopere delector præceptis tuis, quæ amo.
48. Admiror *m*) præcepta tua mihi valde cara,
Et de statutis tuis meditor.

Sain.

49. Memor sis promissionis tuo cultori datæ,
Cujus tu mihi spem fecisti.
50. Hoc me consolatur in calamitate mea,
Quod verbum tuum mihi vitam reddit.
51. Profani homines me falsè irritant,
Sed non deflecto a lege tua.
52. Recordor judiciorum tuorum ab antiquissimis temporibus,
Hæc me, Jova, consolantur.
53. Animo fere opprimor *n*) propter improbos,
Legem tuam deserentes.
54. Cantica mea sunt statuta tua in hospitio meo *o*).
55. Noctu quoque tui recordor Jova,

m) Ad verbum est: *effero manus meas ad præcepta tua.* Manuum sublatio signum est admirationis et venerationis. Quem sensum in versione statim indicavi.

n) In textu est זַלְעָפָה אֲחָזָתְנִי *Ventus ille adurens et suffocans orientalis*, Ps. 11, 6. *me prehendit.* Cum hujusmodi vento lethifero comparat David affectum suum, quem sentiebat propter impios. Substitui verbis tropicis propria in versione.

o) cf. vers. 19.

Tuamque legem obſervo.
56. In eo me divitem eſſe judico,
Quod præcepta tua ſervo *p*).

Chet.

57. Peculium meum Jova eſt, ita ſentio,
Ut tibi obtemperem.
58. Tuam gratiam ex animo imploro,
Benignum te mihi præbe ſecundum promiſſa tua.
59. Inquiro in vitam meam,
Omnesque actiones meas ad leges tuas inſtituo.
60. Propero, non cunctor, ad præcepta tua ſervanda.
61. Funes impiorum me circumdant,
Sed legis tuæ non obliviſcor.
62. Media nocte ſurgo ad te laudandum,
Propter leges tuas ſanctiſſimas.
63. Amicus ego ſum omnibus, qui te colunt,
Tuaque præcepta obſervant.
64. Tua benignitate tota terra plena eſt,
Doce me ſtatuta tua.

Thet.

65. Benefeciſti cultori tuo, Jova,
Secundum promiſſiones tuas.
66. Veram prudentiam et intelligentiam doce me,
Nam fidem habeo præceptis tuis.
67. Antequam vexarer, erravi,

Jam

p) verſſ. 14. 57. 111. 127. 162.

Jam vero ad dicta tua attendo.
68. Bonus es et benignus, doce me ſtatuta tua.
69. Concinnant contra me mendacia profani,
Ego vero ex animo præcepta tua ſervo.
70. Tument quaſi adipe corda eorum,
Meæ deliciæ ſunt tuæ leges.
71. Utile mihi eſt, quod affligor,
Jam enim diſco ſtatuta tua.
72. Præſtantior mihi eſt lex tua,
Quam millia numorum aureorum et argenteorum.

Jod.

73. Manus tuæ me fecerunt et pararunt,
Erudi me, ut diſcam præcepta tua.
74. Tui reverentes videbunt me et lætabuntur,
Quoniam promiſſiones tuas expecto.
75. Novi, Jova, juſta eſſe tua judicia,
Meque pro fide tua affligi *q*).
76. Sit mihi benignitas tua ſolatio,
Secundum promiſſionem tuam mihi datam.
77. Contingat mihi tua miſericordia, ut vivam,

q) h. e. Deum in afflictionibus immiſſis tamen pro fide ſua cum eo egiſſe, ita ut promiſſa ſervaret. Ellipſis τοῦ ב ante אמונה dura videri non poteſt, neque quod *fides* Deo in puniendo tribuitur. Idem Paulus dixit: 1 Cor. 10, 13. πιστὸς ὁ Θεὸς, ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι ὑπὲρ ὃ δύνασθε.

Nam lege tua delector.

78. Confundantur profani, nam ſine cauſa me perdunt,
Ego vero tua præcepta meditor.

79. Ad meas partes accedant, qui te timent,
Legumque tuarum gnari.

80. Sit animus meus integer in ſtatutis tuis,
Sic non pudefiam.

Chaph.

81. Tuam ſalutem anxie expecto,
Tuis promiſſis confido.

82. Oculi mihi languent præ deſiderio tui promiſſi,
Quando tandem, ajo, me conſolaris?

83. Similis ſum utri in fumo *r*),
Nec tamen ſtatutorum tuorum obliviſcor.

84. Quot dies vitæ meæ reſtant?
Quando tandem perſecutores meos punies?

85. Profani, legis tuæ deſertores, foveas mihi fodiunt.

86. Omnia præcepta tua fidem commendant,

Iſti

r) Imago eſt paullo audacior, ex moribus Orientalium explicanda. Pelles, ex quibus utres rebus liquidis capiendis deſtinati conficiuntur, ſolent antea torrefieri et probe exſiccari. Cum hujusmodi pelle comparat David corpus ſuum exſiccatum et emaciatum. — Nexum autem utriusque membri bene oſtendit *Knappius:* Si afflictiones meas non aliter minuere poſſem, niſi peccatis contra legem tuam, tamen hoc non facerem — — cf. verſ. 61.

Isti vero me sine causa persequuntur, adjuva me.

87. Parum abest, quin me prorsus confecerint,
Nec tamen desero præcepta tua.

88. Pro tua benignitate serva me,
Sedulo studebo legi a te latæ.

Lamed.

89. Lex tua in perpetuum sancita est, Jova, in cœlo s).

90. Per omnes generationes durat tua fides,
Terram condidisti immotam.

91. Ad leges tuas hodienum omnia durant,
Omnia tibi serviunt.

92. Nisi lex tua mihi oblectationi fuisset,
Jam pridem periissem in miseria mea.

93. Numquam præceptorum tuorum obliviscar,
His enim me reficis.

94. Tuus sum. Serva me,
Præceptorum tuorum sum studiosus.

95. Intendunt impii perniciem meam,
Attendo ad legem tuam.

96. Re-

s) *Michaelis* bene sensum videtur explicasse: Leges morales et physicæ eundem auctorem Deum habent. Has omnes admirantur, cur non illas? — Probant hunc sensum duo versus sequentes, qui de eadem legum physicarum immutabilitate agunt.

96. Rerum vel perfectiſſimarum *t*) finis eſt,
Tua præcepta ſunt infinita.

Mem.

97. Quantopere amo legem tuam!
Quotidie eam meditor.
98. Hoſtibus meis prudentiorem me reddis præceptis tuis,
Hæ enim ſunt perpetua mea meditatio *u*).
99. Omnibus doctoribus meis prudentior ſum,
Leges tuas recogito.
100. Magis quam ſenes ſapio,
Nam ſtatuta tua teneo.
101. Ab omni via mala cohibeo pedem meum,
Nam legem tuam ſervo.
102. A tuis ſententiis non deflecto,

Tu

t) hebr. תִּכְלָה eſt ἄπαξ λεγόμ. οἱ ὁ, *συντέλεια*, ſic quoque Syrus ܫܠܡܐ et Vulgatus: *conſummatio.* Sed Symmachus: *πάσης κατασκευῆς*, et Arabs: *omnis perfectionis.* Quæ vera videtur eſſe ſignificatio, etiam per analogiam aliorum nominum. — *Michaelis* explicat per *ſpem* ex ſignificatione verbi תכל in lingua Chaldaica et Syriaca. Sed mirum eſt, neque Syro neque Chaldæo interpreti hoc ſuæ linguæ vocabulum in mentem veniſſe.

u) hebr. כִּי לְעוֹלָם הִיא־לִי ex præcedenti verſu repeto יְשִׂיחָה alias ſententia et conſtructio eſt impeditior.

Tu enim me inſtituis *x*).

103. Multo ſunt dicta tua palato et ori meo melle dulciora.

104. Ex tuis præceptis didici ſapientiam,
Propterea odi omnes pravos mores.

Nun.

105. Lucerna pedibus meis eſt lex tua,
Et lux in via mea.

106. Juravi et præſtabo, *quod juravi:*
Me ſervaturum eſſe præcepta tua juſtiſſima.

107. Graviter afflictus ſum,
Jova, ſerva me ſecundum promiſſiones tuas.

108. Placeant tibi, Jova, vota mea *y*),
Doce me jura tua.

109. In perpetuo vitæ periculo verſor *z*),

Legis

x) q. d. Non homines, quorum leges ſæpe adeo imperfectæ ſunt, ut non poſſint, nec debeant ſervari. Sed leges divinæ perfectiſſimæ ſunt et digniſſimæ, quæ ſumma cura et diligentia ſerventur.

y) hebr. *ſpontaneæ oblationes oris mei.* cf. Deut. 23, 24. נְדָבָה *quam locutus es ore tuo.*

z) hebr. נַפְשִׁי בְכַפִּי תָמִיד *vita mea in manu mea ſemper.* Dictio eſt proverbialis ſumta a lapidibus, qui e cava manu projici ſolebant. cf. 1 Sam. 25, 29. Jud. 12, 3. 1 Sam. 19, 5. 28, 21. Job. 13, 14.

Legis tuæ non obliviſcor *aa*).
110. Impii laqueos mihi tendunt,
Sed a præceptis tuis non aberro.
111. Leges tuas tamquam hæreditatem teneo,
Animi mei ſunt lætitia.
112. Animum meum omni ſtudio ad juſſa tua exſequenda converto,
Aeternum *mihi manet* præmium.

Samech.

113. Odio perſequar cogitationes impias *bb*),
Amo legem tuam.
114. Latebra et clipeus meus es,
Verbo tuo confido.
115. Recedite a me impii,
Servabo præcepta Dei mei *cc*).
116. Suſtenta me ex promiſſione tua et vivam,
Nec me in ſpe mea falli permitte.
117. Fulci me et ſervabor,
Semper reſpiciam tua dicta.
118. Reprobas omnes legis tuæ deſertores,

Vana

aa) e. c. cum occaſionem haberet Sauli interficiendi. Sed abſtinuit ab hujusmodi ſcelere.

bb) hebr. סעפים *Schultenſius* ad Job. 4, 13. docuit, arab. سعاف ſignificare in genere omnes cogitationes ſ. affectus vehementes et turbulentos.

cc) Oppoſita ſententia eſt verſ. 63.

Vana eſt eorum calliditas.
119. Ut ſcorias aufers *dd*) impios,
Propterea amo leges tuas.
120. Horret mihi corpus tui timore,
Tuasque ſententias revereor.

Ajin.

121. Aequitatem et juſtitiam exerceo,
Ne me tradas meis oppreſſoribus.
122. Deducas ſervum tuum in res tutas *ee*),
Ne me opprimant ſuperbi.
123. Cupide expecto tuam ſalutem,
Tuamque benignam promiſſionem.
124. Age cum cultore tuo ſecundum gratiam tuam.
Doce me ſtatuta tua.

125. Cul-

dd) Pro lectione recepta הִשְׁבַּתָּ plurimi interpretes antiquiores legiſſe videntur חָשַׁבְתָּ *habes* ſ. *reputas*. cf. obſervata a me ad Pſalterium Syriacum. Quibus teſtibus antiquis addi poteſt Codex 30. *Kennicotti* non contemnendus. Quanquam illa lectio commodum ſenſum offert, tamen etiam vulgaris ſenſum dat minime ineptum; propterea nolui ab ea recedere.

ee) Sic h. l. explicavit *Funckius* in Symbolis ad Interpret. S. codicis Part. II. p. 85. ex ſignificatione verbi עָרַב *deducere*, quam et aliorum locorum eſſe probavit, uti omnino originem verbi difficilioris עָרַב docte eruit. — לְטוֹב cf. Pſ. 25, 13. Job. 21, 13. 36, 11.

125. Cultor tuus ſum, inſtitue me,
Ut leges tuas intelligam.
126. Adeſt tempus, ut jus exerceas *ff*),
Contemnunt legem tuam.
127. Propterea præcepta tua auro et obryzo mihi
ſunt cariora,
128. Propterea ad omnia præcepta tua *gg*) viam
meam dirigo,
Et omnem falſam viam odi.

Pe.

ff) עֲשֹׂה abſolute poſitum dicitur de exercitio judicii Jer. 18, 23. Maleach. 3, 17. ellipſis eſt τοῦ מִשְׁפָּט.

gg) Verba textus כָּל־פִּקּוּדֶי כָּל יִשַּׁרְתִּי non commodam admittunt explicationem. Omnes verſiones antiquæ legerunt פִּקּוּדֶיךָ Affixum ךָ ex ſequenti כל τοῦ פִּקּוּדֶי reſtituendum. Difficultas in repetita voce כל non tolli melius poteſt, quam ſi, ut Chaldæus fecit, emphaſeos cauſa repetita dicatur: *omnia mandata tua, omnia inquam.* Quodſi hoc quoque inſolitum videatur, ex ſequenti יִשַּׁרְתִּי litera Jod repetatur ad literam ל quæ ex כל ſupereſt et legatur לִי *omnia mandata tua mihi complanavi*, h. e. viam mihi quaſi planam et æqualem feci, remotis omnibus impedimentis, ad viam mandatorum divinorum. Sic *Venema. Hubigantius* τοῖς ὁ et Hieronymum ſecutus legere vult: עַל כֵּן עַל כָּל־פִּקּוּדֶיךָ *propterea ad omnia mandata tua direxi ſive iter mihi rectum fuit.*

Pe.

129. Admirandæ ſunt leges tuæ,
Propterea animo eas teneo.
130. Inſtitutio verbi tui illuminat,
Prudentes reddit ſimplices.
131. Aperto ore anhelo præcepta tua,
Quæ cupide deſidero.
132. Reſpice ad me et fave mihi,
Uti ſperare poſſunt tui amantes *hh*).
133. Greſſus meos firmos effice verbo tuo,
Nec permitte, ut ullum peccatum mihi dominetur.
134. Vindica me ab injuriis hominum,
Cuſtodiam præcepta tua.
135. Benigne reſpice ad cultorem tuum,
Doce me ſtatuta tua.
136. Aquarum rivi emanant oculis meis,
Quoniam legem tuam negligunt.

Zade.

137. Juſtus es, Jova, et recta ſunt tua judicia.
138. Leges dediſti juſtiſſimas et veriſſimas.
139. Ob-

hh) hebr. *ſecundum jus amantium nomen tuum.* Plerique interpretes כְּמִשְׁפָּט ad Deum referunt et de conſuetudine agendi, quam Deus cum piis tenet, interpretantur. Sed tunc eſſet כְּמִשְׁפָּטֶךָ *ſecundum jus tuum.* Rectius igitur כְּמִשְׁפָּט jungitur *amantibus nomen Dei.*

139. Obmutesco præ indignatione,
Quod hostes mei legum tuarum sunt immemores.
140. Probata sunt verba tua valde,
Propterea amat ea cultor tuus.
141. Parvus ego sum et contemtus,
Nec tamen præceptorum tuorum obliviscor.
142. Justitia tua æterna est, et lex tua vera.
143. Quando calamitatem et angorem experior,
Præcepta tua me oblectant.
144. Justitia legum tuarum æterna est,
Doce me et felix ero.

Kuf.

145. Precor ex animo. Responde mihi Jova,
Statuta tua servabo.
146. Precor ad te, serva me, parebo tuis legibus.
147. Præverto diluculum precibus meis,
Tuas promissiones expecto.
148. Anticipo vigilias ad legem tuam meditandam.
149. Audi vocem meam pro benignitate tua,
Pro æquitate tua serva me.
150. Appropinquant scelus persequentes,
A lege tua remoti.
151. *Verum* et tu Jova propinquus es,
Tua præcepta vera sunt.
152. Jam pridem novi de legibus tuis,
Te eas in perpetuum fundasse.

Resch.

Reſch.

153. Vide afflictionem meam et libera me,
Nam legum tuarum non ſum oblitus.
154. Dirime litem meam et vindica me,
Ex promiſſione tua me ſerva.
155. Remota eſt ab impiis ſalus,
Leges tuas non curant.
156. Inſignis eſt tua miſericordia,
Pro tua æquitate ſerva me.
157. Multi quidem me perſequuntur et vexant,
Nec tamen a doctrina tua defecto.
158. Video perfidos et abhorreo ab iis,
Nam verbum tuum non curant.
159. Vide quam ſim legum tuarum ſtudioſus,
Serva me, Jova, pro tua gratia.
160. Summa verbi tui eſt veritas,
In perpetuum tua ſtatuta juſta ſunt.

Schin et Sin.

161. Principes me perſequuntur ſine cauſa,
Sed verbum tuum religio mihi eſt maxima.
162. Gaudeo de dictis tuis,
Sicuti is, qui magna præda potitur.
163. Mendacium odi, immo abominor, legem tuam diligo.
164. Septies quotidie te laudo ob leges tuas juſtas.
165. Magna felicitate fruuntur, qui legem tuam amant,

Non offendunt *in via.*

166. Expecto tuam defenſionem, Jova,
Nam præceptis tuis morem gero.
167. Animus meus inſtituta tua tenet et valde amat.
168. Servo præcepta et mandata tua,
Noſti omnem vitam meam.

Thau.

169. Admitte, Jova, preces meas,
Inſtrue me verbi tui intelligentia *ii*).
170. Veniat ſupplicatio mea in tuum conſpectum,
Defende me ſicuti promiſiſti.
171. Eloquentur labia mea tuas laudes,
Quum me ſtatuta tua docueris.
172. Dicet *kk*) lingua mea de tuo verbo,
Nam

ii) Verba textus כִּדְבָרֶךָ הֲבִינֵנִי ambiguæ ſunt explicationis; nam ſenſus eorum eſſe poteſt, *vel:* fac me intelligere ad te perveniſſe querelas meas, ut ſolatium ex eo percipiam: *vel:* ſapientem me fac et prudentem, ut res meas omnes ex voluntate tua inſtituam et agam. — Elegantem conjecturam habet *Venema:* fortaſſe legendum eſſe הָכִינֵנִי *firmum me fac*, in tuto et ſtabili loco me pone. Quæ ſententia cum ſequenti verſu bene cohæret. — Confirmat eam quodammodo interpres Syrus, qui habet: *et verbo tuo vivifica me.*

kk) Verbum עָנָה ego interpretor h. l. ex ſignificatione ſua primaria *dicere*, *loqui*, ex arab. عنا ultima Vau, *fluere*,

Nam præcepta tua omnia juſta ſunt.
173. Manus tua me adjuvet,
Amo enim tua edicta.
174. Anhelo tuam ſalutem, Jova,
Lex tua me oblectat.
175. Serva vitam meam, te laudabo,
Sententia tua me juvet.
176. Oberro *ll*) inſtar ovis perditæ; quære tuum cultorem,
Qui præceptorum tuorum nunquam eſt oblitus.

PSALMUS CXX

Ex hypotheſi de tempore, cui hic et ſequentes XIV. Pſalmi aſſignandi ſint, de qua in nota ad inſcriptionem dictum eſt, hic quidem conqueritur de calumniis Samaritanorum, quibus hi Judæis ex Babylone modo reducibus apud reges Perſiæ nocere ſtudebant, Eſr. 4, 5.

1. Carmen poſt reditum *a*). Ad Jovam *clamo* in calamitate mea,

 Clamo

fluere, ex qua venit notio *dicendi*, ut Græcorum ῥέω. cf. *Schultenſius* ad Job. 3, 2.

ll) Verbum תָּעִיתִי non de morali aberratione a via virtutis et religionis intelligendum eſt, quam verſ. 110. David eodem verbo adhibito a ſe removet, ſed de oberratione ſua in exilio propter perſecutiones Sauli; quo tempore ſimilis fuit ovi a grege et caula avulſæ et oberranti.

a) De variis virorum doctorum ſententiis ſuper inſcriptione

Clamo et me exaudiet.

2. Jova,

ptione hujus et ſequentium quatuordecim Pſalmorum accurate expoſuit *Eberh. Tilingius* ſingulari libello, cui titulum fecit; *Disquiſitio de ratione inſcriptionis XV. Pſalmorum, qui dicuntur* שירי המעלות *ſeu Canica Adſcenſionum, una cum ſuccincta expoſitione eorundem. Bremæ 1765.* Hypotheſis Viri Doctiſſimi eſt hæc: Pſalmos hos eo temporis intervallo, quod inde a primo reditu ex captivitate Babylonica usque ad reſtauratam religionem et rempublicam Judaicam effluxit, fuiſſe partim primum compoſitos, partim, ſi qui jam ante extiterint, applicatos ad res iſtius ævi atque in unum faſciculum collectos a viro quodam θεοπνεύστῳ ad uſum publicum in cultu ſacro. — Hanc hypotheſin jam antea attulerat *Vriemoet* in Obſervatt. miſcell. Cap. XI. p. 249. Sed paullulum mutatam pluribus eam ornavit *Tilingius*, et quantum in quæſtione obſcura fieri poteſt, ſatis probabilem reddidit. Argumentum quidem horum Pſalmorum convenientiſſimum eſt huic temporis periodo. Plerique enim continent querelas de odio et inimicitia vicinorum, de contemtu hoſtium potentum et ſuperborum, de malis et miſeriis graviſſimis ſuſtentatis, ſed divino auxilio feliciter ſuperatis etc. cf. Pſ. 120, 6. 7. 123, 3. 4. 124, tot. 129, 1 — 3. Quæ omnia minus conveniunt hypotheſi, quæ olim jam nonnullis in mentem venerat, (nam *Geierus* eam inter alias commemorat;) quam vero recentiſſima ætate defenderunt et adſtruxerunt *Herderus* (de Genio Poeſ. Hebr. P. II. p. 367.) aliique: Nempe hos Pſalmos

2. Jova, ſerva me ab ore obtrectante,
A lingua doloſa.
3. Quam ſevere te puniet *Deus*, lingua doloſa *b*)!
4. Similis eſt ſagittis latronis acutis,
Aut prunis geniſtæ *c*) ardentis.

mos faſciculum eſſe carminum ab Iſraelitis in itinere ad dies feſtos cantatorum. At enim vero ipſe Vir Celeberrimus fatetur primum quidem horum carminum propter argumentum ſuum minus convenire huic ſententiæ, reliquos vero huic temporis periodo bene accommodari poſſe aſſerit. Equidem fateor me lamentationes iſtas in locis modo citatis, cum lætitia illa publica, quæ erat Iſraelitarum tempore Davidis aut Salomonis ad dies feſtos proficiſcentium, conciliare non poſſe, et præter 121. et 122. nullum videri huic hypotheſi favere. — Quoniam verbum עלה *aſcendere* de reditu Judæorum ex exilio Babylonico haud dubie uſurpatur e. c. Eſr. 7, 9. verba inſcriptionis שִׁיר הַמַּעֲלוֹת ex illa hypotheſi, quæ mihi probatur, *carmen poſt reditum* verti; quod etiam a *Knappio* factum eſſe video.

b) Sic explico verba textus ſane difficilia מַה־יִּתֶּן לְךָ וּמַה־יֹּסִיף לָךְ ex formula adjurandi: *ſic faciat tibi Deus et ſic addat*, ſæpe obvia, e. c. 1 Sam. 3, 7. ſimillima quidem noſtro loco, ſed tamen diverſa et ellipſi nominis *Dei* ex ipſa formula ſubintelligendi.

c) De רְתָמִים *geniſta* vid. *Celſius* in Hierobot. P. I. p. 246. et *Schultenſius* ad Job. 30, 4.

5. Heu mihi! quod verſandum mihi eſt inter Moſchos *d*),
Et habitandum inter tentoria Kedarenorum.
6. Nimis diu commorandum mihi eſt,
Inter homines, qui pacem oderunt.
7. Ego quidem pacis ſum ſtudioſiſſimus,
Sed quæcunque dixero, ex eis rixandi occaſionem arripiunt.

PSALMUS CXXI

Reduces ex exilio Babylonico ſiſtuntur precantes in ipſo itinere, et verſus patriam ſummo cum deſiderio proſpicientes.

1. Carmen poſt reditum. Attollo oculos meos ad montes *a*),
Unde auxilium mihi venit *b*).

2. Au-

d) Poſteri מֶשֶׁךְ *Meſechi*, filii Japheti Geneſ. 10, 2. inter Pontum Euxinum et mare Caſpium habitantes, qui nomine Moſchorum ab illo conditore ſuo, quem Græci Μοσὸχ appellant, apud ſcriptores profanos veniunt. Tropice vero tantum hoc loco, ut et Arabes Kedareni, nominantur pro hominibus feris et rapacibus.

a) Montes intelliguntur Palæſtinæ, Sion, Tabor, Carmel, ad quos reduces in ipſo itinere conſtituti ſummo cum deſiderio oculos ſuos attollere dicuntur.

b) Scilicet *Jova* terram Iſraelitarum ex ſingulari prærogativa populo conceſſa habitare putabatur, et ſedes ejus erat mons Sion. — Iſraelita extra patriam ſuam a Deo ſuo remotus ſibi videbatur, Pſ. 137, 4.

2. Auxilium mihi venit a Jova,
Qui fecit cœlum et terram. —
3. Non permittet, ut nutet pes tuus *c*).
Non dormitat tuus cuſtos.
4. Scito, non dormire, nec dormitare cuſtodem Iſraelis.
5. Jova te cuſtodit, umbram tibi præbet ad dextram *d*).
6. Interdiu ſol te non feriet, nec luna noctu *e*).
7. Jova te cuſtodiet ab omni malo,
Vitam tuam cuſtodiet.
8. Jova cuſtodit exitum tuum et reditum *f*),
Nunc et in perpetuum.

PSALMUS CXXII

Laudat et celebrat magnam urbis Hieroſolymæ felicitatem, quod hæc metropolis conſtituta ſit, in qua partim cultus ſacer peragatur, partim ſedes regni fixa ſit, ad quam ex omnibus tribubus Iſraelitæ confluere debeant. — Nihil impedit, quominus David carminis auctor ſit, quod inſcriptio prodit, quamquam huic faſci-

c) Reſpondet alius chorus, qui priorem in ſpe illa ſua et fiducia de auxilio Dei impetrando confirmat.

d) h. e. a meridie; quam Orientales a dextra habent verſus Orientem faciem convertentes. *Michaelis.*

e) De luna non dici poteſt eam *ferire* ſicuti *ſol.* Sed נכה in genere de quocunque damno dicitur. Hoc loco igitur de ſplendore lunæ eſt explicandum, qui interdum homines noctu proficiſcentes ſeducit in devia, ſive res ſiſtit ſub alio aſpectu, quam revera habent.

f) h. e. omnia vitæ tuæ negotia. Deut. 28, 6. 1 Sam. 8, 20.

culo XV Psalmorum reducum Israelitarum sit insertus. Illi enim, qui rem sacram post reditum ex exilio Babylonico curabant et constituebant, in quibus Esram principem fuisse constat, commode Psalmos quosdam vetustiores, olim aliorum usibus destinatos, ob materiæ affinitatem suorum temporum usibus accommodare potuerunt atque huic fasciculo inserere. — Idem illud valet etiam de sequentibus hujus ipsius fasciculi 124. 127. 131. 132. 133. quibus nomina Davidis et Salomonis sunt præfixa.

1. Carmen post reditum. Davidis.
Vehementer lætor, dum mihi dicitur:
Eamus ad ædem Jovæ.
2. Mox stabimus intra tuas portas, Hierosolyma!
3. Hierosolyma urbs est exstructa
Ad communem omnium societatem.
4. Eo conveniunt tribus, tribus Dei, ex instituto Israelis,
Ad laudandum Jovam.
5. Ibi sedes est tribunalium,
Sedes regni Davidis.
6. Bene precamini Hierosolymæ,
Bene sit omnibus, qui te amant.
7. Sit pax in muris tuis,
Felicitas in tuis ædificiis.
8. Propter populares et contribules meos,
Semper ego tuæ saluti studebo.
9. Propter ædem Jovæ Dei nostri
Semper tibi bene cupiam.

PSAL-

PSALMUS CXXIII

Conqueruntur Iſraelitæ de inſultationibus et contemtu adverſariorum (haud dubie Samaritanorum) quem diu jam ſuſtinuiſſent, atque auxilium divinum implorant.

1. Carmen poſt reditum. Ad te attollo oculos meos,
Qui ſedem habes in cœlo.
2. Ut ſervus ad herum ſuum, ut ancilla ad heram
ſuam oculos habent directos,
Sic nos oculis noſtris Jovam Deum noſtrum reſpicimus,
Donec ſuam nobis gratiam exhibeat.
3. Miſerere noſtri, Jova, miſerere noſtri,
Obruimur enim contumelia.
4. Multa patimur ab opprobriis iſtorum ob felicitatem ſuam inſolentium,
A contemtu iſtorum faſtuoſorum.

PSALMUS CXXIV

Continet gratiarum actionem pro ſingulari et miraculoſa liberatione ab hoſtibus, qui totalem ruinam et perniciem minabantur. Ex inſcriptione Pſalmus eſt Davidis, ſed tunc difficile eſt tempus ſive occaſionem definire, qua ab eo ſcriptus ſit. Venema, neglecta inſcriptione, a rege Hiskia aut tempore ejus compoſitum putat, poſt miraculoſam ab Aſſyriorum rege Sancheribo liberationem. — Nihil definio, ſed reduces ex exilio eo uti potuerunt poſt liberationem inſperatam ab infeſtationibus Samaritanorum, a quibus ſibi valde timuerant, Nehem. 4, 5. ſeqq.

1. Carmen poſt reditum. Davidis.

Niſi

Niſi Jova nobis adfuiſſet, dicant Iſraelitæ,
2. Niſi Jova nobis adfuiſſet,
Quum homines in nos conſurgerent,
3. Jam pridem nos vivos devoraſſent,
Ardente in nos eorum ira.
4. Jam pridem nos aquæ inundaſſent,
Torrentes nos obruiſſent.
5. Jam pridem nos texiſſent aquæ impetuoſæ.
6. Laudetur Deus, qui non paſſus eſt, nos prædam eſſe dentibus *hoſtium noſtrorum.*
7. Nos tamquam avicula evaſimus aucupum laqueo,
Laqueo rupto evaſimus.
8. Auxilium noſtrum eſt Deus, cœli et terræ creator.

PSALMUS CXXV

Fiducia in Deo collocanda tempore periculoſo. — Tilingius l. l. p. 99. refert Pſalmum ad eam temporis periodum, qua reducibus non tam ab aperta vi hoſtium ſuorum, ſicuti antea, quam potius ab eorum fraudibus et ſeductionibus metuendum erat, Nehem. XIII.

1. Carmen poſt reditum.
Qui Jovæ confidunt, ut mons Sion conſiſtent immoti.
2. Ut Hieroſolyma undique montibus cincta eſt,
Sic Jova cingit ſuum populum omni tempore.
3. Propterea non nimis diu prementur pii ab impiorum tyrannide *a*),
Ne

a) Ad literam eſt: *non quieſcet ſceptrum impii ſuper ſorte piorum.*

Ne forſan et ipſi ad facta non probanda delabantur.

4. Benignum te præbe, Jova, bonis,
Iis, qui animis ſunt ſinceris et integris.
5. Sed qui deflectunt ad vias tortuoſas *b*),
Hos abiget Jova ſ. perdet cum omnibus impiis.
Salus ſit Iſraeli.

PSALMUS CXXVI

Carmen hoc elegantiſſimum haud dubie referendum eſt ad prima tempora reditus ex exilio Babylonico. Continet gratiarum actionem pro beneficio hoc inſigni liberationis ex captivitate, et preces pro eo conſummando. Diverſis enim temporibus diverſa agmina rediiſſe ex hiſtoria Eſræ et Nehemiæ conſtat.

1. Carmen poſt reditum.
Quum Jova captivos Sionitas reduceret,
Somnian-

piorum. *Sceptrum impii* metonymice dictum eſt, pro imperio ſ. tyrannide, quod *non quieſcere* dicitur, dum Deus non permittit, ut diutius populus Dei ab eo affligatur. — גּוֹרָל *ſors* etiam metonymice pro *provincia* Joſ. 18, 11.

b) *Vel*, qui dolo et fraudibus aliis nocent, *vel*, idololatriæ dediti. Solent enim Orientales veram religionem cum *via plana*, falſam cum *via curva et tortuoſa* comparare: יַלֵּךְ h. l. eſt *perire*, uti ſæpe. Poſterior explicatio *Knappio* placet. Utraque tempori, ad quod Pſalmum referimus, poteſt accommodari.

Somniantibus ſimiles fuimus.
2. Tunc ora noſtra ridebant et linguæ ſonabant jubila.
Tunc inter nationes exteras quoque dicebatur:
Magna ſunt, quæ Jova fecit huic populo.
3. Immo magna ſunt, quæ Jova nobis fecit,
Habemus ſane, de quo lætemur.
4. Reduc, o Jova, et *reliquos* popularium noſtrorum captivos,
Ut alveos auſtrales *aridos* et *exſiccatos* a).
5. Qui ſerunt lacrimantes, metunt cum gaudio.
6. Qui ſemen inter lacrimas ſpargit b),
Redit cum gaudio reportans manipulos *meſſis uberrimæ.*

PSALMUS CXXVII

Docetur nihil ſuſcipiendum eſſe, niſi Deo duce et auſpice, nequa poſſe rei ſuſceptæ felicem ſucceſſum ſperari, niſi Deus eum dederit. — Quamquam Salomo carminis auctor perhibetur, tamen temporibus proximis poſt reditum ex exilio Babylonico argumentum eſt aptiſſimum. His enim quisque cogitabat tantum de re domeſtica firmanda et augenda, et tamen ab initio propter negle-ctam templi reſtaurationem minus proſperos ſucceſſus habebant, uti ex Haggæo et Maleachi conſtat.

1. Car-

a) Qui æſtivo tempore arefacti, tempore autumnali iterum creſcunt et redundant.

b) מֶשֶׁךְ הַזָּרַע *projectio* ſ. *protractio ſeminis.* Subſtantivum pro Adjectivo: ſemen ſpargendum. Occurrit phraſis Amos 9, 13.

1. Carmen poſt reditum. Salomonis.
Niſi Jova domum exſtruat, fruſtra in ea laborant humanæ operæ.
Niſi Jova urbem cuſtodiat, fruſtra vigilant excubitores.
2. Fruſtra eſtis, qui ad primam lucem ſurgitis,
In multam noctem laborem producentes,
Et inter anxios animi dolores cibum capientes.
Perennem et ſolidam felicitatem Deus ſuis concedit quaſi in ſomno *a*).
3. En! liberi Dei donum ſunt,
Et præmii loco *ab eo* datur uteri fœcunditas.
4. Quod ſagittæ ſunt in manu fortis bellatoris,
Hoc filii ſunt patri nati *b*).
5. O felicem virum, qui habet pharetram plenam talibus ſagittis.
Non cadent cauſa ſua, ſi contra adverſarios in loco judicii defendunt *parentes ſuos*.

PSAL-

a) Verba textus ſunt: כֵּן יִתֵּן לִידִידוֹ שֵׁנָא. Languet ſenſus ſi כֵּן vertatur *ſic*. Sed uti alias quoque ſubſtantivum eſt *verum* et *certum* indicans, e. c. Exod. 10, 29. Jeſ. 16, 6. ſic hoc loco poteſt de vera et conſtanti felicitate explicari, quæ שָׁוְא apte reſpondet. — שֵׁנָא pro בְּשֵׁנָא ſive בִּשְׁנָא.

b) Tropus ſumtus eſt a virtute bellica iſtorum temporum. Uti fortis bellator multum confidit telis ſuis: ſic parentes defenſionem atque auxilium expectant a liberis ſuis.

PSALMUS CXXVIII

Continet descriptionem et promissionem felicitatis vitæ conjugalis et domesticæ pie institutæ et peractæ. — Quod argumentum bene convenit temporibus post reditum ex exilio Babylonico. Multiplicatio enim Judæorum illis temporibus fuit in singularibus beneficiis a Deo eis promissis, Jerem. 30, 19. 20. Zach. 8, 4. 5.

1. Carmen post reditum.
   Beatus est is, qui Jovam reveretur,
   Qui vitam suam ad voluntatem ejus instituit.
2. Frueris labore tuo partis. Beatus et felix eris.
3. Conjux tua instar vitis frugiferæ ad latera ædium tuarum *a*) *plantatæ*.
   Liberi tui ut olivarum plantæ circum mensam tuam.
4. En! tam felix est, qui Jovam reveretur.
5. Fortunabit te Jova ex Sione.
   Lætare de felicitate Hierosolymæ, quamdiu vivis.
6. Videbis nepotes tuos. Felix sit Hierosolyma.

PSAL-

a) Solent Orientales, uti apud nos quoque moris est, plantare vites circa ædes. Cum ejusmodi vite eleganter comparatur conjux pii Israelitæ ad commendandam simul ejus modestiam et curam rei familiaris. cf. Ps. 144, 12. *Knappius.*

PSALMUS CXXIX

Continet gratiarum actionem pro auxilio propter ſpem atque expectationem præſtito. — Quod argumentum aptiſſimum eſt tempori, quo poſt multa impedimenta reduces Judæi iterum ab Artaxerxe Longimano libertatem templi exſtruendi conſequebantur.

1. Carmen poſt reditum.
Multum me afflixerunt a juventute mea *a*). Sic dicat Iſrael.
2. Multum me afflixerunt a juventute mea,
Sed mihi non prævaluerunt.
3. Dorſum meum ararunt aratores,
Sulcos ſuos in longum ducentes *b*).
4. Sed Jova juſtus abſcidit funes impiorum *c*).
5. Turpiter retro agentur omnes Sionis adverſarii.
6. Erunt ſicuti gramen in tectis,
Quod antequam evellatur, exareſcit.
7. Quo

a) h. e. ab initiis reipublicæ Judaicæ. Sic transferuntur diverſæ hominum ætates etiam ad regna et civitates Jer. 2, 2. Hoſ. 2, 17. Hoc loco ſervitus Aegyptiaca intelligitur.

b) cf. Jeſ. 51, 23. ubi idem tropus.

c) Intelliguntur funes ipſius aratri, quibus boves aratro alligantur, quorum alias quoque in fractione jugi mentio fit, Nahum. 1, 13. Jer. 5, 5. cf. *Paulſen* de agricultura Orient. p. 66.

7. Quo non implet manum ſuam meſſor,
Nec brachio ſuo manipulos colligit.
8. Quibus viatores non bene precentur
Salutantes eos nomine Jovæ.

PSALMUS CXXX

Continet deprecationem populi poenitentis ob peccatum commiſſum in conjugiis cum gentibus idololatricis. Hiſtoria legitur Eſr. 9. et 10.

1. Carmen poſt reditum.
Ex profundo *a*), Jova, te invoco.
2. Audi, Domine, vocem meam,
Præbe aurem tuam voci meæ ſupplici.
3. Si in peccata velis animadvertere, o Deus,
Quis conſiſtet, Domine? —
4. At enim vero tu condonas, ut te revereantur.
5. Jovam expecto: expectat anima mea,
Promiſſionem ejus ſuſpicio.
6. *Suſpicio* Dominum magis quam vigiles obſervantes tempus matutinum.
7. Confidat Iſrael Jovæ, nam benignus eſt,

Et

a) hebr. מַעֲמַקִּים præter h. l. eſt Pſ. 69, 3. 15. ubi adjunctum habet מַיִם et Jeſ. 51, 10. ubi conſtruitur cum יָם. Hinc *Venema* conjectat contractum eſſe ex duabus vocibus מעמקי מים vel מעמקי ים uti eſt in locis citatis.

Et potentiſſimum ejus auxilium.

8. Redimet Iſraelem ab omnibus peccatorum ſuorum poenis.

PSALMUS CXXXI

Quoniam Davidem inſcriptio auctorem Pſalmi perhibet, videtur eum ſcripſiſſe, antequam ad poſſeſſionem regni veniret. — Defendit ſe adverſus criminationes Sauli et aulicorum ejus, quod regnum malis artibus adſpiraret, 1 Sam. 24, 10. 26, 19. a ſua ambitione ſe alieniſſimum eſſe confirmat. — Ad Judæos reduces translatus eſt, propter criminationes, in ſpecie Sanneballati, eos a rege Perſiæ defeciſſe, Nehem. 6, 5. 6. 7.

1. Carmen poſt reditum. Davidis.
Jova, non animo efferor, non ſupercilia tollo,
Non ſuſcipio, quæ nimis magna aut ardua mihi ſunt.
2. Profecto ita animum meum ad quietem compoſui *a*),
Ut ablactatus erga matrem.
Ut ablactati, ita meus in me eſt animus.
3. Expectet Iſrael Jovam, nunc et ſemper.

a) שָׁוִיתִי proprie *complanare*, dicitur de animi motibus ſedatis, quibus *tumor* opponitur, h. e. commotiones animi vehementiores. — אִם־לֹא non eſt particula conditionalis, ſed aſſeverandi, uti Jer. 22, 6. Ezech. 3, 6. 1 Reg. 20, 23. cf. *Schnurrerus* in Faſc. II. Animadverſſ. ad quædam loca Pſalmorum p. 23.

PSALMUS CXXXII

Pſalmus compoſitus videtur tempore ſolennis dedicationis templi Salomonei 1 Reg. 8. 2 Chron. 5. 6. Ipſa verba a Salomone uſurpata l. c. verſ. 41. 42. repetuntur v. 8. 9. Continet vero cum confeſſionem publicam voti Davidici a Deo approbati, tum declarationem, templum exſtructum ſedem Dei et religionis eſſe debere v. 7. 8. tandem repetitionem promiſſionis divinæ per Nathanem Davidi datæ de perpetuitate regni ejus. Auctor Pſalmi non videtur eſſe ipſe David, ſed alius vir divinus illius temporis. — Commode vero a reducibus Judæis in dedicatione templi ſecundi potuit adhiberi.

1. Carmen poſt reditum.
Memor ſis, Jova, Davidis laborumque ſuorum.
2. Quando tibi juravit, votumque voverat Jacobitarum numini.
3. Non ingrediar, inquiebat, domum meam,
Nec conſcendam ſtratum lecti mei.
4. Non ſomnum concedam meis oculis,
Nec palpebris quietem.
5. Donec locum invenero Jovæ,
Habitationem numinis Jacobitarum. —
6. En! audivimus de ea Ephratæ,
Invenimus eam in agris Jaaris *a*).
7. Acce-

a) Fateor me hunc verſum non intelligere. Non ſatisfacit quod vulgo dicitur: loca indicari, in quibus antea arca depoſita fuerit, primo Siluntem regionis Ephraimiticæ,

7. Accedamus ad ejus habitationem,
Adoremus ad ſcabellum pedum ejus.
8. Surge, Jova, ad ſedem quietis tuæ occupandam,

ticæ, deinde Kiriatjearimum tribus Judæ, 1 Sam. 6, 21. Nam, ut taceam, ſenſum hunc perquam tenuem eſſe et reliqua carminis elegantia minus dignum, verba quoque textus hanc explicationem non admittunt, quoniam *Ephrata* pro regione tribus Ephraimiticæ et *agri Jaaris* ſ. *ſilvæ* pro Kiriatjearim inſolentius dictum eſſet. — *Venema* quidem novi quid et ab hactenus dictis diverſi tentavit. Nimirum Iſraelitas, qui in hoc verſu loquentes inducantur, dicere: Votum illud Davidis, quod inde a verſu ſecundo allatum fuerat. Salomonem impleviſſe: *audivimus*, *invenimus*, inquiunt, ſcilicet id quod David ſe inventurum voverat. — Fœmininum enim genus verbis additum *vel* pro neutro poſitum eſſe, uti ſæpe, *vel* ad *habitationes* referri, enallage numeri haud inſueta. In verbo *audiri* reſpici ad nuncios a Salomone miſſos ad convocandos Iſraelitas ad illam ſolennitatem 2 Chron. 5, 2. *Ubi* vero hæc perceperant? In *Ephrata* et *agris ſilvæ*, h. e. in locis propinquis et remotis, cultis et incultis. *Ephratam* ſ. *Bethlehemum* poni *vel* pro locis vicinis *vel* pro fertilibus, in oppoſitione ad *agros ſilvæ*, ſub quibus regiones incultæ, in ſpecie Libani, intelligerentur. — Hæc ſumma eſt conjecturæ *Venemæ* ſuper loco hoc difficillimo. Sed vereor ut hic ſenſus, in ſe quidem bonus, et aptior, quam qui vulgo verbis tribuitur, ex his ſatis probatus videatur.

Tu et arca majeſtatis tuæ *ſymbolum.*

9. Sacerdotes tui vera ſanctitate ornati,
Aliique tui religioſi cultores canant. —

10. Propter Davidem tibi deditum,
Ne averſeris preces uncti tui.

11. Juravit Jova Davidi veriſſime, neque hoc mutabit.
Collocabo, *inquit*, in ſolio tuo unum ex te natum.

12. Si filii tui fœdus et ſtatuta mea eis tradita ſervarint,
Illi in perpetuum ſolium tuum poſſidebunt.

13. Amo enim Sionem,
Placet mihi eam ut ſedem meam occupare.

14. Hic quieſcam perpetuo. Hic habitabo. Ita mihi placet.

15. Proventus ejus copioſiſſimos efficiam,
Pauperes ejus abunde ſatiabo.

16. Sacerdotes ejus omnis generis bonis abundent,
Et pii ejus ſemper habeant, de quo gaudeant.

17. Ibi faciam, ut eminèat potentia Davidis *b*),
Fortunam *c*) familiæ ejus augebo.

18. Inimicos ejus ignominia obruam,
Decus autem ejus regium florebit.

PSAL-

b) hebr. *cornu Davidis.* Emblema regiæ majeſtatis et dignitatis, 1 Sam. 2, 10.

c) hebr. עֶרְכְּתִי נֵר *Lucerna* indicat ſplendidam domus fortunam, et in ſpecie dicitur de perſonis fortunam iſtam

PSALMUS CXXXIII

Commendat concordiam fraternam. Fortaſſe a Davide compoſitus, quum poſt bella civilia, quibus poſt mortem Sauli per octo annos populus vexatus fuerat, omnes tribus ſeſe ejus imperio ſubjecerant, 2 Sam. 5, 1—11. 1 Chron. 11, 1. ſeqq. — Temporibus reditus ex captivitate Babylonica convenit, quum reduces illi propter concordiam ſuam laudentur Nehem. 8, 1. ſeqq.

1. Carmen poſt reditum. Davidis.
   En! quam bonum eſt, quam jucundum,
   Fratres concordia ſibi junctos una habitare.
2. Ut oleum præſtantiſſimum, quod in caput Aaronis effuſum
   Defluit in ejus barbam et inde ad veſtes ejus *a*):
3. Ut ros Hermonis, qui in montes aridos *b*) deſcendit.

iſtam ſuſtinentibus, e. c. Job. 18, 6. 29, 3. ad quæ loca cf. *Schultenſius*. Non negem reſpici ad Meſſiam ex familia Davidis naſcendum.

a) Commendatur hæc fraterna concordia et animorum conſenſio ex eo quod ſic omnes ſua bona inter ſe communicent, atque hac ratione id, quod unus habeat, ad plures redundet. Hoc duplici ſimilitudine illuſtratur — Altera ſumta eſt a præſtantiſſimo unguento ſummi pontificis verſ. 2. Altera a rore Hermonis, qui montes aridos irriget.

b) Valde laborant interpretes, qui vocabulum יְרִידִים pro nomine

Hos enim Jova fortunabit *c*),
Omnisque generis bonis perpetuo augebit.

PSALMUS CXXXIV

Continet lætam acclamationem ad ſacerdotes et Levitas, qua excitantur ad munus ſuum pie et religioſe obeundum, circa veſpertinum ſacrificium fortaſſe decantatum.

1. Carmen poſt reditum.
Laudate Jovam omnes ejus miniſtri,
Qui in ejus æde nocturna miniſteria peragitis.
2. Attollite manus veſtras *in* loco ſacro. Laudate Jovam.
3. Benedicat tibi Jova ex Sione,
Qui cœlum et terram creavit.

PSAL-

mine proprio montis Sionis accipiunt, ſi demonſtrare volunt, quomodo ab Hermone monte, qui pars eſt Anti-Libani et ad minimum triginta milliaria a Sione diſtabat, in hunc montem Sionem ros defluere potuerit. — Facillima mihi videtur explicatio, quam primum in *Simonis* Lexico ſub h. v. legi, ſi ſtatuatur צִיּוֹן h. l. non eſſe nomen proprium, ſed appellativum *ariditatem* indicans.

c) Clauditur epiphonemate, quod continet iſtorum ſimilium applicationem. — כִּי שָׁם *Ibi enim* ſc. in tali fraterna concordia Jova vult eſſe benedictionem, fortunam et felicitatem conſtantem.

PSALMUS CXXXV

Carmen eſt euchariſticum, in quo Deus laudatur propter bonitatem ſuam 1—7. et propter beneficia in populum Iſraeliticum collata 8—14. ex demonſtratione vanitatis idolorum et idololatriæ 15—21. Haud dubie ad tempora templi ſecundi referendum.

1. Laudate Deum, laudate nomen Jovæ,
   Laudate ejus miniſtri.
2. Qui in ejus æde miniſtratis,
   In atriis domus Dei noſtri.
3. Laudate Deum, nam bonus eſt Jova,
   Pſallite ejus nomini, quod jucundum eſt.
4. Nam Jacobitas ſibi elegit Deus,
   Iſraelitas ut peculium ſuum.
5. Certo ego ſcio, Jovam magnum eſſe,
   Dominum noſtrum omnibus diis majorem.
6. Quidquid ei placet, facit,
   In cœlo et terra, in mari et aquis omnibus.
7. Educit nubes undique *a*) e terra,

a) Locus ſumtus eſt ex Jer. 10, 13. et 51, 16. In quo vero מִקְצֵה הָאָרֶץ non eſt vertendum, ut plerique interpretes ſolent: *ab extremis terræ*, nam nubes non ſolum in extremis terræ finibus aſcendunt, ſed in toto terrarum orbe, ſed *ubique*. Sic מקצה nonnunquam hebraice dici *Schultenſius* obſervavit atque ex lingua arabica

Fulgura facit cum pluvia,
Producit ventum ex locis ſuis reconditis. —
8. Hic fuit, qui primogenita percuſſit Aegypti,
Cum hominum, tum animalium.
9. Signa et prodigia edidit in te, o Aegypte!
Contra Pharaonem et aulicos ejus.
10. Hic fuit, qui populos cædebat multos,
Et interficiebat reges potentes.
11. Sichonem regem Amoritarum,
Ogum regem Baſanis et omnium Cananææ regnorum.
12. Quorum terram dedit poſſidendam,
Poſſidendam Iſraelitis ſuo populo.
13. Nomen tuum, o Jova, manet in perpetuum,
Tuique memoria per omnes generationes.
14. Cauſam enim agit Jova populi ſui,
Suorumque cultorum eſt miſertus. —
15. Idola gentium argentea et aurea,
Opus ſunt manuum humanarum *b*).
16. Os habent, ſed non loquuntur,
Oculos habent, ſed non vident.
17. Aures habent, ſed non audiunt,

Nares,

arabica illuſtravit in Animadverſſ. philol. ad Geneſ. 19, 4. Addo ſequentia loca præter illa Jeremiæ, in quibus haud dubie מקצה ſic explicandum eſt: 1 Reg. 12, 31. 13, 33.

b) Locus ſumtus eſt ex Pſ. 115, 4. ſeqq.

Nares, ſed non ducunt ſpiritum ore ſuo.
18. Horum ſimiles ſunt, qui ea faciunt,
Omnesque qui eis confidunt. —
19. Poſteri Iſraelis! laudate Jovam,
Aaronis poſteri! laudate Jovam.
20. Vos de familia Levi, laudate Jovam,
Omnes ejus reverentes eum laudate.
21. Laudetur Jova e Sione,
Is, qui Hieroſolymæ habitat. Laudate Deum.

PSALMUS CXXXVI

Ejusdem eſt argumenti cum præcedenti. Laudat Deum propter bonitatem ſuam, quam demonſtravit partim in creatione totius hujus univerſi 1—9. partim in providentia ſua maxime reſpectu populi Iſraelitici 10—24. Quæ argumenti convenientia probabile facit, eum in fundatione templi ſecundi adhibitum, quod nonnulli maxime ex Eſr. 3, 11. colligunt, ubi narratur: reduces alternis choris Jovam laudaſſe, quod bonus ſit æternaque in Iſraelitas benignitate. Quæ ipſa formula eſt, in qua ſinguli hujus Pſalmi verſus deſinunt, qua reſpondebatur alteri choro, prius hemiſtichion accinenti.

1. Laudate Jovam, nam bonus eſt,
Benignitas ejus eſt æterna.
2. Celebrate Deum deorum,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
3. Prædicate Dominum dominorum,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
4. Qui ſolus edit admiranda et magna,

Nam

Nam benignitas ejus eſt æterna.
5. Qui cœlum fecit prudentia,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
6. Qui terram fundavit ſuper aquis,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
7. Qui fecit lumina magna,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
8. Solem quidem, ut præeſſet diei,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
9. Lunam vero et ſtellas ad regendam noctem,
Nam benignitas ejus eſt æterna. —
10. Qui Aegypti primogenita interfecit,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
11. Atque eduxit ex ea Iſraelitas,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
12. Manu forti et brachio exſerto *a*),
Nam benignitas ejus eſt æterna.
13. Qui ſinum Arabicum in partes ſecuit,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
14. Atque Iſraelitas traduxit,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
15. Oppreſſit *b*) Pharaonem cum exercitu ſuo in ſinu Arabico,

Nam

a) Phraſis de eadem re Moſi uſurpata Exod. 3, 19. 6, 1. 13, 9.

b) נער proprie eſt ſedibus, opibus, mente et vita expelli et probari. cf. *Schultenſius* ad Job. 36, 14. 38, 13.

Nam benignitas ejus eſt æterna.
16. Qui duxit populum ſuum per deſertum,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
17. Qui reges magnos percuſſit,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
18. Atque reges potentes interfecit,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
19. Sichonem regem Amoritarum,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
20. Et Ogum regem Baſaniticum,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
21. Dedit terram eorum poſſidendam,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
22. Poſſidendam Iſraelitis ſuis cultoribus,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
23. Qui in oppreſſione noſtra noſtri recordabatur,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
24. Et nos ab hoſtibus noſtris vindicavit —
Nam benignitas ejus eſt æterna.
25. Qui cibum dat omnibus creaturis vivis,
Nam benignitas ejus eſt æterna.
26. Celebrate Deum cœli,
Nam benignitas ejus eſt æterna.

PSALMUS CXXXVII

Compoſitus videtur non diu poſt reditum ex exilio Babylonico in memoriam vitæ illius et conditionis, in qua reduces fuerant. Simul

Simul ad excitandum ſtudium et amorem in urbem, patriam et religionem, quod inter eos mox primis temporibus non parum torpuiſſe conſtat ex Haggæo et Zacharia.

1. Ad flumina Babylonis *a*) ſedimus lacrimantes,
Dum memoriam Sionis recoluimus.
2. Suſpendimus in ſalicibus ibi obviis citharas noſtras.
3. Tum poſtulabant, qui nos captivos tenebant, cantica,
Qui nos abduxerant *b*), jubebant lætari:
Canite nobis, *inquiebant*, carmen quoddam ex illis Sionicis.
4. Quo-

a) Non urbis, ſed regionis, per quam exules diſperſi vivebant. Flumina igitur illa ſunt Euphrates, Tigris, Chaboras, cf. Ezech. 1, 3. 3, 15.

b) Vocabulum תלל ἅπαξ λεγόμ. varie explicatur ab antiquioribus et recentioribus interpretibus. Ego quidem ſecutus ſum τοὺς ὁ, qui habent: οἱ ἀπαγαγόντες ἡμᾶς et ſic quoque Vulgatus: *qui abduxerunt nos.* Quæ verſio duplici modo ex lingua arabica illuſtrari poteſt, *vel* ut תול conferatur cum טול literis ת et ט permutatis (de qua permutatione non infrequenti cf. *Schultenſius* in Clave dialect. p. 241. et 315.) *longus, remotus fuit*, quod in IIda et IVta conjugatione ſit *elongare, projicere.* Sic *Venema* ad h. l. *Vel*, quod magis placet, ut conferatur ﻃﻞ (*Golius* p. 388.) *humi proſtravit* et in IVta *vinxit, manu duxit.* cf. Obſervat. ad Pſalterium Syr.

4. Quomodo caneremus cantica Jovæ ſacra in terra peregrina *c*)?
5. Si tui obliviſcar, Hieroſolyma, torpore corripiatur dextra mea *d*).
6. Adhæreſcat lingua palato meo, ſi tui memoriam depoſuero,
Ni Hieroſolymam omni alii lætitiæ longe prætulero.
7. Memento Jova Edomitaram *e*), qui die iſto Hieroſolymæ exitioſo
Dicebant: exſcindite eam, ad fundamenta usque eam exſcindite.
8. Et tu, o Babylon, mox vaſtanda! bene ſit ei, qui rependet tibi, quod nobis feciſti.
9. Bene ſit ei, qui abreptos parvulos tuos illidet petræ.

PSAL-

c) Egregie exprimit hæc reſponſio affectum admirantis inſolentiam et conquerentis de illa hoſtium injuria.

d) In textu eſt תִּשְׁכַּח יְמִינִי *Grotius*, Abeneſram et Kimchium ſecutus, aliique recentiores ſupplent: *citharam pulſare*. Quæ ellipſis durior videtur et ſententia pro affectu imprecantium nimis tenuis. Olim jam ad Pſalterium Syriacum verba h. l. illuſtrari poſſe cenſebam ex ſimili loco Job. 28, 4. נשכחים מני רגל *oblivioni dati a pedibus*, h. e. qui pedibus recte uti non poſſunt. Necdum pœnitet me eorum quæ ad illum locum ſcripſi.

e) Infenſiſſimi Judæorum hoſtes. cf. Ezech. 25, 12—14. Amos 1, 11. 12. Obadj. verſ. 10.

PSALMUS CXXXVIII

Continet gratiarum actionem pro liberatione ex magnis periculis, et collata aut confirmata dignitate regia ſecundum promiſſionem datam. Poteſt igitur ad initia regni Davidici referri, quum ab omnibus tribubus rex eſſet creatus, ſive poſtquam ſeditione Abſolomi feliciter repreſſa promiſſionem acceperat de regni ſui perpetuitate.

1. Davidis. Laudabo te toto corde,
Coram regibus te canam.
2. Adorabo te verſus locum tibi ſacrum,
Laudabo te propter benignitatem et fidem tuam;
Nam præ aliis omnibus te magnum exhibuiſti hac
tua promiſſione *a*).
3. Quum te invocarem, mihi reſpondiſti.
Me facis terribilem *b*), hinc animus meus firmus eſt.
4. Celebrabunt te, Jova, omnes terræ reges,
Quando audient, quæ dixiſti.
5. Canent tua opera,
Magnam eſſe Jovæ majeſtatem.

6. Quam-

a) Poſt עַל כֹּל ſupple שֵׁם, et שִׁמְךָ conſtruendum eſt cum *magnificaſti*, tandem ad אִמְרָתֶךָ omiſſa eſt præpoſitio בְּ *hac tua promiſſione.*

b) Senſus eſt: regnum meum reddes glorioſum et terribile hoſtibus; hinc animus meus fiduciæ et roboris plenus eſt. De רהב cf. *Schultenſius* ad Prov. 6, 3. proprie eſt: *terrorem injicere.*

6. Quamvis Jova ſublimis eſt, tamen humilia reſpicit,
Quamvis excelſus, tamen quod remotum eſt, cognoſcit.
7. Quando in anguſtiis verſor, me vivum ſervas,
Hoſtem iratum manu tua coerces,
Servas me dextra tua.
8. Jova perficiet res meas,
Tua benignitas, Jova, eſt æterna,
Ab opere manuum tuarum ne remittas.

PSALMUS CXXXIX

Celebrat David in hoc carmine ſane egregio ſcientiam Dei, quæ omnium rerum, cogitationum noſtrarum actionumque omnium accuratiſſimam habeat cognitionem, 1—7. Ejusque præſentiam, quæ omnibus in locis omni tempore adſit. Quorum attributorum divinorum conſideratione et aſſidua meditatione ſeſe confirmat in amore Dei et fiducia in eo ſemper ponenda. Tempus Pſalmi et occaſio videtur fuiſſe fuga a Saulo, et exilium, in quo vixit. Conqueritur enim in fine de hominibus impiis et ſanguinolentis, et conteſtatur ſuam innocentiam.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
Tu, o Jova, me exploras et cognitum habes.
2. Tu noſti me, ſive ſedeam, ſive ſurgam,
Proſpicis meas cogitationes e longinquo.
3. Sive ambulem, ſive decumbam, accurate hoc noſti *a*), Et

a) Verbum זֵרִיתָ, quod in textu legitur, optime illuſtravit

Et omnes vias meas perſpicis *b*).
4. Ne verbum quidem linguæ meæ ſubeſt,
Quod tibi, Jova, ſit ignotum.
5. Retro et ante me cingis,
Et manu tua me tenes *c*).
6. Hæc *tua* ſcientia ingenii mei vires longe excedit,
Non poſſum eam comprehendere. —
7. Quorſum abeam a ſpiritu tuo *d*)?
Quorſum fugiam a facie tua?
8. Si cœlum ſcanderem, tu ibi es.
Si ſtratum mihi apud inferos pararem, en! ades.
9. Si

Schultenſius in Animadverſſ. philol. ad h. l. docuitque Arabes dicere ſolere: *cingere rem ſcientia*, pro: *accurate aliquid noſſe*. Omiſſo deinde ſubſtantivo, *cingere* ſimpliciter quoque idem ſignificare. Vel conferri poſſe putat cum noſtro זרה عرى *ſcire*, *cognoſcere*; Quanquam alias Arabes hebræum ז in ض mutant, tamen interdum quoque in Dal. cf. obſervat. ad Pſalterium Syriacum.

b) De verbo סכן, quod proprie eſt ταμιεύειν, *recondere*, *reſervare*, cf. idem *Schultenſius* ad Job. 23, 2.

c) Senſus eſt: quocunque me vertam, quocunque oculos conjiciam, ſurſum aut deorſum, ſemper tu mihi occurris, ſ. ubicunque tuæ ſcientiæ documenta video.

d) Non eſt argutandum in מֵרוּחֶךָ *a ſpiritu tuo*, neque in ſequenti מִפָּנֶיךָ *a facie tua*. Indicatur divinæ mentis ſcientia, quæ, uti Deus ipſe, ubique locorum eſt, cui nihil poteſt eſſe abſconditum.

9. Si auroræ alas haberem *e*),
Atque ad extremum mare habitare vellem:
10. Tamen ibi quoque tua me manus duceret,
Tuaque dextra defenderet.
11. Quodſi cogitarem, tenebras mihi eſſe poſſe exitioſas *f*),
Nox tamen lux eſſet circum me.

e) h. e. ſi moverer ea celeritate, qua radii auroræ ab oriente in occidentem momento temporis pervadunt: ego tamen ibi quoque tuæ præſentiæ *gratioſæ, quæ me defendit*, certus eſſe poſſem. Hoc verba נחה et ימין verſ. 10. innuunt. Nam David non optat Deo effugere aut ei occultari. Recordatio præſentiæ divinæ in omnibus locis ſolatium ei erat, et ſpem ejus fiduciamque in Deo poſitam confirmabat, quod ex concluſione totius Pſalmi inde a verſ. 17. clare apparet.

f) Idem ſenſus eſt, qui præcedentis verſus: Non magis mihi tenebræ, alias periculoſæ et formidoloſæ, timendæ ſunt. Nam verbo rariori שוף ſignificationem *perdendi* ſ. *conterendi* utique eſſe, probavit *Schultenſius* ad Job. 9, 17. quanquam et altera *odorandi* et *explorandi* ei propria eſt, quæ tamen tribus illis locis, in quibus שוף occurrit, minus apta videtur. Nam, quod ſupra jam obſervavi, divinus vates non loquitur de ſcientia et præſentia Dei, quoad ea terribilis eſt, aut timenda homini peccatori et malorum ſibi conſcio, ſed quoad ea ſolatur et ſpem fiduciamque confirmat hominis pii in periculis conſtituti.

12. Ipſæ adeo tenebræ nihil tibi obſcurare poſſunt,
Nox apud te inſtar lucis ſplendet,
Tenebræ tibi eodem cum luce loco ſunt.
13. Tu effinxiſti *g*) intima mea,
Me jam in utero materno formaſti.
14. Te celebrabo, quod mirabili adeo ratione ortus ſum,
Prorſus admiranda ſunt tua opera.
15. Non te latuerunt oſſa mea,
Quando formabar *h*) in abſcondito
Et artificioſe effingebar in ima terra *i*).

16. Pri-

g) Verbum קָנָה alias quidem in lingua hebraica eſt *acquiſivit*, ſed quoniam hæc ſignificatio minus apta videtur huic loco, aſſentior illis, qui ex lingua ſyriaca notionem *parandi* aut *formandi* ei tribuunt. Sic quoque interpres Syrus intellexit, qui habet: ܒܪܝ *paraſti*. Sequens verbum תְּסֻכֵּנִי *texiſti me*, non de defenſione Dei intelligo, quod per contextum non commode fieri poteſt, nam ſequentia de mira formatione fœtus in utero materno agunt, ſed eadem ſententia eſſe videtur, quæ Job. 10, 11. legitur: *cute et carne me veſtiviſti.*

h) Quoniam verbum עָשִׂיתִי reſpondet רֻקַּמְתִּי in ſequenti membro, apparet illud hoc loco de artificioſa ſtructura ſive fabricatione dici, uti alias quoque, e. c. Jeſ. 43, 7. Amos 9, 14. ex prima ejus ſignificatione *tegendi*. cf. *Michaelis* in notis ad Coheleth Cap. 1, 9.

i) hebr. בְּתַחְתִּיּוֹת אָרֶץ Dubium non eſt, quin uterus

mater-

16. Primam meam maſſam *k*) viderunt oculi tui,

maternus intelligatur, qui in antecedente membro סִתְרִי et verſ. 13. בֶּטֶן אִמִּי proprie dicebatur. Hebræi nimirum de ſtatu hominis ante nativitatem ſuam eodem tropo loquuntur, quo de ſtatu ejus poſt mortem. Comparant eum cum ſepulcro et ut partem mundi ſubterranei conſiderant, in qua homines naſcendi ſint, antequam ex eo in mundum hunc viſibilem prodeant. cf. Hiob. 1, 21. et *Michaelis.*

k) Vocabulum hebr. גֹּלֶם tantum hoc loco obvium interpretes antiquiores et recentiores ex contextu ſatis recte explicarunt de primis ſtaminibus corporis humani in utero materno, ſ. embryone. Sic οἱ ὁ et Aquila ἀκατέργαστόν μου. Vulgatus: *imperfectum meum.* Symmachus vero: ἀμόρφωτόν μου, *informe meum.* Chaldæus: גּוּשְׁמָא *corpus.* Neque omni deſtituitur ratione hæc explicatio ex origine. Nam גָּלַם eſt *involvit* ſ. *convolvit* 2 Reg. 2, 8. hinc *Simonis* in Lexico et alii nomen h. l. formatum ſtatuerunt et explicarunt per *involucrum* ſ. *tegumentum* ſ. *membranam*, cui tanquam *amiculo* embryo eſt involutus. — At enim vero in alia omnia abit *Michaelis* in Supplementis ad Lexica hebr. ſub h. v. atque illa originatione e verbo גלם prorſus ſilentio ſuppreſſa, novam vocabuli גלם ſignificationem attulit auctore *Epiphanio*, qui in hæreſi XXX. §. 31. dicit: Γολμὴ Hebræis eſſe *chondrum* ſ. *alicam* ex grano tritici reſectam. Non defuit Viro Illuſtri origo ex lingua

Libro tuo omnes dies jam inſcripti erant et
conſignati,
Quam-

gua arabica arceſſenda, nam جلم eſt *fecuit.* Atqui *chondri* fiunt ex granis tritici, pellicula atque extremitatibus refectis, ergo גלם eſt *chondrus.* — Jam vero rei anatomicæ peritiſſimus eum docuit: *primum, quod poſt imprægnationem oculis cerni in utero poſſit, veſicam ſemipellucidam eſſe prope rotundam, chondro ſimilem.* Hinc certum eſſe dicit: גלם proprio ſenſu eſſe *chondrum;* ſenſu vero anatomico et medico, illud ipſum corpuſculum, quod poſt conceptionem primam in utero oculis cerni poſſit. — Ad objectionem, quam Vir Illuſtris facile prævidere poterat: miram et fere incredibilem hanc tantam tempore Davidis rei anatomicæ ſcientiam videri poſſe, reſpondet: ſacerdotibus medicinam demandatam fuiſſe (vid. Jus Moſaicum P. IV. §. 210.) illosque innumera mactaſſe ſacrificia; hinc eis nota et vulgaria eſſe potuiſſe, quæ noſtros medicos diu fugerunt. — Sed vereor, ut hæc ſufficiant ad novam hanc vocis גלם ſignificationem adſtruendam. Parum probabile eſt, ſacerdotibus in ſacrificiis mactandis tantum temporis conceſſum fuiſſe, ut obſervationes anatomicas adeo ſubtiles poſſent inſtituere. At embryonis, qui jam in utero materno magis ſuccreverit, formam aut ſitum in involucris ſuis notitiam habere potuerunt Iſraelitæ ſine magna rei anatomicæ peritia, atque hinc ex verbo גלם *involvit* ſ. *convolvit*, nomen τοῦ גֹּלֶם *involucri* ſ. *amiculi* dare.

Quamquam ne unus quidem eorum adeſſet. —
17. Unde mihi admodum jucundæ ſunt illæ de te cogitationes,
Quanta eſt vel primorum eorum capitum ſumma!
18. Si vel eorum numerum inire vellem,
Ipſam arenam *maris* multitudine ſuperant,
Atque expergefactus in hac tui meditatione adhuc ſum occupatus. —
19. Utinam, o Deus, interficeres impium,
Et ſanguinolenti a me recederent *l*)!
20. Qui impie contra te rebellant *m*),

l) Verba textus ſunt: וְאַנְשֵׁי דָמִים סוּרוּ מֶנִּי *et ſanguinolenti recedite a me.* Sed ſic poſterius membrum minus bene reſpondet priori. Chaldæus et Syrus non imperativum, ſed futurum יָסוּרוּ legiſſe videntur. Quorum lectionem ego in verſione expreſſi.

m) Lectio textualis ſ. Cetib codicis hebræi eſt יֹמְרוּךָ a verbo מרה, quam verſio græca, quæ quinta dicitur, quoad literas expreſſit, ſed a מרר derivavit: *παροξύνουσάν σε ἐν κακοβουλίᾳ, exacerbarunt te in pravo conſilio.* Sed reliqui omnes marginalem lectionem יאמרוך exhibent. Aquila: *ὅτι ἀντιλέξουσί σοι.* Symmachus: *οἵτινες ἀντελάλησάν σοι.* Theodotio: *ὅτι ἐρίσουσί σοι.* Tantum οἱ ὁ exprimunt ſingularem *ὅτι ἐρεῖς*, niſi lectio corrupta eſt, nam Vulgatus habet: *quia dicitis.* Sed Syrus quoque pluralem legit: ܡܡܠܠܝܢ ܠܟ *quoniam locuti ſunt tibi*

Et per urbes tuas pejerant *n*).

21. Equidem illos hoſtes tuos vehementer odi,
Atque abominor adverſarios tuos.
22. Odio capitali eos perſequor,
Atque hoſtium numero eos habeo.
23. Explora me, o Deus, et perſpice animum meum,
Examina et cognoſce meas cogitationes.
24. Atque vide, num forte in via erronea verſer,
Et dirige me in via, quæ ad æternitatem ducit.

PSAL-

tibi ſ. *contra te*. *Michaelis* et *Knappius* poſteriorem lectionem ſecuti ſunt, eamque, uti Chaldæus quoque fecit, de perjurio explicant. Sed quoniam poſterius hemiſtichium haud dubie de eo agit, in priori ad tautologiam vitandam lectionem textualem ſ. Cetib præferendam putavi.

n) Quoniam phraſis נשא לשוא de perjurio dicitur Exod. 20, 7. non eſt quod lectio recepta in dubium vocetur propter עָרֶיךָ, pro quo *Hubigantius* legi maluit עָלֶיךָ. Conſentiunt in lectione vulgari verſiones antiquæ omnes, quanquam in ejus explicatione diſſentiunt. Aquila et Symmachus rariorem ſignificatum *hoſtium* ei tribuunt. Ille enim vertit: λήμψων εἰς εἰκῆ ἀντίζηλοί σου. Hic: ἐπήρθησαν ματαίως οἱ ἐναντίοι σου. LXX vero, Vulgatus et Syrus uſitatiorem *urbium*, λήψονται εἰς ματαιότητα τὰς πόλεις σου, *accipient in vanitate civitates tuas*, quæ etiam hoc loco retineri poteſt, ſi meminerimus, quod ex Matth. 5, 35. conſtat, Judæos quoque per *loca ſacra* jurare conſueviſſe.

PSALMUS CXL

Conqueritur David in hoc Pſalmo de hoſtium ſuorum impietate, calumniis et inſidiis. Solatur ſe ſpe et fiducia, quam in Deo ponit, qui non ſolum eum defendat, ſed etiam hoſtes perdat. — De perſecutionibus Sauli et aulicorum ejus ſermonem eſſe, dubio caret. Sed ſpecialius tempus deſignare non auſim.

1. Præfecto chori muſici. Pſalmus Davidis.
2. Libera me, Jova, ab hominibus impiis,
   A crudelibus me defende.
3. Qui prava apud ſe cogitant,
   Quotidie bellum excitant *a*).
4. Acuunt linguam ſuam inſtar ſerpentis,
   Venenum aſpidis eſt ſub eorum labiis.
5. Defendo me, Jova, ab impiorum manibus,
   A crudelibus me ſerva,

a) Lectio textus recepta יִגּוֹרוּ מְלְחָמוֹת difficiliorem habet explicationem propter uſum hujus formulæ alias non obviæ. Poteſt tamen גור explicari ex ſignificatione, quam in lingua arabica جر habet, *deflectere*, in ſpecie *a via*, niſi ellipſis τοῦ ל ante מלחמות durior videatur. Fortaſſe pro יגורו legendum eſt יְעוֹרְרוּ *concitant bellum*, ex ſignificatione primaria hujus verbi. Sic legiſſe videntur Syrus et Chaldæus, qui habent ערעו. LXX verterunt: παρετάσσοντο πολέμους. Vulgatus: *conſtituebant prælia.*

Qui meos labefactare greſſus cogitant.

6. Abdiderunt mihi ſuperbi laqueos et funes,
Expanderunt rete juxta viam,
Tendicula mihi poſuerunt.

7. Dico Jovæ: tu es Deus meus,
Attende, o Jova, ad vocem meam ſupplicem.

8. Jova Domine, potentiſſimum auxilium meum es,
Tegis caput meum die prœlii.

9. Noli me, o Deus, impiorum deſideriis tradere,
Noli permittere, ut conſilia ſua exſequantur, *ne* inſoleſcant.

10. Venenum circumvenientium me,
Aeruminæ, de quibus loquuntur, ipſos operiat *b*).

11. Excutiantur in eos prunæ ardentes *c*),

In

b) Suſpectum videtur *Michaeli* (in Biblioth. Or. P. XIX. p. 160.) et *Doederleinio* יְכַסֵּימוּ *teget eos* derivatum a כסה *texit*, utpote ראֹשׁ *veneno* minus aptum. Ille quidem aliis punctis ſubjectis legere vult יְכַסְּמוּ collato ſyriaco et chaldaico נכס *occidit*. Hic vero (in Scholiis ad libros poeticos Vet. Teſt.) Symmachi lectionem et verſionem probat, qui habet *πωμοσάτω αὐτοὺς, potus eorum ſit*. Unde verbum כום *potare* lexicis hebraicis ſit reſtituendum. Senſus utique eſt commodiſſimus: venenum, quod mihi propinarunt, ipſi hauriant; et explicatio digna quæ obſervetur.

c) h. e. fulgura.

In ignem prosternat eos, in aquarum gurgites *d*),
ex quibus emergere non possunt.
12. Calumniator non stabilietur in terra,
Virum violentum malum persequetur in fugam
præcipitem.
13. Certo scio, Jovam causam agere miseri,
Et defendere pauperem.
14. Profecto probi te laudabunt,
Fruentur boni tuo favore.

PSALMUS CXLI.

Rogat David, ut Deus eum servet, ne unquam illecebris aut insidiis hostium suorum capiatur et committat aliquid, quod ipsi velint et optent. Confirmat, se ab eorum factis vehementer abhorrere et propterea quoque se eorum inimicitias et persecutiones experiri. — Perquam difficile est, tempus aut occasionem Psalmi tantum probabiliter, nedum certo eruere. Criteria, quæ verba produnt, non valde clara sunt, atque variis possunt temporis periodis vitæ Davidicæ, vel notis, vel ignotis, accommodari. Plerique tamen interpretes statuunt, preces directas esse contra Saulum et socios

d) Vocabulum ἅπαξ λεγ. מַהֲמֹרוֹת ex lingua arabica illustrandum ﻣﻬﻤﺮ *aquam effudit* (*Golius* p. 2574.) hinc substantivum de aquæ effusione vehementiore dicitur. cf. observat. ad Psalterium Syr. — Tropi utriusque membri non difficiles sunt intellectu, alias quoque obvii de pœnarum et judiciorum divinorum vehementia, qua isti homines impii prorsus sunt perdendi.

ſocios ejus eo tempore, quo David illos e caverna ſalvos et incolumes dimiſiſſet. Hiſtoria legitur, 1 Sam. 24.

1. Pſalmus Davidis. — Jova, te invoco. Feſtina ad me,
Attende voci meæ, quando ad te precor.
2. Veniant in conſpectum tuum preces meæ inſtar ſuffitus,
Manuum mearum elatio inſtar ferti veſpertini.
3. Appone, Jova, cuſtodiam ori meo,
Serva labiorum meorum oſtium.
4. Noli permittere, ut animus meus ad rem malam inclinet,
Ut ſcelera committam cum impiis,
Non veſcar eorum cupediis.
5. Corripiat me juſtus, beneficium erit,
Reprehendat me, inſtar unguenti capitis mihi erit,
Non renuam, ſi vel repetat,
Sed jam contra malitiam eorum deprecor *a*).
6. Di-

a) Debeo hanc verſus hujus difficillimi explicationem S. R. *Doederleinio*, qui alia verborum diſtinctione ſenſum receptæ lectionis ſine ulla mutatione oſtendit ſatis facilem et probabilem. Nimirum verba כִּי עוֹד et ſequens Vau prorſus redundant, nec admittunt explicationem, ſi ſignum diſtinctionis majus ponitur poſt רֹאשִׁי quod

6. Dimiſſi ſunt judices eorum per petras,
Et audiverunt ex me ſermones non niſi ſuaves *b*).

7. Ut

quod fieri debet ex diſtinctione maſorethica. Quam difficultatem vidit quoque *Michaelis* (in Biblioth. Or. P. XIX. p. 164.) neque diſſimulavit, ſed fruſtra tentavit removere. Hac vero ingenioſa *Doederleinii* conjectura admiſſa, non ſolum illa verba minime redundant, ſed etiam ſuperflua eſt et parum neceſſaria mutatio verborum præcedentium שמן ראש in שמן רשע quam *Michaelis* ex teſtimonio omnium interpretum antiquorum defendit. — Verbum יָנִי in quo tertia radicalis א omiſſa eſt in textu vulgari, quam tamen 36. codices *Kennicotti* habent, recte explicatur per *avertere*. Habet hanc ſignificationem non ſolum Num. 32, 6. Pſ. 33, 10. ſed poteſt etiam conferri cum arab. نوي (*Golius* p. 2490.)

b) Aeque difficilis eſt hic verſus ac præcedens. Magis tamen ex eo, quod hiſtoriam, ad quam alluditur, ignoramus, quam ex verborum obſcuritate. *Doederleinius* aliique referunt verba ad id quod narratur 1 Sam. 24. poſtquam David Saulum et ſocios ex caverna incolumes dimiſiſſet. Alii putant ſermonem eſſe de eo quod 1 Sam. 26. memoriæ proditum eſt, cum Siphenſes Davidem prodidiſſent, et Saulus in petra, Davidis caſtris oppoſita ſua caſtra haberet. Equidem malim ad poſterius factum referre, quoniam verba ſic faciliorem habent explicationem et verti poſſunt: *Per petras feruntur* ſ. *in montibus oberrant*. — Pro imprecatione vero ex

meo

7. Ut is, qui terram findit et secat,
Sic ossa nostra dispersa sunt ad sepulcrum.
8. Ad te, Jova, oculos meos extollo,
Tibi confido, noli me tuo auxilio privare.
9. Custodi me a laqueo, quem mihi tendunt,
Ab offendiculis peccatorum.
10. Cadant impii in retia sua,
Ego vero illæsus evadam.

PSALMUS CXLII

Preces continet Davidis ardentissimas, quod ab omni auxilio humano sit destitutus et solo Deo nitatur. Non satis distincte inscriptio determinat tempus, quum bis in spelunca latuerit, primo Odollami, 1 Sam. 22. deinde Engeddi, cap. 24. Fortasse prius intelligitur, antequam ejus familia aliique calamitate pressi sese ei adjungerent, coll. vers. 5. et 8.

1. Psalmus didascalicus Davidis, quum esset in spelunca.
2. Voce mea ad Jovam clamo,
Voce mea Jovam suppliciter precor.
3. Effundo coram eo querelas meas,
Expono ei, quibus in angustiis sim constitutus.
4. Quando mihi spiritus fere deficit, tu nosti viam meam.
In via, qua mihi eundum est, laqueum tetenderunt.
5. Vide

meo sensu non commode haberi possunt, propter alterum membrum, quanquam video plerisque interpretibus hanc sententiam placere.

5. Vide ad dextram et cognoſce *a*),
Non eſt, qui mei curam gerat.
Omni auxilio ſum deſtitutus.
Non eſt, qui vitæ meæ rationem habeat.
6. Ad te, Jova, clamo, tu es, inquam, meum refugium,
Unicus, qui mihi in hac vita ſuperes defenſor *b*).
7. Attende ad querelas meas, quia tantopere ſum affectus,
Defende me a perſecutoribus meis,
Nam me ſunt longe potentiores.
8. Educ me e clauſtro *c*), ut nomen tuum celebrare poſſim.
Cingent me probi, quum mihi benefeceris.

PSAL-

a) Verba textus ſunt: הַבֵּיט יָמִין וּרְאֵה *Hubigantius, Michaelis, Knappius* conjectant, poſt וּרְאֵה excidiſſe שְׂמֹאל *ſiniſtra*, quæ יָמִין *dextræ* reſpondeat. Sane facilior eſſet verborum nexus, neque ego dubitarem conjecturam admittere, ſi ullum ejus in codice, aut in verſionibus antiquis indicium deprehenderem. Quod cum deſit, non valde quæſita aut ab uſu loquendi aliena videtur explicatio, quam jam *Geierus* dedit: dextræ mentionem fieri, quod is qui alterum defendat, ad dextram ejus ſtare ſoleat. Hinc ſenſus verborum: *aſpice ad dextram et vide*, eſt: vide, num ſit qui me defendat. coll. Pſ. 16, 8. 109, 31. 121, 5.

b) hebr. *pars mea in terra viventium.*

c) hebr. מַסְגֵּר. Intelligit ſpeluncam, in qua latebat.

PSALMUS CXLIII

Videtur a Davide compoſitus in fuga ab Abſolomo filio ſuo. Loquitur de tempore præterito ut ſibi felici v. 5. de præſenti vero ut calamitoſo ex juſto Dei iudicio v. 2. Idem tempus ei a LXX interpretibus aſſignatur.

1. Pſalmus Davidis — Jova audi preces meas.
Attende ad preces meas ſupplices pro fide tua,
Exaudi me pro tua benignitate.
2. Ne jure mecum agas,
Nemo enim mortalium coram te juſtus eſt.
3. Hoſtis me perſequitur, vitam meam peſſundat,
Ablegat me ad tenebras, ut dudum mortuos.
4. Animus mihi deficit,
Mens mea eſt attonita.
5. Recordor dierum antiquorum,
Recogito tot tua opera,
Meditor de potentiæ tuæ documentis.
6. Expando manus meas ad te,
Similis ſum terræ ſiticuloſæ.
7. Propere me exaudi, Jova, ſpiritus mihi deficit,
Noli mihi faciem tuam ſubtrahere.
Alias ſimilis ero eis, qui ad ſepulcrum deſcendunt.
8. Fac ut mox experiar tuam benignitatem. Tibi confido.
Oſtende mihi viam, qua eundum mihi eſt, ad te animum effero.

9. De-

9. Defende me ab hoſtibus meis, Jova,
A te protectio mea venire debet *a*).
10. Doce me facere, quæ tibi placent. Tu es Deus meus.
Tu pro tua benignitate duc me ad locum ſecurum *b*).
11. Propter nominis tui gloriam ſerva me,
Propter bonitatem tuam eripe me ex hoc periculo.
12. Pro favore in me tuo obmuteſcant hoſtes mei,
Diſperge omnes adverſarios meos. Tuus enim ſum.

PSAL-

a) אֵלֶיךָ כִּסִּיתִי phraſis eſt inſolentior, cujus duplex dari poteſt explicatio. *Vel* ut pro כִּסִּיתִי legatur חָסִיתִי verbum ſæpe hoc ſenſu a Davide uſurpatum, e. c. Pſ. 7, 2. 25, 31. 31, 2. 71, 1. 144, 2. quod legiſſe videntur *οἱ ὁ, ὅτι πρός σε κατέφυγον*, Vulgatus: *ad te confugi*, (Syrus omiſit hæc verba) et codex regiomontanus poſterior exhibet. *Vel* ut כִּסִּיתִי non ſit verbum, ſed ſubſtantivum ex Piel formatum ut כסות et כסית ex Kal. *Ad te protectio mea* ſc. ſpectat, h. e. tuum eſt me defendere. Sic *Venema*.

b) Recte obſervat *Knappius*, contextum non favere vulgari explicationi, qua hæc verba de auxilio divino ad vitæ probitatem intelliguntur. Nam verſu nono et undecimo ſermo eſt de defenſione ab hoſtibus. Igitur ſenſus potius eſſe videtur: ut Deus velit modum et rationem revelare, qua ex his periculis poſſit evadere. Pro אֶרֶץ מִישׁוֹר in ſimili argumento Pſ. 27, 11. legitur אֹרַח מִישׁוֹר.

PSALMUS CXLIV

Eſt euchariſticus pro præſtito auxilio in bello adverſus hoſtes perjuros et foedifragos v. 8. et 11. Fortaſſe bellum Ammoniticum intelligitur, cujus hiſtoria legitur 2 Sam. 10.

1. Pſalmus Davidis — Laudetur Jova, petra mea,
Qui manus meas bellum docet, digitos meos *a*) certamen.
2. Fautor meus, mea arx, meum propugnaculum, meus defenſor.
Clipeus meus, ad quem confugio, qui gentes *b*) mihi ſubjicit.
3. Jova, quid eſt homo, ut ejus curam geras;
Mortalis, ut ejus rationem habeas?
4. Homo

a) Appoſite obſervat *Michaelis* h. l. poetas orientales ſolere in deſcribendis viris fortibus et peritis bellatoribus mentionem facere digitorum, quibus quam maxime opus ſit ad gladium fortiter tenendum, ne ab adverſario manibus excutiatur.

b) In textu recepto legitur quidem עַמִּי *populum meum*, ſed legendum eſſe in numero plurali עַמִּים plane apparet primo ex verbo רָדַד quod de violenta ſubjectione et dominatione uſurpatur, minus aptum imperio Davidis in Iſraelitas, coll. Pſ. 18, 48. deinde ex conſenſu plurium Codd. in lectione altera numeri pluralis a *Kennicotto* citatorum, verſionum quoque antiquarum Chaldæi, Syri et Hieronymi. Tantum et ex eis facta arabica habent numerum ſingularem.

4. Homo vapori ſimilis eſt,
Dies ejus veluti umbra tranſeunt. —
5. Jova, inclina cœlum tuum et deſcende,
Tange montes, ut fument *c*).
6. Stringe fulgura et diſperge *hoſtes d*),
Mitte ſagittas tuas et conturba eos.
7. Mitte manum tuam ex alto,
Eripe et ſalva me ex aquis multis,
E manu hominum peregrinorum *e*).
8. Qui ore ſuo mendacia proferunt,
Et dextram ad perjurium attollunt. — *f*)

c) Hoc verſu et duobus ſequentibus implorat David auxilium divinum iisdem phraſibus et imaginibus poeticis, quibus Pſ. 18, 10. ſeqq. utitur, quæ ſumtæ ſunt ab auguſto illo et terribili deſcenſu in montem Sinai, ad quem frequenter ſolent poetæ hebræi alludere. cf. *Lowth* de Poeſi S. Hebr. Prælect. IX. p. 168. edit. Goetting. pr.

d) Subjectum hoc non quidem nominatum eſt, ſed ex prædicatis facile intelligendum. Affixum verbi numeri pluralis non poteſt ad nomen ſingularis numeri ברק referri, neque in poſteriore membro verbum המם *conturbavit* convenit *ſagittis*.

e) Gentes intelligit, quibuscum bellum gerebat.

f) hebr. *Dextra eorum eſt dextra mendacii. Dextram* h. l. nonnulli interpretes de *robore* et *potentia* explicant, qua iſti hoſtes Davidis, ſed falſo, ſeſe jactarent, quæ propter-

ea

9. O Deus! canticum novum tibi canam,
Te nablio decachordo cantabo.
10. Qui das salutem regibus,
Et eripis Davidem cultorem tuum e gladio lethifero.
11. Eripe et serva me ab hominibus peregrinis,
Qui ore mendacia proferunt,
Et dextram ad perjuria attollunt. —
12. Beatos prædico *g*) filios nostros similes plantis feliciter succrescentibus *h*).

Filias

ea *dextra mendacii* diceretur. Sed præferenda videtur h. l. significatio *jurisjurandi*, quam vox יְמִין in lingua arabica frequenter habet et sic de *perjurio* sermo est. cf. *Schultensius* in Animadverss. philol. ad h. l.

g) Primo laborant nonnulli interpretes in nexu hujus loci cum antecedentibus ostendendo. Mihi videtur usque ad finem *canticum illud novum* esse, quod David vers. 9. canere promiserat. Versus autem 10. et 11. ei præmittuntur ad tempus indicandum, quo demum canticum illud novum cantari possit, nempe quando Deus Davidem adversus istos hostes suos adjuverit. — Deinde אֲשֶׁר parum apte incipit hunc locum, si vertatur ex significatu suo vulgari; quod vero interdum ponatur pro particula affirmandi, non satis probant loca a *Ludov. de Dieu* citata. Perplacet igitur explicatio, quam *Doederleinius* dedit: אשר positum esse pro אַאֲשֶׁר *beatum prædico*. Quod aptissimum quoque est initium carminis canendi.

h) cf. Ps. 128, 3.

Filias noſtras ſimiles columnis exaſciatis palatii
ſplendide exſtructi.
13. Horrea plena ſunt proferuntque nova ſubinde
alimenta *i*).
Greges noſtri in millia et myriades augentur in
villis noſtris.
14. Boves noſtri pingues ſunt.
Nullum infortunium, nulla contra hoſtes eruptio *k*),
Nullus clamor in vicis noſtris auditur. —
15. O beatum populum, cui talia eveniunt.
O beatum populum, cujus Deus Jova eſt.

PSALMUS CXLV

Celebrat potentiam, benignitatem, juſtitiam Dei, quæ cum in omnibus operibus ejus elucet, tum maxime ſeſe generi humano exhibet, atque in primis piis et bonis, qui Deum timent et in eo ſpem ſuam ponunt. Hos ſuſtentat, erigit, exaudit, conſervat. Videtur ſcriptus eſſe ſub finem regni Davidici, pace undique reſtituta et republica ſalva et felici.

1. Hymnus auctore Davide.

i) hebr. מִזָּן אֶל־זָן eſt hebraiſmus, de quo vid. *Glaſſius* p. 448. edit. recent.

k) Verbum יֹצֵא de eruptione in hoſtem ſ. de expeditione militari ſæpe dicitur, e. c. Deut. 20, 1. Jud. 9, 33. 11, 3. 1 Sam. 23, 13. 2 Sam. 11, 1. Senſus eſt: expeditiones militares tunc nullas fore; omnia eſſe pacifica, nec bellum geri a populo.

Te extollam, mi Deus! Rex,
Celebrabo nomen tuum in perpetuum.
2. Quotidie te celebrabo,
Et te laudabo omni tempore.
3. Magnus eſt Jova et valde laudandus,
Ejusque magnitudo eſt imperveſtigabilis.
4. Aetas ætati commendat tua facta,
Tuasque virtutes commemorant.
5. Tuæ glorioſæ majeſtatis decus,
Res tuas mirandas ediſſeram.
6. Prædicent alii potentiæ tuæ facta verenda,
Ego quoque tuam magnitudinem enarrabo.
7. Memoriam inſignis tuæ benignitatis commendent,
Tuamque juſtitiam deprædicent.
8. Propitius et miſericors eſt Jova,
Longanimis et inſigni benignitate.
9. Bonus eſt Jova erga omnes,
Omniumque creaturarum ſuarum miſeretur.
10. Laudent te omnes creaturæ tuæ,
Dilecti tui te celebrent.
11. Dicant de regni tui excellentia,
Loquantur de tua virtute.
12. Ad indicandum hominibus hanc tuam virtutem,
Et excellentiam regni tui glorioſi.
13. Regnum tuum eſt regnum æternum,

Et

Et dominatus tuus durat per omnes generationes *a*).

14. Suſtentat Jova cadentes,
Erigit omnes incurvatos.
15. Omnium oculi te expectant,
Ut victum eis præbeas ſuo tempore.
16. Aperis manum tuam,

Et

a) Cum ſinguli hujus Pſalmi verſus ſingulas alphabeti literas in prima voce exhibeant, jure meritoque interpretes in cauſam inquiſiverunt, ob quam verſus, qui cum litera Nun incipere debebat, ſit omiſſus. Cujus omiſſionis ratio probabilis alia reddi non poteſt, quam quod negligentia ſcribarum exciderit ex codicibus hebraicis. Exhibent tamen eum οἱ ὁ his verbis: πιστὸς κύριος ἐν τοῖς λόγοις (edit. Compl. Arabs et Aethiops ἐν πᾶσι τ. λ.) αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Vulgatus: *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, et ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Similiter Syrus et Arabs. — E codicibus Kennicottianis unus tantum, qui eſt num. 142. inſignitus, in ima parte paginæ verba hebraica adſcripta habet: נאמן יהיה בכל דבריו וחסיד בכל מעשיו. Eſt hic codex Academiæ Dublinenſis, Pſalmos tantum continens atque ipſo *Kennicotto* judice Sæc. XV. exeunte ſcriptus. Cujus teſtimonium igitur non multum ponderis addit teſtimoniis verſionum antiquiorum. Mirum tamen eſt hanc lacunam eſſe adeo antiquam, ut jam Hieronymi ætate hic verſus in codicibus hebraicis lectus non ſit, et in Hexaplis obelo notatus.

Et ſatias omnia, quæ vivunt, prouti optant *b*).
17. Juſtus eſt Jova in rebus ſuis omnibus,
Et benignus in omnibus ſuis operibus.
18. Propinquus eſt Jova omnibus eum invocantibus,
Omnibus, qui eum recte et fideliter invocant.
19. Implet deſideria cultorum ſuorum,
Clamorem eorum audit et ſervat eos.
20. Servat Jova omnes, qui eum amant,
Impios contra omnes perdit.
21. Laudes Jovæ celebret os meum,
Prædicent omnes homines nomen ejus ſanctum
omni tempore.

PSALMUS CXLVI

Excitat homines ad ſpem et fiduciam in Deo collocandam, cujus ſumma eſt benignitas et potentia, quum hominum auxilium vanum ſit et incertum. Nihil impedit, quo minus hic Pſalmus Davidis ſit, quanquam LXX interpretes et Syrus eum Haggæo et Zachariæ prophetis tribuant.

1. Laudate Deum!
Lauda, o anima mea! Jovam.
2. Laudabo Jovam, quamdiu vivam,

Pſal-

b) hebr. מַשְׂבִּיעַ־רָצוֹן. Ut verſ. 19. רְצוֹן יְרֵאָיו ſunt deſideria piorum, ſic in his verbis deſideria animalium ſunt victus, quem optant et quo delectantur.

Pſallam Deo meo, quousque vita mea ſuppetet *a*).
3. Ne confidatis principibus,
Hominibus, qui ſervare non poſſunt.
4. Exhalant animam, rediguntur in pulverem, ex quo extitere.
Tunc intercidunt omnia eorum conſilia.
5. O beatum hominem, cujus auxilium eſt Deus Jacobitarum,
Cujus ſpes in Jova Deo collocatur.
6. Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia, quæ ea continent,
Qui fidem ſervat in æternum.
7. Qui vindicat oppreſſos, cibum dat eſurientibus,
Jova vincula ſolvit captivorum.
8. Jova aperit oculos cœcorum,
Erigit incurvatos, amat probos.
9. Jova tuetur peregrinos, pupillos et viduas ſuſtentat,
Impiorum autem conſilia evertit.
10. Regnat Jova in perpetuum,
Deus tuus, o Sion! per omnes ætates. Laudate Deum!

PSAL-

a) hebr. בְּעוֹדִי *in duratione mea.* De conſtructione cf. *Glaſſius* p. 361. ſeq. edit. recent.

PSALMUS CXLVII

Hymnus eſt, virtutes Dei, maxime potentiam ejus et benignitatem in creatione et conſervatione totius hujus univerſi conſpicuam, celebrans. LXX interpretes et Syrus hunc quoque Haggæo et Zachariæ tribuunt, quod recentioribus quoque nonnullis interpretibus placet.

1. Laudate Deum! Sane bonum eſt, canere Deum noſtrum.
   Immo jucundum eſt et decent hymni.
2. Reſtaurat Hieroſolymam Jova,
   Diſperſos Iſraelitas colligit.
3. Sanat mente fractos, obligat eorum vulnera.
4. Computat numerum ſtellarum,
   Omnes nominibus ſuis vocat.
5. Magnus eſt dominus noſter et multæ potentiæ.
   Quæ intellectu ſuo comprehendit, ſunt innumerabilia.
6. Sublevat Jova afflictos,
   Deprimit impios usque ad terram.
7. Alternis canite Deum agendis gratiis,
   Pſallite Deo noſtro cithara.
8. Qui cœlum tegit nubibus, qui parat terræ pluviam,
   Qui facit, ut germinent montes gramina.
9. Qui dat animalibus pabulum ſuum,
   Pullis corvorum id, quod ſibi clamore expetunt *a*).
10. Non

a) Multi interpretes ſupplent אליו *ad eum.* Sic quoque ל, Vulgatus et Arabs. Non indigna eſſet carmine ſacro

10. Non equitatui valido favet Jova,
Non ex pedestribus copiis robustis voluptatem
percipit *b*).
11. Placent Jovæ, qui eum reverentur,
Qui ejus benignitati confidunt.
12. Celebra, o Hierosolyma, Jovam *c*)!

sacro sententia, cum etiam Job. 38, 41. corvis clamor ad Deum ob victum suum tribuatur, aliisque animalibus Ps. 104, 21. 145, 15. cf. *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. II. Cap. XI. p. 203. Sed verba textus habent simpliciter אשר יקראו. Nec opus est ellipsi, cum posterius membrum priori bene respondeat. Sic *Michaelis*, *Doederleinius*, *Knappius*.

b) Verba textus sunt: *non in robore equi delectatur, non in cruribus viri.* Dudum observarunt interpretes, non de equo in se considerato, neque de robore hominis, ut corporis prærogativa, sermonem esse, sed de duobus præsidiis, quibus reges et populi maxime confidere solent, de exercitibus validis, cum equestribus, tum pedestribus, quæ nisi Deo favente et victoriam concedente, infirma essent et debilia. — Clariora igitur verba obscuris, aut saltem ambiguis substituenda putavi.

c) Cum hoc versu incipiunt Psalmum 147. οἱ ὁ, Vulgatus, Syrus, Arabs. Sed codicis hebræi distinctio haud dubie est præferenda. Continet hic versus conclusionem ex commemoratis beneficiis divinis, et divinus vates repetit excitationem ad laudandum Deum vers. 1; deinde alia beneficia Dei cum specialia tum generalia affert. Sic incipit cum hoc versu altera pars carminis.

Lauda Deum tuum, o Sion!
13. Qui confirmat portarum tuarum clauſtra,
Tuosque liberos omnes fortunat.
14. Qui limites *terræ tuæ* pacatos reddit,
Teque optimo tritico ſatiat. —
15. Jubet et ſtatim fiunt, quæ juſſit.
16. Demittit nivem tamquam lanam,
Pruinam ut cinerem ſpargit.
17. Dejicit glaciem tamquam fruſtula,
Vim frigoris quis poteſt ſuſtinere?
18. Jubet et liqueſcunt omnia,
Ventum immittit et fluunt aquæ.
19. Indicavit Jacobitis voluntatem ſuam,
Leges et ſtatuta ſua Iſraelitis,
20. (Sic fecit nulli genti)
Quorum *antea* erant ignari. Laudate Deum!

PSALMUS CXLVIII

Excitantur in hoc hymno omnes creaturæ cum animatæ tum inanimatæ, rationales et ratione deſtitutæ, ad Deum laudandum, eleganti proſopopoeia. Quod argumentum aptiſſimum eſt lætitiæ publicæ, fortaſſe conſecrationi templi ſecundi.

1. Laudate Deum! Laudate Jovam cœlites!
Laudate eum in ſublimi.
2. Laudate eum omnes ejus angeli,
Laudate eum omnes ejus exercitus.

3. Lau-

3. Laudate eum ſol et luna.
Laudate eum omnes ſtellæ lucidæ.
4. Laudate eum cœli altiſſimi,
Laudate eum nubes aereæ *a*),
5. Laudent nomen Jovæ,
Nam juſſit — et creata ſunt *b*).
6. Stabilivit ea, ut ſemper durent *c*),
Leges eis dedit, quas non violant. —
7. Laudate Jovam, quæ in terra exiſtunt *d*),
Vos balænæ et omnia maris profunda!
8. Ignis et grando, nix et vapor,
Tempeſtates, quæ mandata ejus exſequimini.
9. Montes et omnes colles,
Arbores frugiferæ et omnes colles.
10. Vos feræ et omnia animalia cicurata,
Reptilia et volatilia.

a) hebr. *aqua quæ ſub coelo eſt.*

b) Reſpicitur ad hiſtoriam creationis, in qua omnia ad verbum Dei facta leguntur Geneſ. 1.

c) Obſervent h. l. tirones ſignificationem primariam vocabuli עַד quod ab עָדָה Arab. عدا (*Golius* p. 1540.) *tranſiit*, *proceſſit*, ſubſtantivum eſt, ſignificans proceſſionem ad certum terminum loci et temporis; ex quo particulæ loco uſurpatur, ut alia hujus generis. vid. *Glaſſius* p. 361.

d) hebr. מִן הָאָרֶץ reſpondet מִן הַשָּׁמַיִם in verſ. 1.

11. Reges et omnes nationes,
Principes et omnes terrarum judices.
12. Juvenes et virgines,
Senes et pueri.
13. Laudent nomen Jovæ,
Quod solum est glorioſiſſimum,
Cujus majeſtas cœlum et terram ſuperat.
14. Inſigniter auxit populi ſui potentiam *e*),
Gloriam dilectis ſuis, Iſraelis poſteris,
Populo amici ſui. *f*) — Laudate Deum!

PSAL-

e) hebr. *exaltavit cornu populi ſui.*

f) hebr. עַם קְרֹבוֹ Plerique interpretes explicant de ſingulari prærogativa, qua Deus populum Iſraeliticum dignatus eſt, ut hic eum ſecundum rationem ab ipſo præſcriptam coleret, Deut. 4, 7. De qua etiam קרב dicitur Pſ. 73, 28. — Aliam vero eamque elegantem explicationem h. l. dedit *Schnurrerus* in Animadverſſ. ad quædam loca Pſalmorum Faſc. II. p. 26. קרב eſſe ſubſtantivum, rectum a nomine antecedente, *populus propinqui* ſ. *amici ſui*, ſub quo Abrahamus intelligatur, qui non ſolum אהב האלהים dicitur Eſ. 41, 8. et 2 Chron. 20, 7. ſed etiam teſte Jacobo apoſtolo Cap. 2, 23. honorificentiſſimum nomen φίλος Θεοῦ obtinuit. Mitto alia lectu digna, quibus Vir Doctiſſimus hoc Abrahami nomen ex lingua Arabica illuſtravit.

PSALMUS CXLIX

Carmen eſt triumphale. Laudat et celebrat Deum propter victoriam populo Iſraelitico conceſſam. Quænam vero illa fuerit, incertum eſt. Michaelis quidem Pſalmum Davidicum eſſe putat, qui victoriam de Cananitis ſuperſtitibus canat. At Venema aliique eum ad tempora Maccabæorum referunt.

1. Laudate Deum — Canite Jovæ novum canticum,
Laudem ejus in cœtu piorum.
2. Lætentur *a*) Iſraelitæ de fundatore ſuo *b*),
Sionitæ exſultent de ſuo rege.
3. Laudent eum tibiis *c*),
Tympanis et citharis ei pſallentes.
4. Favet enim Jova ſuo populo,
Ornat humiles ſalute.
5. Exſultant pii glorioſe,
Canunt in conventibus ſuis *d*).

a) Incipit illud novum canticum.

b) In numero plurali עֹשַׂיִן non eſt argutandum. vid. *Glaſſius* p. 58. Reſpondet רֹקֵד מַלְכּוֹ in altero membro et ſub utroque Deus intelligitur, qui et alias עֹשֶׂה *fundator populi* dicitur, cum reſpectu ad Theocratiam, v. c. Eſ. 44, 2. 51, 13. Pſ. 59, 6.

c) hebr. בְּמָחוֹל vulgo: *in choreis.* Sed ſynonymum eſſe חָלִיל *tibiæ*, probavit *Pfeifferus* de arte muſica veterum Hebr. p. 46. In ſequenti Pſalmo verſ. 3. inter alia inſtrumenta muſica nominatur.

d) cf. nota *f*) ad Pſ. 4, 5.

6. Dei laudes in ore habent *e*),
Gladium ancipitem manu tenent.
7. Ad vindictam exercendam in gentibus,
Ad pœnas sumendas de nationibus.
8. Ad constringendos reges eorum catenis,
Et nobiles eorum compedibus ferreis.
9. Ad exsequendam in illis pœnam legibus præscriptam *f*),
Quod gloriosum erit eum colentibus. — Laudate Deum!

PSALMUS CL

Excitatio ad Deum laudandum adhibitis omnis generis instrumentis musicis. Haud dubie festivitati solenni dicata, quæ temporibus Davidis æque ac serioribus templi secundi convenit.

1. Laudate Deum! Laudate Deum de ejus sanctitate.
Extollite eum de cœlo ejus glorioso.

2. Ce-

e) Hæc verba *Michaëlis* apposite, uti arbitror, de clamore explicat, quem Orientales in prælio ineundo extollere solent. Arabes olim et etiamnum Muhammedani impetum facere solent, nomen Dei *Allah* clamitantes. Non improbabile est, idem apud Israelitas in usu fuisse.

f) *Michaelis* ex hypothesi sua de tempore et occasione carminis scripti, de qua in argumento Psalmi dictum est, hæc verba explicat de jure belli in Cananitas ab ipso Mose scripti. Sed qui ad seriora tempora Psalmum referunt, victorias intelligunt Maccabæorum passim a prophetis prædictas. Sic *Doederlein.*

2. Celebrate ejus virtutes,
Prædicate insignem ejus magnitudinem.
3. Laudate eum buccina sonante,
Laudate eum nablio et cithara.
4. Laudate eum tympano et tibia,
Laudate eum chordis et fistula *a*).
5. Laudate eum cymbalis minoribus,
Laudate eum cymbalis majoribus *b*).

a) hebr. עוּגָב nomen est antiquissimi instrumenti, cujus inventor Tubal perhibetur Genes. 4, 21. et quod præter h. l. occurrit Job. 21, 12. et 30, 31. *Pfeifferus* quidem in libro laudato p. 49. dicit, verbum עגב in lingua arabica esse *inflare* atque interpretem Arabem Nov. Test. hoc verbo reddidisse græcum φυσιοῦν 1 Cor. 5, 2. In quo memoria fefellit Virum Doctissimum. Neque Arabs interpres N. Test. utitur hoc verbo l. c. neque omnino hanc significationem in Lexicis arabicis inveni. At enim vero in eo assentior עוגב esse *fistulam* illam antiquissimæ originis, cujus inventor Pan perhibetur, de qua plura lectu digna collegit Vir Doctissimus l. l.

b) De צִלְצְלֵי תְרוּעָה et צִלְצְלֵי שְׁמַע egit *Pfeifferus* l. l. p. 54. atque ex additis hoc loco substantivis שמע et תרועה recte probavit ea non esse posse *tintinnabula*, quæ et alio nomine vocantur פעמנים Exod. 28, 33. 39, 25. sed recte verti a τοῖς ὁ per κύμβαλα, quibus indicetur instrumentum, quod etiamnum in Oriente usur-

6. Omnia, quæ vitam habent, laudent Deum!
Laudate Deum!

uſurpatur et Arabibus صنج vocatur et a *Golio* p. 1383. his verbis deſcribitur: duo cuprea crepitacula, quæ inter ſe concuſſa ſuavi perſonant tinnitu. Arabibus familiare inſtrumentum. (In noſtro tamen loco verſ. 5. Arabs interpres non hoc ipſo vocabulo utitur, quod Vir Celeberrimus dixit, ſed in verſu quarto, ubi reſpondet מָחוֹל) *Niebuhrius* (in Itinerario P. I. p. 181.) ea *diſcos* vocat (Caſtagnettes), quibus ſaltatrices inter ſaltandum utuntur, qui minoris formæ ſunt, majoribus vero utuntur milites in muſica caſtrenſi. Ex quo eorum uſu probabiliter colligitur in noſtro loco per צִלְצְלֵי תְרוּעָה hos, per צִלְצְלֵי שָׁמַע illos intelligi.

COR-

VA1 15274G2

CORRIGENDA.

p. 12. not. d) lin. 4. pro 20. lege 26.

p. 28. lin. ult. pro مُعْمٍ lege مُصْمٍ

p. 29. not. c) poſt *intelligendas* adde: eſſe.

p. 44. lin. ult. not. b) pro, geminas, lege, genuinas.

p. 51. lin. 2. pro: trunculenti l. truculenti.

p. 56. notæ c) adde ſequentia: Cum hæc typis jam eſſent exſcripta, atque ego forte in prælectionibus academicis hoc ipſum carmen ex poſteriori libro Samuelis interpretarer, dubitare incepi de veritate hujus explicationis, cui paralleliſmus membrorum hujus et ſequentis verſus ſexti minime favere videtur. Reſpondent enim מות נחלי בליעל et שאול quod utrumque de loco, ad quem homines mortui veniunt, haud dubie eſt explicandum. Defendi quidem poteſt illa explicatio maxime ex eo quod בליעל alias ſemper de *hominibus* dicatur, nunquam de *loco*. At enim vero tunc quoque ſemper cum איש, אדם ſive בן conſtruitur, nunquam ſine his ſubſtantivis niſi in hoc loco. Remanet tantum difficultas in origine vocis explicanda, in qua interpretes diſſentiunt. Mihi quidem facillima videtur derivatio a radice arab. وعل *aſcendit*, *eminuit*, hinc de hominibus uſurpatum et cum בן איש ſ. conſtructum ſignificat hominem minime quaſi eminentem, h. e. vilem, abjectum, uti oppoſitum ejus وعول de homine nobili ſ. eminenti dicitur. vid. *Golius* p. 2699. Hoc loco igitur cum נחלי conſtructum flumina notat, e quibus *emergi* ſ. *eſcendi* non poteſt. Cujusmodi fingebant

gebant haud dubie poetæ hebræi flumina τοῦ שְׁאוֹל ſive *inferni.*

pag. 72. lin. 11. verſ. 7. pro *ot* l. *et.*

p. 112. lin. 1. verſ. 21. ſic lege: Cuſtodit ejus oſſa omnia, ne horum ullum frangatur.

ibid. lin. ult. verſ. 5. pro *ſunt* l. *ſint.*

p. 116. not. g) lin. 2. pro *lege* l. *legi.*

p. 159. verſ. 14. lin. 3. pro *in* lege *enim.*

p. 170. lin. 1. pro: *mandum* l. *mundum.*

p. 202. in not. c) lin. 6. poſt vocem *editiones* adde: præter *Opitianam,* in qua legitur תְּרַצְּחוּ.

ibid. ſignum notæ in lin. antep. non eſt a) ſed d).

p. 214. in argumento Pſ. 67. pro Jer. l. Jeſ.

p. 218. in nota lin. 3. pro *regis* l. *regio.*

p. 226. in nota t) poſt *Hieroſolymæ* adde: eadem.

p. 227. in nota u) lin. 16. deleatur: Sed.

p. 260. lin. 3. pro *meum* l. *meus.*

p. 291. lin. 1. pro *fluctos* l. *fluctus.*

p. 303. lin. 4. pro *abrupimur* l. *abrumpimur.*

p. 319. lin. 1. 2. et 3. deleatur *cum.*

p. 409. verſ. 8. pro cuſtodit, l. cuſtodiet.

p. 417. lin. 1. pro *propter* l. *præter.*

p. 433. in argumento Pſalmi CXXXIX. lin. 1. et 3. pro *quæ* l. *qua.*

Index Alphabeticus psalmorum secundum Vulgatam

A

Ad dominum cum tribularer clamavi p. 119 405
Ad te domine clamabo 119 405
Ad te domine levavi animam meam 24 91
Ad te levavi oculos meos 122 411
Afferte domino filii dei 28 94
Benedicto populo meo 66 263
Audite haec omnes gentes 48 160

B

Beati immaculati in via 118 384
Beati omnes qui timent dominum 127 416
Beati quorum remissae sunt iniquitates 31 103
Beatus qui intelligit super egenum et pauperem 40 134
Beatus vir qui non abiit 1 1
Beatus vir qui timet dominum 111 364
Beatus vir qui timet dominum 111 364
Benedicam dominum 33 107
Benedic anima mea domino, domine deus meus 103 332
Benedic anima mea domino, et omnia quae intra 102 330
Benedicite, omnes deus meus 134 450
Bene dixisti domine terram tuam 84 284
Bonum est confiteri domino 91 307

C

Coeli enarrant gloriam dei 18 62
Cantate domino canticum novum, cantate domino 95 318
Cantate domino canticum novum, cantate 97 323
Cantate domino canticum novum quia mirabilia 97 326
Confitebimur tibi deus 74 34
Confitebor tibi domine in toto corde meo in conspectu angelorum 137 460
Confitebor tibi domine in toto corde meo narrabo 9 24
Confitebor tibi domine in toto corde meo quoniam 138 462
Confitemini domino et invocate nomen 104 338
Confitemini domino quoniam bonus, confitemini deo deorum 135 457
Confitemini deo caeli, confitemini deo quoniam 135 459

Confitemini domino quoniam bonus ... 379
Confitemini domino quoniam ... 336
Conserva me domine ... 93
Credidi propter quod locutus sum ... 378
Cum invocarem ... 10

D

De profundis ... 245
Deus auribus nostris ... 43
Deus deus meus ad te de luce vigilo ... 203
Deus deorum dominus locutus est ... 164
Deus deus meus respice in me ... 72
Deus in adjutorium meum intende ... 246
Deus in nomine tuo salvum me fac ... 176
Deus judicium tuum regi da ... 240
Deus laudem meam ne tacueris ... 328
Deus misereatur nostri ... 214
Deus noster refugium et virtus ... 134
Deus quis similis erit tibi ... 279
Deus repulisti nos ... 194
Deus stetit in synagoga deorum ... 76
Deus venerunt gentes ... 270
Deus ultionum dominus ... 360
Dilexi quoniam exaudivit dominus 375
Diligam te domine ... 54
Dixi custodiam vias meas ... 131
Dixit dominus domino meo ... 363
Dixit injustus ut delinquat ... 116
Dixit insipiens ... corrupti sunt ... iniqui 174
Dixit insipiens in stultitia sua ... 40
Domine clamavi ad te exaudi me ... 494
Domine deus meus in te speravi ... 164
Domine deus salutis meae ... 289
Domine dominus noster ... 21
Domine exaudivi orationem meam audi ...

Domine exaudi orationem meam et clamor 324
Domine in virtute tua — 60
Domine ne in furore tuo arguas me — 6
Domine ne in furore tuo arguas me — 37
Deus meus es tu exaltabo te — 117
Dilexi quoniam — 433
Domine quis habitabit — 41
Domine refugium factus es nobis — 301
Dominus illuminatio mea — 26
Dominus regit me — 22
Dominus regnavit decorem indutus — 309
Dominus regnavit exultet terra — 96
Dominus [illegible] — 349

In Epiphania

Ecce nunc benedicite Dominum — 424
Ecce quam bonum — 423
Eripe me Domine ab homine malo — 139
Eripe me ab hominibus malis — 44
Exaudi Deus orationem meam — 150
Exaltabo te Deus — 144
Exaudiat te Dominus — 64
Exaudi Deus deprecationem meam 198
Exaudi Deus orationem meam cum deprec. 203
Exaudi Deus orationem meam ne despexeris 176
Exaudi Deus Domine justitiam meam 50
Exspectans exspectavi Dominum — 134
Exultate Deo — 275
Exultabit [illegible] — 106
Exultabit [illegible] — 214
Exurgat [illegible]

Fundamenta ejus in montibus — 266

Inclina Domine aurem tuam — 266
In convertendo — 412

In domino confido dicitis — 11
In exitu Israel de Aegypto — 345
In te domine speraui in eternum domine — 56
Inte domine speraui libera me — 237
Iubilate deo omnis terra psalmum — 244
Iubilate deo omnis terra seruite domino — 321
Iudica domine nocentes me — 112
Iudica me deus — 145
Iudica me domine — 87

L

Laetatus sum — 412
Laeda anima mea dominum — 456
Laeda Ierusalem dominum — 460
Laudate dominum de coelis — 460
Laudate dominum in sanctis eius — 464
Laudate dominum omnes gentes — 364
Laudate dominum omnes gentes psalmum 454
Laudate nomen domini — 425
Laudate pueri dominum — 371
Leuaui oculos meos — 404

M

Magnus dominus — 157
Memento domine dauid — 420
Miserere mei deus miserere mei — 165
Miserere mei deus quoniam confidit — 162
miserere mei deus secundum magnam — 167
Misericordiam et iudicium — 322
Misericordias domini in aeternum — 493

N

N

Nisi dominus - - - - - - - - - - - - 1
Nisi quia dominus - - - - - - - - - 4
Noli aemulari - - - - - - - - - - 1
Nonne deo - - - - - - - - - - - 2
Notus in judaea deus - - - - - - - - 2

O

Omnes gentes - - - - - - - - - 15

P

Paratum cor meum - - - - - - - 37

Q

Quam bonus Israël deus - - - - - 24
Quam dilecta tabernacula tua - - - 28
Quare fremuerunt gentes - - - - - 3
Quemadmodum desiderat cervus - - - - 14
Qui confidunt in domino - - - - - 4
Quid gloriaris in malitia - - - - 17
Qui habit - - - - - - - - - 30
Qui regis Israël - - - - - - - 27

S

Saepe expugnaverunt me - - - - 41
Salvum me fac deus - - - - - - 23
Salvum me fac domine - - - - - 3
Si vere utique - - - - - - - 18
Super flumina babiloniis - - - - 43

T

Te decet hymnus - - - - - - - - 20

V

Venite exultemus Domino - - - 312
Verba mea auribus percipe - - - 13
Voce mea ad Dnum clamavi ce - ad Deum 259
Voce mea ad Dnum clamavi, voce mea - ad Dnum 244
Usquequo domine - - - - - - 39
Ut quid Deus repulisti - - - - - 250

160
a
38